


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

116

DA BOX

No 2158.



M Tuscher fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

POEMATVM NATHANIS CHYTRÆI PRÆTER SACRA OMNIVM.

LIBRI SEPTENDECIM.



SIGNVM CANDORIS AMABILE

ROSTOCHII

Imprimebat Stephanus Myliander.

Anno M. D. LXXIX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Danica

p 2. Frid 2do

p 8 ad 15 Epithalam: Frid 2 et Sophiae

p 17 natalis Frid 2di

p 30 ad p. 34 Memoria Dorotheae Frider 1 filiae

p 45 ~~ad 46~~ ad p 50 Carolo Danceo gallorum regis in Dania Legato.

p 66 ad p 71 memoria Danielis Rantzouii

p 83 ad Arnol Uitfeldium

p 111 De nomine Frider 2di

De Frid et Sophiae adventu in Megapoli

p 128 - Cato.

129 Principi Ulderico Filio Frid

153 - De Carolo Danceo

156 ~~Henr~~ Belovio marescalco regis

210 Nicolao Kaas Cancellario

212 Nicol Rantzouio

274 Dorotheae Frider 1 Filiae

305 Dan Rantzouio

verte

p. 319. ad tot tirare Philosofem
344 - tinder 200

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Jt 3
3

FR

DAN
GENT
NI
A
REC
E
POI
tanc
tr

NA

Quique a

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

FRIDERICO SECVNDO

DANIÆ, NORVEGIÆ, GENTIVMQVE SEPTEMTRIONIS REMOTISSIMARVM AMPLISSIMARVMQ:

REGI SERENISSIMO ET POTENTISSIMO,

POEMATA HÆC SVA, tanquam primario eorum Patrono, ſubmiſſa compellatione dedicat & conſecrat.

NATHAN CHYTRÆVS.

SVnt homines non pauci equidem conuicia Muſis
Qui faciant, ſacroq́; ortas è carmine laudes
Deſpiciant, vatumq́ue illas deliria dicant,
Quique adeo Muſasq́; ipſas, caſtosq́ue poëtas

Regibus indignos clament, aliiſque patronis.
Inſani. qui cum nunquam laudabile quidq̃;
Sint facere aggreſſi, Bacchi, Veneriſue gulæue
Mancipia, aut Pluti technas & lucra ſecuti:
Laudari quoque vile putant. ſua crimina quidam,
Barbariemque animi, & vaſtum ſine pectore corpus
Celari ſic poſſe ferunt, ſi carmine ſalſo
Nemo ea depingat ſero exagitanda nepoti.
Propterea pulſas toto obmuteſcere mundo
Optarent, turpique fame tabeſcere Muſas.
Nequidquam. nam nunc etiam Phalariſque Midæque,
Et Licini ſunt infames: non facta Perilli
Dira latent: rabies non eſt ignota Neronis.
At quanto melius ſapiens rex ille Canopi,
Magnus Alexander, Mæcenas, Scipio, Cyrus
Conſuluere ſibi, atque etiam poſt funera famæ
Illuſtri, cuius viui quoque carpere fructus,
Iam tum iucundos, oculis animiſq; ſolebant,
Cùm facerent laudanda ipſi, ſummoſq; poëtas,
Hiſtoricoſque ſuæ teſtes virtutis haberent,
Eloquio inſignes, nullaq; ætate premendos.

Omni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Omnibus in reliquis (Dircæo credere cygno
Si volumus) primum decus eſt, feliciter vti
Fortuna, & geſtis laudandum euadere rebus:
Alterum ab hoc notæ certos virtutis habere
Præcones, Muſis & phœbo digna ſonantes.
At ſi, quod rarum eſt, vni contingat vtrumque;
Is vero ante alios ſummam fert iure coronam.
Inclyte rex, tibi, ſi cuiq;, laus vtraque cedit
Haud equidem immerito. quis enim tua fortia magni
Facta animi, quis neſcit opes? quis regna? quis arces?
Quis claſſem? quis victricis palmaria dextræ?
Accedunt his hiſtorici, doctique poëtæ,
Cuncta hæc qui ſeræ cupiant tranſcribere famæ
Carminibus ſcriptisq; ſuis. quos inter & ipſe,
Sim minimus licet, & tanto vix nomine dignus;
Prolubium, mentemque meam, ſtudiumque placendi
En declaro tuæ rex optime maieſtati,
In faſtis meliora etiam quandoque daturus,
Numina ſi faueant, & mitis dextra patroni.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tu, quos iam dixi, regum laudata ſecutus
Exempla, inualidas non aſpernare camœnas:
Non laudes contemne tuas, laudesq; tuorum,
Quas Friderice tuis à laudibus haud alienas
Dixeris. hic Sophia eſt Danaûm regina, tuiq;
Rex conſors thalami: ſunt diui encomia
patris,
Sunt ſoceri, ſocrusq; tuæ, ſobolisq; ſerenæ,
Heroumq; adeo, tua qui celeberrima regna
Virtutum efficiunt merito: præconia quorum
Iam dextra victrice tenes: euoluere & illa
O vtinam libeat, roſeisq; attendere Muſis.
Quod facies, niſi me bonitas tua regia fallit,
Et ſolidæ præter laudis nullius auarus
Excelſusque animus, factæque ad maxima
vires.
Sic ſemper laudanda geras, laudanda ſequa-
Et regno factisq; tuis ſuper æthera notus, (ris,
Aeterno à Muſis felix celebreris honore.

IN-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

INDEX POEMATVM
quæ hoc opere continentur.

Siluarum libri	IV.
Epigrammatum	II.
Itinerum variorum, Pariſienſis, Anglici, Auguſtani, Veneti, Romani, Heluetij, recognitus liber	I.
Elegiarum	II.
Amorum coniugalium	III.
Triſtium	II.
Eclogarum & epiſtolarum Satyricarum	I.
Carminum	I.
Epigrammatum, Satyrarumq́; lepidarum anthologia adijcialis	I.

IOHAN. POSTHIVS,
Medicus & Poëta clariſs.
NATHANI CHYTRÆO
Mencingio populari
ſuo *S. D.*

PAtria communis, quod glorior, eſt mihi te- (cũ,
Culta Palatinus quà regit arua Leo.
Arua illa auriferis vndis interflua Rheni,
Et Bacchi & Cereris ditia muneribus.
Hîc ego, Lotichio ſacros monſtrante receſſus,
Aoniæ didici fila mouere lyræ.
Hîc etiam cultis mihi primus Eraſtus in hor- (tis
Pœonias docta voce recluſit opes.
At tu Varniades puer olim ductus ad vndas
Ornaſti eximijs artibus ingenium.
Caſtalidum inprimis pulchro ſuccenſus amore
Virginei hauſiſti largiter amnis aquam.
Hinc tibi proueniũt Muſis et Apolline dextro
Carmina vel priſcis æquiparanda choris.
Siue tui ſequeris veſtigia magna Maronis,
Siue libet teneris verba ligare modis:
Seu Calabro certas docta teſtudine Flacco,
Dat palmam ingenio Cynthius ipſe tuo.
Adde,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Adde, quod externas iuueni perquirere gentes
Tempore longinquo, ceu mihi, cura fuit.
Diuerſisq́; locis diuerſas diſcere linguas,
Artis, & ingenij dexterioris opus. (nus,
Scit pater Eridanus, cum Tibride nouit et Ar-
Nouit honoratæ Sequana rector aquæ.
Nouit et vberibus formoſa Britannia campis,
Mercibus et diues Belgica nouit humus.
Pænè & vtriq; tulit ſimiles ſors aſpera caſus,
Siue aliqua aduerſi ſtella ſiniſtra poli.
Vt ſumus æratas auſi conſcendere naues,
Et pelagi inſanis credere corpus aquis.
Vtque per inſidias latronibus vndique ſepti
Fecimus obſcuræ tempore noctis iter.
Inq́ue ipſis adeo hoſpitijs per rura, per vrbes,
Sæpius occultos ſenſit vterq́ue dolos.
Parua loquor: vitæ diſcrimen adiuimus ambo:
Nomine quiq; fuit hoſpes, is hoſtis erat.
Senſimus æſtiferis quoque febribus ima peruri
Viſcera, Pæonia vix reparata manu.
Poſtq́ue tot exhauſtos terraq́ue mariq; labores
Ad patrios ſalui venimus inde lares:
Doctaque nobilibus velati tempora ſertis,
Soluimus æterno vota precesq́ue Deo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ille, Chytræe, velit longam nos viuere vitam,
Dotibus vt longùm proſit vterque ſuis.
Perpetuos ſacro tu condas carmine faſtos,
Vt celebrent nomen ſecula cana tuum.
Ipſe ego ſim medica non vltimus arte, me am-
Seruatus laudet plurimus æger opem. (que

EIDEM N. CHYTRÆO

IOHANNES SCHOSSE-
rus Æmilianus.

SVauiſsima tua poëmata, quibus à te non tam donatus quam locupletatus ſum, legi magna cum voluptate; lætatusq; ſum, te ad eam in hoc genere ſcribendi, quam ego iam pridem excellens ingenium & naturam tuam intuens, animo cogitationeq; præceperam, maturitatem perfectionemq; perueniſſe. Quo ſanè nomine reipub. quoq; gratulor; quæ extinctis præcipuis noſtri ordinis luminibus, eiuſmodi viros, quorum opera, diuina illa poëſis aduerſus tetram barbariem conſeruaretur, deſiderare magnopere videbatur. Sed qualia quantaq; in po-
ſte-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

ſterum à te nobis expectanda erunt, mi clariſſime iucundiſſimeq́; Chytręe: qui iuuenis propemodum, tam præclara ingenij tui monumenta edideris. In quo ne morientibus fere literis, & tuæ gloriæ deſis, amabo te, quantum potes, potes autem plurimum, enitere. Verum de hoc ſatis, ne vel auribus tuis blandiri, vel amori erga te meo nimis indulgere videar. Caſelio noſtro, ſi ad academiam veſtram reuerſus eſt, vtere, vt ſoles, amantiſsimè, & ex doctiſsimis eius colloquijs, id quod mihi negatum eſſe vehementer doleo, veros & vberes ſapientiæ fructus percipe. Exaraui ad ipſum quoq; epiſtolam, quam huic adiunxi. Eam ſi vobiſcum eſt Caſelius, per te ipſi tradi; ſin adhuc alibi commoratur, vel per certos homines ad eum perferendam curari, vel mihi remitti cupio. Eſt enim ſcripta de rebus quibuſdam noſtris priuatis, quas in cuiuslibet manus peruenire prorſus nolim. Bene vale. Francofordiæ ad Viadrum, Kal. Ian. anno 1567.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

GEORGIVS FABRICIVS
DAVIDI CHYTRÆO
S. D.

CLariſsime vir, amice obſeruande. Cornu Amaltheæ eſt, non quod Poëtæ fingunt: ſed illud ex quo naſcuntur, φίλοι, βοηθοί, μάρτυρες: vt Græcus Poëta, ni fallor, dixit. Tuus igitur frater Nathan tale ad me attulit, cuius amicitia iucunda, familiaritas grata, conuictus optatus fuit: quem propter eruditionem, verecundiam, pietatem, & rerum cognitionem plurimarum, amo & amabo dum viuam. Quòd, ſi quod ſperauit, hîc non inuenit, ferat id pro ſua humanitate, æquo animo: & ſi tractatus in mea familia non eſt, vt par fuit: illud quoque ignoſcat meis. De meo vitæ genere, & de meis occupationibus, & de animis ingratis inuidorum, & de perfidia notorum hominum, ipſe narrare tibi poterit, qui de tuis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

tuis quoq; calamitatibus dixit. Sed quid nos facere aliud decet, quàm eſſe firmos & patientes, & diuinum expectare auxilium: quod te quidem virum exercitatiſs. facere, non dubito: ego ſtudere paulatim incipio. Gratulor tibi talem accidiſſe fratrem, qui poteſt eſſe tibi & ſolatio & ornamento: & ipſi gratulor, tot peracta itinera, beneficio Dei, quibus non minus inſtructus eſt ſapientia & virtute, quàm ſi interim aliquam bibliothecam deuoraſſet, bene magnam. Erit inter nos iam amicitia firmior, ſermo literarum frequentior, oratio & communicatio de ſtudijs liberior: eaq; vt vti poſimus ſuauitate diutiſsimè, faciat DEVS. Non debui eſſe prolixior: cum habeas viuam epiſtolam, fratrem optimum, & hominem diſertum. Vale Miſena.

Idib. Auguſti anno
1567.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

LECTORI BENEVO-
lo & candido Typo-
graphus S.

EIuſdem Nathanis Chytræi libri tres Imaginum & Meditationum ſacrarum iampridem ſeorſim editi, in ſequentibus quoqꝫ, ſi quæ futuræ ſunt, editionibus, ab iſtis poëmatis ſeiungentur. Sicuti etiam libri XII Faſtorum Eccleſiæ Chriſtianæ, vbi aliquando confecti erunt, in peculiare volumen referentur.

EIDEM
Auctor S. P. D.

Diuerſis hæc temporibus cum ſcripta videbis,
Sunt bona mixta malis, & mala mixta bonis
Clamabis forſan. fateor: cogorq́; fateri
Extremam hæc ſemper non habuiſſe manum,
Nec potuiſſe etiam, ſic tum properata tulerunt
Tempora quæ modulis cauſa fuere meis.
Tu ſi plura bonis mala ſint, quod nõ puto, totum hoc
Abijce: ſi vero ſint bona plura malis,
Quod credo & ſpero: quæſo ne turpis arachnes
Sed potius caſtæ morem imiteris apis.

P. MR.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

P. MELISSVS NATHANI CHYTRÆO qui carmina ſua non ſcripta de rebus diui-nis profana vocaue-rat.

EDita Pieridum ſacris ex carmina fanis
Tune profana vocas?
Ne vanus dicare caue, tua quando profanas
Teq́; ſacrasq́; deas.
Patraſti læſæ pol crimina maieſtatis
Terq́; quaterq́; reus.
Damnas proinde eſto Chytræe, aut pendere multam
Aut reuocare nefas:
Nam capitis vatem parcunt anquirere & ipſe
Phœbus & ipſe chorus.
Vnius ob vocis, crudele, piacula totum
Plectere velle caput.

NATHA-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

NATHANIS CHYTRÆI

SILVARVM

LIBER PRIMVS.

FRIDERICO II.

DANIÆ, NORVEGIÆ,

SCLAVORVM GOTHORVMQ;

REGI SERENISS.

ET

SOPHIÆ, ILLVSTRISS.

Principis & Domini, D. VDALRICI,
Ducis Megapolitani, Filiæ illuſtriſs.
& Reginæ Danorum deſi-
gnatæ.

EPITHALAMIVM.

SILVÆ PRIMA.

IAM tandem ſperata diu lux aurea cœlo
Extulerat radios, qua ſe pulcherrima Nymphe,
Nymphe animo formáq; potens, & ſtirpis auitæ
Laudibus, è patria Danorum inferret in oras,
Ingreßura ſui ſuprema palatia regis:
Acceptura etiam regalem à rege coronam:
Et regis ſubitura toros regina iugales.

Ergo,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ergo, Iouis monitu, ſupera Cyllenius arce
Labitur, & purum, ſine nube, per aëra vectus,
Muſis & Phœbo loca conſecrata petiuit:
Adſcenſu loca difficili, & mortalibus ægris
Inuia, ni paucos Muſæq́; & Phœbus amarent,
Quîs datur inuicto tandem huc penetrare labore.
Sed pronum hoc ſuperis iter eſt: caducifer ergo,
Vel dicto citius, Phœbo iuga ſacra, piasq́;
Muſarum ſedes & amœna vireta tenebat.
Adſtanti arriſere Deæ: mox omnia circum
Reſplendent miro florentia prata colore:
Et paßim volucrum reſonant auiaria cantu:
Cunctaq́; Palladio latè complentur odore.
Aſt illum in ſacros nemorum abduxere receßus
Aönides: vbi non vllam perpeßa ſenectam,
Non æſtum ſolis, non duræ frigora brumæ
Laurus erat, folij pulcra immortalis honore:
Quam ſubter nitido lucebant flore amaranti.
Hîc igitur diuûm interpres, cingente corona
Pieridum, cari exponit mandata parentis,
Atq; ait. O Iouis ætherei verißima Muſæ
Pignora, virtutum ſacra in præconia natæ:
Atq; ideo à teneris aulæ cœleſtis alumnæ:
Doctricesq́; hominum: & vitæ morumq́; magiſtræ:
Quæq; adeo laudesq́; Dei præclaraq́; facta
Heroum æterno memores committitis æuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Numne etiam veſtras rumor peruenit ad aures?
Vt regum ſacra progenies, rex inclytus ille,
Inter magnanimos rex inclytus Europæos,
Scania cui, Danaiq; omnes, atq; vltima Thule,
Cui mare fluctiuagum, cui Balthicus Helleſpontus,
Cimbrorumq; ſimul regio ditiſsima paret,
Rex FRIDERICus, amet regali è ſtirpe puellam,
Patris VDALRICI natam, Megalepolis alta
Quem colit, atq; Heruli veteres, & Vandala tellus,
Hîc vbi latiuagos fortis Germania fines
Aſpicit: & ſegetum plenos diſterminat agros
Varnus alens multos argutæ vocis olores.
Hæc SOPHIA, æquales inter pulcherrima: ſexum
Ingenio, & teneros varijs virtutibus annos
Exuperans: generi cui rara modeſtia ſummo,
Et formæ pudor admixtus, grauitasq; lepori,
Et Charis arcano nectens hæc omnia vinclo,
Eximias inter peperit decus heroinas.
    Namq; vbi cum genitrice ſua caroq; parente,
Bis ſeptem vix nata annos, in regna veniret
Danica: (mater enim de Chriſto nomen adepti
Eximij regis ſoror eſt) illamq; videres
Rex FRIDERICE, trahens imo ſuſpiria corde,
Atq; animo ſtimulos, fibriſq; incendia voluens;
Dixiſti: ô fauſtum iuuenem, virguncula tali:
Cui data nupta, ſui ſimilem mox edere prolem
Incipiet: claris pater vnde nepotibus auctus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Progeniem ſtirpemq́; ſuam florere videbit.
Nec plura. at dum ſe nequit illam, explere, tuendo,
Atq; ſimul viuas audit redditq́; loquelas:
Blandus amor ſe virgineis abſcondit ocellis:
Vnde nouos regi laqueos & tela pararet.
Quìs etiam dulci mentem rex ſaucius ictu,
Cum SOPHIA thalamo ſeſe vincire iugali
Percupidum oſtendit. placuit laudabile patri
Propoſitum; placuit matri: ſic fœdere certo
Iunxerunt fidas hæc in connubia dextras.
Sic rex, quod rarum eſt, non fretus imagine pictæ:
Nec ſua committens mutis ſuſpiria chartis:
Ipſe fuit formæ inſpector, morumq́; probator,
Atq; animi teſtis, fallaci teſte remoto.
Et nunc illa dies, longè optatiſſima votis
Multorum, ſolemnis adeſt, pater optimus illè
Qua celeri rate, tot Ducibus comitantibus, oras
Arctoas petet, (vberibus qua Dania campis,
Dania clara opibus regnoq́; inſignis auito
Panditur) auſpicio felici atque omine dextro,
Regnanti in Danaìs iuueni vt coniungat amatam
Reginam, thalamoq́; ambos deuinciat vno.
Quando igitur regi, placido rex Iupiter ore;
Reginæ quando Iuno regina beatum
Coniugium annuerunt: vos ô clariſſima Muſæ
Numina regalem mecum contendite in vrbem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Iupiter ipſe iubet: faciles ite ergo ſorores:
Ite deæ: velutiq́; olim connubia Cadmi
Hermionesq́; nouo celebraſtis lætæ hymenæo:
Sic FRIDErici etiam, SOPhiæ ſic dicite tædis
Carmina, maiori qui vos dignantur honore,
Quàm potuit Cadmus. quis enim dignatus alumnos
Eſt veſtros tanto quanto FRIDEricus amore?
Ille etenim vobis quæ ſtruxerat atria quondam,
Quæ dederat pater, illius rex optimus æui:
Vſque adeo nunc ornauit, ſic annua adauxit
Munera, vt Haſniadum ſchola quam ditiſſima, pri-
Felſineo vix iam Rheno concedat & Arno, (mas
Medoacoq́; ipſi. quid commemorare neceſſe eſt?
Quantus VDALricus veſtri ſit tutor honoris;
Quanto Varniadum ſtudio excolat ille roſetum:
Balthica palladio quod litora replet odore.
Sic Maia genitus. ſed eum pia turba ſororum
Sic contra eſt affata. patris mandata lubentes
Accipimus: quin & placidè comitamur euntem.
Tu modo præcede, & noto te tramite ſiſte.
Hæc vbi dicta, comis ſerta impoſuere camœnæ
Laurea, purpureis intertextis amarantis:
Dulciſonaq́; chely arrepta, citharisq́; canoris:
Cum duce feſtinum rapuere per aëra greſſum.
Vrbs eſt tranquillo longe celeberrima portu,
Vrbs animis opibusq́; potens, regnoq́; vetuſto,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Danorumq́; caput: populos vbi mercibus auget
Balthicus Oceanus: quamq́; æquo lumine Phœbus
Aſpicit, & doctis ſedem hic concedit alumnis.
Ad latus illius parijs ſuffulta columnis
Stat domus innumeris: conſiſtunt limine poſtes
Aureolo, & nitidis fulgent laquearia gemmis.
Centum intus thalami, centumq́; cubilia pyro
Murice tecta patent, auroq́; ornata coruſco.
Inq́; illis aula eſt, regum delecta receßu,
In quadrum ſpacioſa fluens, vbi plurima menſas
Regali dape magnificè, & crateribus aureis,
Conſtructas, circum mantilia picta tegebant.
Has rex & reges regumq́; propagine nati
Cingebant proceres: exq́; omnibus heroinæ
Delectæ: inter quas ceu ſidus amabile noſtra
Fulgebat SOPHIA, illuſtri bellißima vultu.
Huc igitur duce Mercurio, Phœboq́; ſorores
Ingreſſæ, ante ſacram FRIderici regis, & almam
Reginæ faciem, aſtiterunt. miratus earum
Inceßumq́; grauem, faciemq́; habitumq́; ſermonem;
Eſſe deas vidit rex inclytus. ergo paterni
Indicio ſceptri præſtare ſilentia cunctos
Ipſe iubet, placidoq́; illas vltro aſpicit ore:
Illæ autem flexêre genu, vultuq́; modeſto
(Circumſtant proceres, admiranturq́; canentes)
Talia fuderunt, alterna carmina voce.

Salue ô progenies diui FRIDEricę parentis,
O decus & columen Danorum, & gloria gentis
Cimbrigenæ: cui præſtantem virtute puellam
Iungit auis, atauiſq; potens, & ſceptriger heros
Fortis VDALRICVS, carum Megalepolis ora
Quem colit, obſeruatq; ducem, carumq; parentem.
Salue iterum FRIderice, tibi noua ſerta paramus.
Vix etenim quiſquam nemoris decerpere fructus
Dignior Aönij, tua quam pulcherrima coniunx:
Et tu magnorum flos optatiſsime regum.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.

Tu quoq; reginæ ſoboles clariſsima matris,
Quæ commune genus proauûm cum rege recenſes,
Nympha potens, & gemmiferis ornata coronis,
Sis felix, regiq; tuo diuturna voluptas,
Quam turbent nullis venientia ſæcula ſæclis.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.

Iupiter ipſe tibi radio FRIDERICE ſereno
Naſcenti arriſit: ſceptrum, aureolamq; coronam
Pollicitus iuueni: arriſit quoq; ſidere Mauors
Sanguineo, armauitq; manus in prælia, tradens
Mox tibi Marſigenas felici clade domandos.
Quin Cytherea potens thalamos firmare iugales,
Ipſa tibi Nymphæ cor fauſto accendit amore:
Ipſa tui Nympham totam inflammauit amore.
Felicem FRIDERICE, tui quoq; ſidera curam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Suſcipiunt, regiſq́; fauent conſtanter honori.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.
At SOPHiam gremio Pietas excepit: adultam
Erudijt ſacra Relligio: mox aurea Iuno
Et Pallas, Charitumq́; chorus placidiſsimus, illam
Certatim excoluêre ſuis, fauſto omine, donis.
Quin et adhuc charam faciles comitantur alumnam,
Muneribusq́; beant varijs, ſemperq́; beabunt.
Aſpice quantus honos generoſo effulgeat ore:
Gratia quæ vultus: quam mitis flammula blandis
Fulguret ex oculis: grauitas matura iuuentam
Vt ſuperet: maieſtati coniuncta venuſtas
Cunctorum vt mentes in ſe conuertat & ora!
Annue clementi tædis Deus optime vultu.
Maiores FRIderice tuos, priſcosq́; parentes,
Quid celebrare opus eſt? quorum celeberrima virtus,
Et bonitas nunquam venturo abolebitur æuo.
Inprimis pater ille ſuum de nomine Chriſti
Nomen habens, ſummos inter laus maxima reges,
Mente manuq́; fuit. patriæ pater optimus oræ,
Virtuti finem egregiæ metamq́; labori
Qui ſtatuit nullam, totiſq́; hoc viribus egit,
Vt genus humanum meritis cumularet: opemq́;
Turbatis ferret magno molimine rebus.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.
Quid patrem SOPhiæ laudabimus VDALricum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Egregium virtute ducem; qui regis imago
Siderei, bonitate ſua eſt, vultuq; ſereno.
Quacunque incedit, Bonitas comitatur euntem,
Caſtaq; Sophroſyne, gladioq; Aſtræa nitenti
Armata, & regum firmans Clementia ſceptrum,
Aſtat cana Fides, fraudiſq; ignara doloſæ,
Atque adeo in cunctis verax Conſtantia rebus.
Sit felix, viuatq; diu clariſſimus heros,
Connubium & natæ felix, regeſq; nepotes,
Canicie venerandus auus, viridiq; ſenecta,
Cernat, & aſtriferum ſerò conſcendat olympum.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.
Nec matrem FRIderice tuam, rex optime, fas eſt
Negligere: illa Dei fuit vt clariſſima donis;
Munus & ipſa Dei, fuluo precioſius auro:
Sic quoq; DOROtheæ diuinum nomen adepta eſt;
Nomen & omen habens. nam te FRIderice ſecundo
Extulit in lucem partu, fratreſq; potentes:
Quin etiam natas patriæ bonitatis alumnas,
Et ſummis nuptas ducibus. ſalue optima mater,
Et ſoror, & coniux, ſocruſq; & filia regum:
Et nati thalamis è cœli deſuper arce
Læta faue, regeſq; etiam ſperare nepotes
Incipe, nam nullo ſtirps regia deſinet æuo.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.
Nec SOPhiæ mater clara ELIſabeta relinqui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Plane indicta poteſt: decus ELISAbeta mariti
Eximium: pietatis amans, cultusq; verendi
Numinis: ingenio prior omnibus heroinis,
Quas vel noſtra tulit, vel poſtera proferet ætas.
Nam quæ ſit morum grauitas, prudentia quanta,
Atque adeo in cunctis ſolers induſtria rebus:
Hæc alio memoranda loco. ſalue inclyta, ſalue
ELISAbeta tui ſpecioſa corona mariti:
Et gentis tutela tuæ: virtutis amatrix:
Qua viua iniectos ſcelerata licentia frenos
Sentiet impatiens: & diſciplina feroces
Compeſcet: reddetq; bono ſua præmia ciui.
Salue iterum, tua te ſequitur pulcherrima proles,
Virtute, ingenio, bonitate, & moribus aureis.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.

Felix illa dies, & nox felicior illa,
DOROthea in thalamos regis qua ingreßa iugales
Te nobis FRIDErice dedit, gentiq; tuorum,
Et SOPhiæ inprimis noſtræ, cui fœdere iunctus
Perpetuo, donec tandem caput induat albam
Caniciem, viue ad ſeram ſine lite ſenectam.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.

Fortunata dies, nox fortunatior illa,
ELISAbeta ſuo qua felix iuncta marito,
Tam pulchram, illuſtrem, fortunatamq; puellam
Edidit in lucem, tibi quæ FRIDErice placeret,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Et thalami comes vna tui, vitæq́; beatæ,
Viueret innumeros tecum feliciter annos.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.
» Pace nihil melius, nihil exoptatius vſquam,
» Marte nihil peius, nihil exitioſius orbi eſt,
» Marte malo. nam ſunt gemini, quorum alter vbiq;
» Et hominum peſtis: patriæ populator: agrorum
» Pernicies: ſæpe innocuo quoq; ſanguine gaudens.
» Alter præſidium patriæ templisq́; focisq́;,
» Confugiumq́; bonis, infandi criminis vltor.
Hunc igitur FRIdericus amet, cum forte neceſſe eſt:
Illum auerſetur: quin pacis ad ocia pronus,
Exigat innocuam ſine cæde, & ſanguine vitam.
Nomine ſic rebusq́; ipſis, FRIDERICE, deinceps
Diues eris pacis, ſupremo diues honore.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.
» Regum illuſtre decus Sapientia dia Latinis,
Quæ Græcis Sophia eſt, rectæ rationis alumna:
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur
Cuncta videns: veriq́; vias penetrare laborans:
» Vnaq́; concedens felicis gaudia vitæ,
Si præſit populo monitis parere volenti.
Hanc SOPhiæ indicio ſemper FRIdericus amabit,
Et colet. à recti nunquam deflectere norma
Sic poterit: ſceptrumq́; ſuum ſine labe tenebit.
Sic poterit rex eſſe ſui, rex eſſe ſuorum.

Annue

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Annue clementi tædis Deus optime vultu.
Felices ambo, & felici ſidere nati,
Coniunctiq́; toris genialibus omine dextro.
Ipſa etenim cœli facies, & tempora veſtris
Arrident thalamis: quin veſtro mitis honori
Indulget natura parens, magnum aſpice ſolem,
Solem oculum mundi. nunquid non ſerius ille
Nunc oritur, citiusq́; ſuis ſeſe occulit vndis?
Vt diuturna feras felicis gaudia noctis.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.
Iam paßim reuireſcit humus beneolentibus herbis: Deſcriptio veris
In varios conuertuntur circum omnia flores:
Spicea ſerta gerens, atq; omnigeno prouentu,
Optima meßis adeſt: quam pleno copia cornu
Inſequitur: pulſata terit magna area fruges:
Atq; adeo in veſtros conſpirant omnia honores
Diuitijsq́; nouis veteres cumulare laborant.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.
Ergo tuam toto, flagrans, complectere corde
Rex SOPhiam, & ſignis gaude, ominibusq́; beatis.
Naturæ quæ lege ſoror tibi pæne fuiſſet,
Hanc tibi reginam tua rex FRIDErice voluntas
Conſortemq́; tori diuinæ copula legis,
Et commune genus iunxit, formæq́; venuſtas,
Atque amor inijciens nexas adamante cathenas.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.

Tu quoq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tu quoq; læta tuo, SOPHIA optatiſſima, rege,
Pone modum lachrymis, nec te iactura paternæ
Sollicitet gentis: non matris cura relictæ.
Hæc etiam regio patriam tibi præbet amicam:
Hîc ſtirpis pars ampla tuæ eſt, à matre vetuſtum
Vnde genus trahis: hîc ſeries longiſſima regum:
Maiores quos eſſe tuos rex ipſe fatetur,
Pæne tibi frater communis origine ſtirpis:
Quin etiam plus quàm frater mox deinde futurus,
Cum dare complexus, & blanda iterare licebit
Baſia, vel vero quod baſia vincat amore.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.

Lenta velut vitis ramoſas implicat vlmos;
Pampineaq́; coma, pictisq́; grauata racemis
Emicat, & cunctos iſtac oblectat euntes:
Sic tu nixa tuo, ſed ſuauis ſarcina, regi,
Progeniem caſti, ceu pignus amabile, lecti;
Quæq́; pudiciciam matris ſimili indicet ore;
Quæq́; ſit & vinclum, & teſtis communis amoris;
Diſcutiatq́; ſuo curarum nubila riſu;
Produces: regiq́; tuo, patriq́; voluptas,
Amborum ad ſeros extendes tempora canos.
Annue clementi tædis Deus optime vultu.

Sic Muſæ. & cum ſe perfunctas munere iuſſo,
Officijq́; ſui partes impleſſe putarent:
Submiſſo grauiter vultuq́;, & poplite flexo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Egreſſæ, liquêre domos, & regia tecta,
Quas deſiderium procerum haud vulgare ſecutum
Nec mora tranquillo è pelago Nereides almæ, (eſt.
Phocarum latis humeris dorſoq; ſedentes,
Lætiſonis cecinere modis: Tritones aduncis
Quin etiam conchis hymenæum ad lucida cœli
Sidera tollebant, miſſosq; ad ſidera plauſus.

Annue clementi tædis Deus optime vultu,
Et veluti thalamo rex & regina beato
Iunguntur: ſic cum Danis Germania vinclo
Vnita æterno, ſtabili coaleſcat amore.
Et quamuis mare fluctiuomis interſtrepat vndis:
Gentem vtramq; tamen concordia fœdere nectat
Vnanimi: quod nec ſæuo Mars turbidus enſe;
Nec fera ſeditio; nec opum væſana libido;
Non vlla annorum ſeries aut tempora ſoluant.

VOTVM ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ PRO FELICI NAVIGATIONE ET REDITV. ILL.MI VDALRICI DVCIS MEGAPOLITANI, Domini S. clementiſs.

SILVA II.

Effluit exactus plenis iam menſibus annus,
Cum, Sophia comitante, ſui rex optimus æui,
Rex Fridericus, herus Boreæ ſeptemq; trionum,
Rex Danaum, turma circum comitatus equeſtri
Nobilium iuuenum & procerum, Megalepolis arces
Inuiſit, ſoceri fido compulſus amore.
Nunc quoq; Varniadum dulces vbi flatibus vndæ
Criſpantur, ſalſiq; ineunt vada cœca profundi,
Magnus Vdalricus, ſtipatus flore ſuorum,
Vt generum ſocer inuiſat, teneroq; nepoti,
Aureolo in lucem partu quem regia mater,
In ſpem regnorum cœlo quibus imminet arctos,
Iam peperit, coram aſpiciat, coram oſcula figat.

Chriſte

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Chriſte potens tempeſtatum, ventiq́; mariſq́;
Vna qui fragiles conſeruas voce carinas,
Sæuaq́; ventoſi mulces diſcrimina ponti,
Da faciles naui curſus: Aquilonis iniqui
Vim cohibe, ſileant Cauri, ſe comprimat Eurus.
Vnicus hic Auſter ſatis eſt, ſi leniter afflet,
Et placidè expanſas velorum dirigat alas.
Ille igitur reliquis ſpiret ceßantibus vnus.
Tum locus eſt Boreæ, ſalua cum claſſe redibit
Heruleus princeps, hoc florentißimus æuo.
Tu quoq́; celſa ratis, noſtri cui pignus amoris,
Depoſitumq́; vno tantum concredimus ore,
Depoſitum, quo per tumidas precioſius vndas
Nil vexiſti vnquam, ſerua quod ſumis, & omnes
Incolumes Danaum felici in littore ſiſte:
Omnes incolumes turgentis ad oſtia Varni
Salua refer. ſic te certatim ambire natatu
Nereides properent: medijs tibi prænatet vndis
Remigij dux & claßis pia cura Palæmon.
Sed quid ego hæc fruſtra vatum ludibria Chriſto
Addictus repeto? potius te turba ſacrorum
Spirituum, aligerumq́; chorus circumdet, & arctè
Per mare ſtipatam ſperatis applicet oris.
Quas princeps vbi contigerit pulcherrimus heros:
Non nouus hoſpes erit, non plane incognita turba
Nobilium iuuenum. ſocerum gener obuius vlnis

Exci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Excipiet; regna patrem; rex paruulus ille
Flos Danaum arridebit auo, dextramq́; puſillam,
Sed magnam, ſed ſceptriferam quandoq́; futuram,
Porriget, & tacito mulcebit pectus amore.
Ipſa quoq; Eliſabetha Ducis pulcherrima coniunx,
Et ſoror & ſocrus regum, regiſq́; tenelli
Nunc auia, aducto duplicabit vera marito
Gaudia. Germani proceres Danaiq́; coibunt,
Atque vna veteris renouabunt fœdus amoris.
Certabuntq́; vnà officijs, ſtudijſq́; benignis.
Cognataſq́; olim terras, genteſq́; propinquas
Sic vnam facient animis curaq́; fideli,
Vt ſeros eadem maneat quoque cura nepotes.
O regum caput & rector, rex vnice regum,
Accipe vota, quibus claſſem procerumq́; Duciſq́;,
Quo ſine nil dulce eſt patriæ, nec amabile Muſis,
Inſequor, & regem tenerum, regiſq́; parentes
Commendo ſuperis. ſic omnia Chriſte guberna,
Sic animos, ſic corda virûm moderare ducumq́;,
Cernat vt optatum tam læta profectio finem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

NATALIS FRIDERICI II.
populorum Septemtrionalium Regis potentiſs.

SILVA III.

NAtali FRIDERice tuo, Rex optime mundi
Arctoi, ſeptemq́; adeo rex ſumme trionum,
Regibus & genite, & reges geniture nepotes,
Iuliades ſeſe tollunt celebrantq́; calendæ.
His etenim in Cimbris olim te regia mater
DOROthea in lucem aureolo dedit aurea partu.
Te pater à Chriſto memorabile nomen adeptus,
A teneris artes belli paciſq́; tenere
Edocuit, puræ cum relligionis amore,
Nunc etiam quibus haud cedis maioribus vllis,
Exæquas alios, haud paucos denique reges
Exſuperas etiam. nam quantum bellica virtus
Extulerit nomenq́; tuum laudeſq́; tuorum, (tur,
Turmæ equitum, peditumq́; manus, claſſeſq́; loquũ-
Et mare, tormenta, & ſcopuli mutæq́; natantes,
Et tibi quæ palmæ ramum victoria tendit,
Imponitq́; ſacris oleagna ſerta capillis.
Accedunt artes pacis, pia regula legum,
Cui rex ipſe ſubeſt: æquiſsima iudiciorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Integritas: neq; enim dubias extendere rixas
Vt nobis, licitum eſt Danais : actore reoq́;
Auditis quantum ſatis eſt, examine iuſto
Terminat exortas ſubito ſententia lites.
Quando alibi rabies venalis turgida linguæ
Partibus emunctis liti connectere litem
Callida, pro ſcelere hoc opibus cumulatur & auro
» Pro matrona etenim lupa iam, pro matre nouerca
» Facta eſt in multis Themis illa loquacula regnis.
Hic videas nullos de relligione tumultus,
Hoſpitium ſacris pandit læta Hafnia Muſis,
Hafnia doctorum ſedes & alumna virorum,
Tuta patrocinijs & florentiſſima tanti
Præſidio regis: largiſſima præmia doctis
Qui impendit cathedris, templis, dociliq́; iuuentæ
Mænalium meritis implens ingentibus orbem.
Sis felix, noſtrumq́; etiam FRIDErice laborem,
De quo ſex ſuperant, ſex præteriere libelli,
Auſpicijs defende tuis: ſic nominis illa
Gloria vera tui, per ſe notiſſima mundo,
Faſtorum quoq; veriloquis inſcripta libellis
Creſcet apud ſeros etiam celebranda nepotes.

Natus eſt Rex Sereniſs. Haderſlebiæ in Cimbris, Anno
M D XXXIV.

ILL.^MIS PRINCIPIB. ET DOMINIS, D. IO. ALBERTO, ET D. VDALRICO, Ducib. Megapolitanis. Principib. Vandalorum, Comitib. Suerini, DD. Roſtochij & Stargardiæ &c. Dominis ſuis clementiſsimis.

ΕΠΙΒΑΤΗΡΙΟΝ.

SILVA IIII.

ERGO dies gemitu toties optata fideli
Tandem aderit, qua confectam tot cladibus vrbem
Magnanimi virtute duces proceresq́; reuiſent,
Speratæq́; diu ſanctiſsima fœdera pacis
Auſpicijs firmare nouis, certamq́; quietem
Incipient iterum patrijs inducere terris.
Naſcere, quid ceſſas? properans age lucifer almam
Tot votis precibusq́; diem tam ſæpe petitam:
Naſcere, & hibernæ quamuis vix frigora brumæ
Deſierint, hiemisq́; niues metuamus aquoſæ;
Attamen hanc vnam iucunda luce ſerenam
Effulgere diem fas ſit: iam murmuris auræ

Ventoſi ſileant, ſtratum cadat æquor, ut ortus
Mundi oculus purum ſine nube perambulet orbem.
Hæc illa eſt, hæc illa dies, quæ candida pacis
Gaudia confirmans ſtabilit, belliq́; labores
Et lites placidè noſtris exterminat agris,
Mutat & Aönijs lituorum claſsica plectris.
Hæc illa eſt, hæc illa dies, optata reducens
Tempora. iam fauſti incipient procedere menſes,
Iam mare nauigijs rurſum tentare, priores
Iam merces mutare licet, iam tollere muri
Rudera, iam tutos telluri infindere ſulcos.
Accepti iam ſi qua mali ſcintilla ſuperſit,
Obruta ſollicita patriam formidine ſoluet,
Vnanimiq́; dabit lætentur vt omnia plauſu.
Hæc illa eſt, hæc illa dies, qua gratior vrbi
Huic nondum Oceani genialibus exijt vndis,
Natali proprio quæ carior omnibus, vnà
Inter erythræo feſtas ſignanda lapillo eſt.
Scilicet vt quondam ventis turbantibus æquor,
Cum ſimul horrifico fremeret cœlum omne tumultu,
Nauta animi trepidabat inops dubiusq́; futuri:
Sed ſimul aſpiceret nitidas dextro omine flammas
Tyndaridum lucere mari; iam lætior atras
Pellebat curas animo: non inſcius vndas
Iam ſterni, ventosq́; minis deſiſtere, nubes
Diffugere, & ſtellas cœlo prodire ſereno:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic hodie nobis peracerbo turbine dudum
Iactatis, fratrum naſcetur amabile ſidus,
Tergeminum ſidus, cuius fulgore tenebræ
Mœſtitiæ luctusq́; cadent, Bellona flagellum
Contrahet, exitioſa Hecate geſtamina condet,
Lætaq́; ſublatis aderit Concordia palmis.
Varne quid antiquos ſtellarum ſuſpicis ortus?
En hodie noua Tyndaridum tibi ſidera ſurgent,
Sydera fauſta magis, quam vel nimboſus Orion:
Vel piger Arctophylax, vel Caßiopea cometæ
Infamis radio. non hæc tibi ſidera clades,
Non imbres tibi portendunt, non æquoris æſtu
Luctantes ventos tempeſtatesq́; ſonoras:
Sed cœlum nebulis purum, ſed lumina ſolis
Aurea, & optatam Borea ceßante quietem.
His tibi placatis, roſeos ſpirabis odores,
Naſcenturq́; tuæ flores in margine ripæ,
Hinc Muſæ plenis texent tibi ſerta quaſillis.
Quosq́; alis herboſo niueos in flumine cycnos
Dulce canent, Varniq́; ferent ad ſidera nomen.
Ite coronati ſtipatoq́; agmine ciues,
Ite magiſtratus, plaudentes ite Camœnæ.
En vobis, lapidem ad primum lapidemúe ſecundum,
Obuia procedent tam candida ſidera, lucis
Quin etiam fulgore nouo cum mœnibus vrbem
Mox illuſtrabunt totis radiantia vicis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sit bonus & fœlix vrbi, temploq́; ſociſq́;,
Tyndaridum nouus hic optati temporis ortus:
Quos circum Iuno ipſa micat, micat aurea Pallas,
Pluraq́; conſpicuis iuuenilia ſidera flammis.
Illorum aſpectu vis & furor impius vrbe
Excedant, dent bella locum, diſcordia demens
Exulet & miſeros ſeducens factio ciues.
Incipiat rerum ordo nouus, noua tempora ſurgant.
Hic ſedem Eunomie figat, comitata ſorore
Aſtræa, priſcaq́; Fide; pax optima rerum,
Et bene latarum prompta obſeruantia legum,
Quin etiam pudor, atq; auro magis aurea virtus
Hic habitent, cumulentq́; ſuis noua ſecula donis.
„ Hæ ſunt aureolæ Themidis natæ: vrbibus illæ
„ Si præſint, vel prima locent fundamina rerum;
„ Non his conſilium deerit, non rebus egenis
„ Auxilium, ſed largifluo bona copia cœlo
„ Appluet, & lætos hilarabunt gaudia vultus.
Has ipſas, ô Arctoa Rhodos, tibi ſidera mittunt
Iam tua, tu modo pande manus, vultuq́; ſereno
Excipe tam fauſtas hac ipſa luce ſorores.
Exceptaſq́; foue cupidis amplexibus, illæ
Vt poſthac nunquam offenſæ tua tecta relinquant.
Voce etiam gemituq́; pio ſine fine precare,
Vt diuturna micent iſto tibi ſidera cœlo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

POMPA SPLENDIDIDISSIMI, IN VRBEM SVAM ROSTOCHIUM, poſt felicem controuerſiarum tranſactionem, ingreſſus, Illuſtriſſ. IOAN. ALBERTI & VDALRICI FRM. Princip. Megap.

SILVA V.

CVM ſubit illius pulcherrima lucis imago.
Diſcidijs qua compoſitis, & pace reducta,
Herulei ſubiere duces proceresq́; Roſeti
Mœnia clara ſui, longa comitante caterua:
Tum poſitis animo curis, cor emicat intus
Lætitia, ſaliuntq́; imis mihi pectora fibris.
Hæc eſt illa dies tam lætæ conſcia pompæ,
Quæ tam fauſta dedit doctis præconia Muſis,
Quæ tam grata bono retulit ſpectacula ciui,
Quæ patriæ inſolito ſuperauit vota nitore.
Hanc ego dum feſtis conor celebrare camœnis,
O celebres bonitate Duces, par nobile fratrum,
Aſpirate meo geniali fronte labori.
Omina fauſta cano, quæ mox annalibus addet
Forte aliquis, patriæ cui geſta negocia curæ.
Iam prope lux aderat febru is octaua Latinis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tanto operi iam dicta olim, cum pacta coirent
Fœdera: tunc igitur patriæ duo lumina fratres,
Ductor Ioannes Albertus, & alter ab illo
Vlricus, quiq; his comitem ſe iunxerat imæ
Franciſcus Dux Saxoniæ, concordibus vltrò
Conuenere animis, vbi quondam Vandala pubes
A bonitate loci Doberanum nomine dixit.
Hic coiêre etiam tota regione vocati
Heruleæ gentis proceres, equitesq́;, viriq́;
Illuſtres vel conſilio, vel fortibus armis,
Lætitiæ ceu conſortes tantiq; triumphi.
Primo equidem aduerſis ventis hiberna tumebant
Aequora, murmur erat: non illa ſidera nocte
Conſpiceres, non mane orti pulcherrima ſolis
Lumina, cuncta niues, tenebræ, glaciesq́; replebant.
Sed ſimul ac campis exercitus iuit apertis,
Inſtructa de more acie, ventumq́; ſub vrbis
Conſpectum; en ſubito diſcordes prælia venti
Sedarunt: rapidum placidis mare conſtitit vndis:
Cum nebulis abiere niues: ſol aureus vltrò
Candidior, puro nitidum caput extulit axe,
Clarior & ſolito circum reſplenduit aër.
Felices, quorum aduentu nebulaq́; niuesq́;,
Flabraq́; ventorum fugiunt: quos Cynthius ipſe,
Suauiter arridens, de cœli reſpicit arce!
Fallor? an & nubes, ſimili ratione modoq́;,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Triſtitiæ luctusq́; cadent; diſcordia veſtro
Aſpectu auffugiet; pax dudum optata redibit;
Exeret & cœlo placidos concordia vultus.
  Iamq́; propinquabant conſpectæ mœnib. vrbis,
Cum ſubito ardeſcens imitata tonitrua cœli
Machina, terribiliq́; æthram caligne replens,
Ter bona ſigna dedit. conſiſtunt ordine longo
Hinc atq; hinc iuuenes, ſclopos ferrumq́; tenentes.
Inq́; foro innumeri ciues, quo quemq́; vocabat
Signifer, armata læti coiere phalange,
Haud equidem ſecus inſtructi, quàm ſi aſpera Martis
Pugna vocet, læti interea, iam fœdere bellum
Componi optato, & ducibus præeuntibus almam
Ceu poſtliminio pacem Chariteſq́; reduci.
Loricis humeri, galeis capita ardua fulgent,
Haſtarum exurgit toto ſeges horrida campo.
  Nec minus Aönidum cultrix Academia ceßat
Grata ſuos animo læto expectare patronos.
Ergo foro ſtudioſa cohors collecta Latino,
Rectores comitata ſuos, comitata magiſtros,
Conſiſtit placidè, toto longo agmine vico,
Exceptura Duces vultu geſtuq́; decoro.
Interea turma Herulidum, terniq́; caballis
Procedunt geſtati equites, terniq́; ſequuntur,
Paulatim augeſcit ſeries, numeroſaq́; plenis
Agmina ſe fundunt portis, tuba ductilis edit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Barbaricos inflata ſonos, lituusq́; remugit.
Pone ſequebantur canis meritisq́; verendi
Magnatum lecti proceres, ſummusq́; ſenatus,
Cui patriam vel conſilijs, vel voce diſerta,
Aut opibus ſtrictoue labor defendere ferro,
Sublimes in equis omnes, auroq́; coruſci,
Nobilitate omnes illuſtri, & ſtirpis auitæ
Nominibus celebres. Hanios hic cernere poſſes,
Hic Ribios, hic Belouios, hic deniq; Pleßos,
Hic Halberſtadios, hic Cruſos, & Beroneſtos.
Baßuicios tibi quid memorem, fortesq́; Lyæos?
Quid Prenios, quid Bulouios, quid deniq; Linſtas?
Quidue Vuagerbardos, Crammonos, Luzouiosq́;?
Quid reliquos memorem? quorum vix verſib. apta
Pæne tremenda ſono ſunt nomina: conijce forti
Quid dextra in bellis animoſo & robore poßint.
Hic quoq; tergeminos efflabat buccina bombos:
Tundentes alij, ſtrepero cum murmure, aheno
Prætenſas tauri exuuias, cœlum omne replebant
Ictibus in numerum reſonis, mixtoq́; boatu.
Haud ſecus Aeneæ ſocijs Miſene ſolebas
Aere ciere animos, pugnamq́; accendere cantu.
Mox veluti delecta cohors prætoria, pubes
Nobilium inceßit iuuenum, comitata magiſtros
Ductoresq́; ſuos, animoſæ robora gentis.
Ecquis enim ſternacis equi per deuia ſaxa

Terga premat melius? melius calcaribus armos
Quis ſodiat? celeremúe arcto compeſcere freno,
Ad curſum aut laxis ſciat inuitare lupatis?

Hic tandem ſubiere, velut tria ſidera cœli,
Illuſtres ſplendore Duces, capita alta ferentes.
Dexter erat, longéq; alios ſupereminet omnes
Vlricus, tantum egregio decus enitet ore.
Ad læuam Franciſcus erat, ceu pulcher Iulus.
Hos inter medius validis moderator habenis,
Ceu ſenior, cuiq; hi merito debentur honores,
Ibat Iohannes Albertus, amabilis heros,
Cum fratre Herulidum noſtro dux inclytus æuo.
Inceſſere vna vultuq; & fronte ſerena
Heruleæ flos & robur commune iuuentæ.

Mox adſunt claræ virtutibus heroinæ,
Quadrijugus ſonipes quos curru inuexit aperto.
Prima eſt Anna decens Sophiæ cognominē nota,
Alberto patre Prußiacis olim edita terris,
Nunc coniunx materq; ducum quos Balthica Thetys
Suſpicit, & roſeis Varnus veneratur ab vndis.

Aßidet Eliſabeta illi, ſoror inclyta regis
Danorum, à Chriſto qui nominis omine gaudet,
Heruleiq; ducis conſors, materq; venuſta
Reginæ Sophiæ, vxorem quam tempore noſtro
Rex habet, & regum placidam quam poſtmodo ma-
Læta ſalutabit feſtiuo Dania plauſu. (trem

Hinc

Hinc quadriga alia præſtanti corpore nymphas
Omnes egregia natas de ſtirpe videres,
Inſignes vultu roſeo geſtuq́; decoras.
Atq; ita cum longè comitum proceſſerat ordo,
Seruorumq́; equitumq́; phalanx poſtrema ſecuta eſt,
Et numeroſam aciem condenſato agmine clauſit.
Talis erat rerum facies, hoc ordine, longa
Inceſſêre via, mediam quæ diuidit vrbem,
Hinc equidem à dextra, Muſarum et pacis alumnis,
A læua cincti ſpecioſa ferentibus arma.
Haud ſecus armipotens cœlum-ingreſſurus Orion,
Primum inſigne caput, nitidosq́; ex æquore vultus
Exerit, hinc humeri ſubeunt, & pectus honeſtum.
Baltheus inde tribus radians vno ordine gemmis
Procedit, qua parte ſui pulcherrimus, ignes
Offuſcat reliquos: gladiusq́; pedesq́; ſequuntur,
Paulatim donec magno porrectus Olympo
Ingreditur rutilans, & toto corpore ſupra eſt.
Aſtra minora latent, dubijs aut ignibus ardent.
Non aliter quacunq; Duces prodire videres,
Nubila diffugiunt, ſubito lux clarior orta
Emicat, hinc atq; hinc Charites glomerantur, & iræ
Inſcia ſublatis plaudit Concordia palmis.
Quin ipſæ Aonides tranquillæ pacis alumnæ
Exſultant, fugiunt rixæ, vis improba languet,
Muſſat Eris, Bellona latet, Mars impius vltrò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Exulat, antiquis cedit diſcordia regnis.
Hæc videt, obtutuq́; hæret defixus in vno
Hinc illinc populus. quin ſeſe explere tuendo
Iam nequit, ardenti declarans gaudia vultu,
Progreßosq́; duces oculis animisq́; ſecutus,
Proſequitur tacitè mißis ad ſidera votis.
Iamq́; iter emenſi greſſus in tecta ferebant
Illuſtres bonitate duces: iam diffluit agmen,
Limina dum ſua quisq́; petit. longo ordine ciues
Inde etiam armati coëunt, tormentaq́; primo
Diſplodunt momento vno ſimul omnia, magnus
Exoritur fragor, & ſtrepitu quaßa intonat æthra.
Hinc directa acie volitantia ſigna ſecuti,
Circumeunt, complentq́; forum fulgentibus armis,
Inq́; globum ſeſe agglomerant, repetuntq́; penates
Quisq́; ſuos, ſonituq́; viæ plauſuq́; fremebant.
Iamq́; duces tecta ingreſſos comitante ſenatu
Expectans orator adeſt, cui copia fandi
Cum facta eſt, breuiter communi totius vrbis
Nomine lætitiam expoſuit, quod ſidere dextro
Iam ſpectare duces patriæ patresq́; liceret
Clementes rurſum: nihil illis triſte receptis.
Optauitq́; adeo, cœleſti vt munere pacta
Fœdera perpetuos nunquam rumpantur in annos,
Seq́; omni obſequio & ſumma pietate deinceps
Facturos ea promiſit, quæ iuris & æqui

Poſtulet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Poſtulet imperium. ſed nec diffidere, quin iam
Clementes animos, vrbisq́; in commoda pronos
Induerint ipſi, & patriæ prodeſſe paratos.
Lætitiæ quoq; ſigna ſuæ tunc edidit ipſe
Gymnaſij rector lectis comitatus amicis,
Palladijq́; ſacri Phœbo Muſisq́; ſalutem
Commendans fideiq́; ducum curæq́; paternæ,
Impoſuit finem breuibus pro tempore dictis.
Hos, pro ſeſe eadem, vel non diuerſa, petentes
Diuerſis tamen alloquijs, nec tempore eodem,
Læta iubent victo, fratres, ſperare timore
Erectis animis. etenim ſuccurrere feſſis
Se cupere, auxilijsq́; ſuis opibusq́; iuuare
Templa, vrbem, Muſasq́; ipſas; pro virib. omni
Tempore quo vigeant, & læto flore fruantur.
His dictis redeunt illi. mox cœna paratur
Splendida, qua functi, nocturno membra cubili
Componunt, feſſos placidus ſopor occupat artus.
Poſtera lux aderat, radijsq́; retexerat orbem
Cynthius, & flexu hiberno iam celſior ibat.
Ergo duces progreſſuros ad limina primi
Herulidum expectant proceres, iuuenumq́; corona
Stat ſonipes manditq́; labro ſpumante lupatos.
Septenis domus exurgens ad ſidera pinnis
Ad commune fori latus eſt, pleniſſima curis
Curia, primorum quam tùm præeunte ſenatu

Conſcen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Conſcendere duces, celſisq́; hinc inde feneſtris
Conſpicui aſtiterunt; effuſis vndiq; turbis
Omnia complentur. longa cum veſte Senatus
Conſpiciendus adeſt. cupidas quiſq; arrigit aures.
Hic vice mandatoq; Ducum cultiſſimus auctor
Dicendi Huſanus placidè ſic ora reſoluit.

Quandoquidem non ignorat pars maxima ve-
O ciues, populiq; adeo qui nota tenetis (ſtrum,
Frena ſenatores, qua conditione modoq;
Vos inter, veſtroſq; duces, dominoſq; perennes,
Litibus inciſis, pax ſit decreta ſalubris,
Perpetuo nexu, quam vis percellere nulla
Audeat, ad ſeros iam nunc firmanda nepotes:
Propterea vnanimes lapſis expoſcite rebus
Submiſſè veniam, quo propugnacula valli,
Præſidijq; minas, ruptæ quæ mœnibus vrbis
Incubuere diu, iam concedentibus vltrò
Principibus veſtris, felici ſidere, fas ſit
Deijcere, & veteres alio transferre colonos.

Dixerat. hic contra legum iuriſq; peritus
Suauiloquus Borcholtus ait. Vos culmina gentis
Heruleæ, patriæq; patres, dominoſq; perennes,
Vrbs, populus, totaq; adeo cum plebe ſenatus
Submiſſè, precibuſq; rogat de pectore fuſis,
Vt vaſtam hanc molem, vobis mandantib. vrbi
Impoſitam, demoliri, poſt condita pacis

Fœdera,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Fœdera, iam liceat, lapſosq́; extollere muros.
Præterea ſi quo errato lapſuúe, vel vrbis
Ipſe magiſtratus, vel ciues offenderunt
Vos dominos patresq́; ſuos, vt ſcilicet illam
Offenſam ex animo placidè eijciatis amico.
Sic ciues, totaq́; ſimul cum plebe ſenatus
Per genium, dextramq́; ſuam, promittere ſanctè
Non dubitant, ſe perpetua pietate deinceps
Perpetuaq́; fide, ratione & iuris & æqui,
Principibus parere ſuis, cunctasq́; cauere
Offenſas cupere, & ſimiles auertere caſus.

Hos contra Huſanus, non aſpernanda precantes,
Mandato monituq́; Ducum, vultuq́; ſereno,
Proſequitur venia, verbisq́; hæc inſuper addit.

O ciues, cum placatæ tàm fauſta procellæ
Fortuna aſpiret, curisq́; hæc gaudia veſtris
Miſcuerint ſuperi: memores hoc nomine grates
Dicite, & vnanimes in publica commoda proni
Pacis amatores eſtote, & fœderis icti,
Veſtrorumq́; ducum, qui vos patriamq́; tuentur,
Cultores fidi. quo res diſcordia ducat
Ciuilis non ignari, veterumq́; malorum.
Sic qui pacis amor Deus eſt, iam numine dextro
Aſpiciet propius veſtros hoc tempore caſus.
Cura erit & ducibus, ne vos certaſſe priores
Pœniteat ſtudijs fida de mente profectis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quin tutos vos auxilijs opibusq; iuuabunt,
Et quid veſtra ſalus, quid publica commoda poſcant
Proſpicient, ſceptrisq; tegent fœlicibus vrbem.
Vt ſic perpetuo vigeat concordia flore.
Sic ait. exoritur lætus toto agmine plauſus,
Nec mora cycnæus maiori flumine lymphas
Varnus agit, lætamq; celer circumfluus vrbem,
Arctoos vbi fortis habet Germania fines,
Exultat, ſe nobilibus conferre deinceps
Fluminibus meditans. ſalſis Tritones in vndis
Inter inauditos arguto gutture olores
Dulce canunt, pacisq; ferunt ſuper æthera nomen.
Lætantur, medijsq; agitant conuiuia tectis
Cum ducibus proceres patriæq; vrbisq; Lycæiq;.
Vnanimes, verbis faciles, vultuq; ſereni.
Atq; ita protractis tam longo tempore turbis,
Auxilio nutuq; Dei, fœlicibus vrbis
Et patriæ auſpicijs, optatus deniq; finis
Impoſitus, læto mutauit triſtia plauſu,
Soli ſit laus ſumma Deo, ſit gloria ſoli.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

ΣΩΤΗΡΙΑ

AD VDALRICVM DVCEM MEGAPOLITANUM, Principem Illuſtriſ. cum ſaluus & incolumis ex longinqua peregrinatione ad ſuos rediret.

SILVA VI.

PHœbus vt immenſum diffuſo lumine mundum
Viuificat, radijsq́; fouet; quo rurſus adempto
Omnia muta ſilent, ſolito priuata vigore:
Sic patriæ pater, & princeps, vbi numine præſens
Dexter adeſt populis quos dextra & iure tuetur;
Omnia læta vigent, & lumen amabile cunctis
Effulget ſplendetq́; locis: ſi deſerat idem;
Omnia nox operit, mortiq́; ſimillimus aulam
Torpor habet, ſqualent pigro latè omnia luctu.
In patrias igitur felici ſidere terras
Dum populi optatus votis, dux magne reuertis:
Lætior ardenti reſpublica gaudia corde
Concipit, inq́; nouos animo exultante triumphos
Soluitur, vt patriæ patrem dominumq́; reuerſum
Aſpicit, & pulſis hilari de pectore curis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Lætitiam ſentit veram, victoq́; dolore,
Hos animo reditus læto teſtatur & ore.
Ecquis ab Eoo tam candidus orbe lapillus,
Aut tanto candore micans ſeſe obtulit vnquam
Margaris? vt merita queat huius munera lucis
Inſignire nota? ſtupidum cui frigore pectus
Vſq; adeo riget, vt toto non corde triumphos
Nunc agitet? cui quæſo manus torpedine tanta
Deprimitur, lætos vt non ad ſidera plauſus
Tollat, et hos patriæ tantos gratetur honores?
Sit procul à noſtris leuis aßentatio linguis:
Futilitas ſit vana procul: non auribus vltro
Illa tuis dux magne damus: tua maxima virtus,
Humanæ non vocis eget, nec clarior eſſe
Alterius ſermone poteſt, fulgoribus ipſa
Sic alios ſuperáns, vt Phœbi lumina noctem.
Hos pietas nobis plauſus, has publica voces
Lætitia, officiumq́; mouent: hæc pectore vota
Exprimit alma Fides, & inexpugnabilis ardor,
Quo patriæ gens tota tuæ tibi dedita flagrat.
Illa vbi te ſolitas iam velle relinquere ſedes
Rumor erat: licet ante graui te pondere rerum
Prouida compelli ſciret; venerandaq́; Muſæ
Numina, nota quibus varijs quæ geſta ſub oris,
Non ignorarent tibi quanta negotia ſoli
Iam ſubeunda forent: lachrymis tamen illa profuſis;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hæ ſcißis plangore comis, noua ſigna dederunt
Triſtitiæ luctusq; ſui; tantusq; doloris
Ardor erat, vix vt cœptis conatibus ægrè
Aßenſæ, heu nimio complerent omnia queſtu.
Tunc etiam pulcros inter pulcerrimus ipſe,
Cum pede magnanimi vectus trepidante caballi,
Agmine nobilium pulcrè comitatus abires:
Patria, ſingultu cœptas rumpente querelas,
Talibus eſt tacitos animi teſtata dolores:
Quæ mea culpa tuam vertit dux optime mentem?
Quod ſcelus? an patria ſecurus abeſſe relicta
Care potes? quæ cura mei prior eſſe ſolebat,
An plane in tenues fugiens euanuit auras?
Cur via tanta placet? cur me ſic inclyte princeps
Deſeris? hybernæ non te crudelia brumæ
Frigora, bellorum nec ſæua pericula terrent?
O vtinam comes eſſe tibi conſorsq; laborum
Magne queam princeps! non me vel murmura ponti,
Ventorumúe minæ, non nubibus auſter aquoſis
Terrerent, ego prima viæ diſcrimina fortis
Aggrederer: tu me tutus ſequerere, tibiq;
Nulla profecturo vis aut fortuna noceret.
Sed quid inutilibus tempus conſumo querelis?
Quod ſuperi voluere volens, dimittere curſus
Non potes incœptos; in partem adhibere pericli,
Nec me credo voles. ergo quod de omnibus vnum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Iam ſupereſt, tibi fauſta precor, curſusq́; ſecundos.
Teq́; reuerſurum (quæuis mora lædit amantes)
Feſtino celeriq́; gradu, mens anxia luctu
Credit, & ardentes ſperando nutrit amores.
Non ego tuta ſatis, cum te deſidero princeps.
Non ego læta ſatis: tu tu mihi gaudia ſolus
Vera moues, tu vita mihi, tu certa quietis
Ancora, tu nobis, quod mens in corpore, præſtas.
Te viuo præſente libens, te abſente relinquor
Exanimis, cœliq́; piget conuexa tueri.
Sic fata ingemuit, lachrymasq́; effudit inanes.

Nec minus ipſe animo princeps diuine moueris.
Te populi ſincerus amor, mitisq́; voluntas,
Mutuaq́; ardenti ſtimulant incendia corde.
Sed neq; ſuſceptos ſinit intermittere curſus
Officij te cura tui: nec rebus agendis
Nata manus, virtusq́; animi ſubterfugit vnquam
Grandia pro patria ſufferre pericula gente.
Attamen abſentem populus, doctæq́; ſorores
Sic gemitu fleuere pio: ſic thura ſubinde
Impoſuere aris: ſuperis ſic vota dederunt
Pro reditu Dux alme tuo: maioribus olim
Vt ſtudijs non Roma duos ad bella profectos
Scipiadas, aut Æmilium cui Perſea captum
Debuit, expectare ſuo conſueuerit æuo.
Ah lauro quoties poſita diuinus Apollo,

Incuſans abituſq; tuos, lentoſq; recurſus,
Fundere Varniadum lacrymabile carmen ad vndas
Audijt, & mœſtas ſic ora reſoluere Muſas.
O nimium ſecure tui gregis, optime princeps!
Cur adeo cur lentus abes, ceſſaſq; reuerti?
Cur oculos peregrina tuos ſine fine morantur
Oppida? nec ſentis hoc quam mihi tempore ſegnes
Prorepant tardiq; dies: quam deſide curru
Inuitis & Phœbus equis ſeſe æquore condat:
Vt geminæ noctes, ſolitoq; ignauius horæ,
Ipſe & cum ſtellis lentè voluatur Olympus.
Ah quoties nimio forſan compulſa dolore,
Deuoueo longaſq; vias, cauſaſq; morandi,
Accuſo & vario tam multa negotia queſtu!
Ah quoties numero tardi momenta diei!
Inuideoq; alijs, qui te pulcerrime princeps
Aſpiciunt, vultuſq; tui ſplendore fruuntur,
Et menſes ſegni labentes increpo curſu!
Quando erit? incolumis noſtro quo redditus orbi
Gaudiaq;, & plauſus tecum ventura reducas?
Nil ego nil prorſus lætum nec amabile quidquam,
Dum tu lentus abes, cecini: verſuq; coacto
Sæpe reluctantes ad triſtia carmina neruos
Intendi, & quæcunq; agerem lacrymoſa fuerunt.
Mollia quamprimum nobis te fata reducent,
En ego læta canam, pectuſq; virile reſumens,

Carmina tum facili modulabor ad æthera cantu.
Ergo redi, Dux alme redi, tu portus & aura,
Tu mihi certa quies, nihil eſt te triſte recepto.
Talibus atq; alijs, mites Heliconis alumnæ,
Impatiensq́; moræ Pietas, te maxime princeps
Allicere, & ſolitis voluerunt reddere terris.
Et magis, vt fatear, de te reditu q́; tuorum,
Patria ſincero lacrymans fuit anxia luctu;
Quam tu de te ipſo; tantus te pectoris ardor
Magnanimi, fortisq́; manus compellit, vt omnia
Inferiora putes, altoq́; pericula cordis
Robore deſpiciens, fortunæ incommoda vincas.
Ecce ſed optatus reficit mihi nuncius aures,
Qui tandem rediјſſe tuis te prædicat. ô Dux
Expectate diu, qua te iam voce, quibusq́;
Laudibus excipiam? tacitum quo cordis amorem
Eloquio teſter? neq; enim ſua gaudia pectus
Iam capit, ad iuſtos deſunt mihi brachia plauſus.
Salue feſta dies, ſalue ô clariſſime princeps,
Qui tot læta ſimul cumulo mihi congeris vno;
Omnia præteritæ renouas qui gaudia vitæ:
Cum procul hinc aberas, lacrymis perfuſa madebant
Omnia, & obſcuro Muſæ ſqualore ſilebant.
Mox vt ſaluus ades, mirum, ridere videntur
Omnia, lætificos & ad æthera tollere cantus.
Non aliter peregrè patrijs abiturus ab oris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

» *Dilectus genitor, prolem paruosq; nepotes*
» *Sollicitos, multa ipſe timens, mœſtusq; relinquit.*
Viſit & à noſtro ſciunctos orbe Britannos,
Fluctibus & rapidis credens ſua corpora ventis.
Interea nati triſtes, deſertaq; coniunx
Computat in reditum patris noctesq; diesq;,
Votaq; fert ſuperis mixto cumulata timore.
Aſt vbi confectis rebus, victoq; periclo
Se genitor patrias recipit ſperatus in oras,
Et paruam ſobolem poſt tempora tanta reuiſit:
Illico cor facili ſaliens ad iubila motu,
Lætitiæ dat ſigna nouæ, vultu, ore, manuq;,
Tergemino reſonat domus & vicinia plauſu.
O lux exoptata diu, lux aurea ſalue.
Salue iterum. tu quod pulſis è fronte tenebris,
Corde quod exactis noua ſentio gaudia curis,
Munus id omne tuum: tu me reficisq; fouesq;,
Tu facis vt ſaliant imis mihi pectora fibris.
Nunc ſacra marmoreas, nunc thura ferantur ad aras,
Victima nunc votiua Deo cadat, omine ſaluo
Is mihi te, domuiq; tuæ, patriæq; gementi
Reddidit. ô quis tam fauſtæ quis gaudia lucis
Enumerare ſatis, rerum pro pondere poßit!
Ipſe quidem dux alme vides ſplendeſcere cœlum
Clarius, & Phœbum inſolita ſua gaudia luce
Teſtari: exultare ſenes, accurrere ciues:

Matronas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Matronas, pueros, iuuenes, lætasq́; puellas:
Cunctaq́; te reducem vultu expectare ſereno.
At tibi ſi tales oculi, dux optime, dentur,
Corda quibus penetrare queas, imoq́; receßus
Pectore: dij quales riſus, quæ & quanta videres
Iubila, quos plauſus imis geſtire medullis!
Lingua deeſt animo, nec ſi mihi guttura centum,
Sexcentæúe manus, blandi aut vox Neſtoris eſſet,
Te celebrare ſatis, ſatis aut tibi plaudere poßem.
Quam me deſtituunt non apto tempore Muſæ!
Quam Maia genitus laudum ſplendore tuarum
Territus, hei ſubito nimium mea cœpta relinquit!
Non tanta magnes, regio quem Miſnica paßim
Et tellus Boiema fodit, vi fißile ferrum
Attrahit; vt populi mentem tua maxima virtus,
Mirus frontis honos, & amabilis allicit oris
Maieſtas. tu deliciæ, tu lumen, & ardens
Orbis amor patrij, tu ſpes certißima Phœbi,
Qui reliquis ſpretas hac tempeſtate camœnas,
Romulidas veteres imitans regesq́; potentes,
Euehis ad ſolidos, felix patronus, honores.
Illæ iterum tua facta canunt, tua nomina ſeræ
Commendant famæ. tali quoq; fœdere Muſas
Amphytrioniades olim ſibi iunxit, easq́;
Imbelles fortiq́; manu, clauaq́; trinodi
Et voluit ſumptis defendere belliger armis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

"Aonidas contra ſua facta celebria libris
"Reddere & æternis iuſsit committere ſeclis.
Ergo patrocinium doctarum mite ſororum
Cum bene ſuſceptum, nunquam clariſsime princeps
Abijcias, digno at ſemper tuearis honore:
Si vacat hos etiam clementi fronte libellos
Accipe, clementiq́; manu ſceptroq́; tuere.
Imperfecta quidem ſunt omnia, principe tanto
Nec ſat digna reor. medijs mea puppis in vndis
Errat adhuc, vix auſa vias ſperare ſecundas,
Aut ſibi felices certo promittere curſus.
Sed tua ſi bonitas vultu mihi prona ſereno
Fauerit, vt tuto pacata per æquora ferri
Noſtra carina queat, lætosq́; attingere portus:
Forſan & aura meos olim quoq; libera faſtos
Cernet, & ex illis etiam tua facta domusq́;
Nomen, & accipient æternæ munera famæ.
Ergo nouenarum ſpes & tutela ſororum
Vt viuat, valeatq́; diu pulcherrimus heros,
Perge precor Lacheſis niueo de ſtamine longa
Ducere fila manu, vitam ne principis vnquam
Nigra tenebroſo contriſtent licia rhombo.

FINIS.

SILVARVM LIBER SECVNDVS.

MEMORIAE ILLVST. DOROTHEÆ, Danorum Regis Friderici I. Filiæ: & Coniugis D. Chriſtophori Ducis Megap.

SILVA PRIMA.

NVncia fama meas poſtquam peruenit ad aures,
Doreothêæ obitum memorans, viduiq; mariti
Lamenta, & fratrum gemitus, lacrymasq; ſororis
Sidereæ: attonitus primo ſine mente ſonoq;
Dirigui penitus. quid enim, dum publicus omnes
Excruciat plangor facerem? numne vnus acerbo
Integer à luctu, nullos in corde dolores
Sentirem immitis? non ſunt ita ferrea nobis
Pectora, qui colimus faciles ante omnia Muſas:
Non animi vſq; adeò ingrati, Charis ipſa ſalubri
Quos alit ambroſia, quos ipſe informat Apollo.
Obſtupui fateor, nec enim pudet: inſuper idem

Confi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Confiteor, ſolitis me aptantem carmina plectris
Defeciſſe animo: cum nec conatibus eſſet
Æqua meis, quam præ reliquis conſtanter amaui
Melpomene, in noſtras quondam officioſa camœnas:
Nec ſolito flueret mihi vena operoſa liquore:
„ Neſcia ventoſos efflare ex tempore verſus:
„ Neſcia venalem inuitis obtrudere palpum:
„ Neſcia proſtibulis caſtas æquare puellas.
Ergò mihi dubio hæc melior ſententia viſa eſt,
Nil potius, quam ieiunè de funere tanto
Dicere, & ingenij culpa, nomenq́; decusq́;
Deterere eximiæ virtutibus heroinæ.
Id quod grande nefas veteres quandoq; putabant.
Hæc agitanti animo ambiguo, ſacer ille Machaon
Improuiſus adeſt, mihi qui mandata benigni
Principis exponit paucis pro tempore verbis:
Quîs ego, ceu ſubita afflatus, vi numinis, aura,
Senſi equidem inſolitum recreata in mente vigorem.
Ipſaq́; Melpomene, facili iam blandior ore,
Me vidit, præiensq́; ſuis mihi ſedula verbis,
Cunctanti & trepido, ſed non iniuſſa canenti,
Talibus ora modis, pridem expectata, reſoluit.
Sicnè igitur regum ſoboles pulcherrima, ſicnè
Dorcothêa iaces, longè formoſior olim
Flore roſæ; nunc afflatis pallentior aura
Brumali folijs: nec te ſanctiſſima vita,

Et pudor & probitas: ſed nec querimonia fratrum,
Vota viri, miſeranda piæ lamenta ſororis
Te poterant ſeruare tuis, & pellere mortem?
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Nympharum decus occubuit, quas Cimbrias ora,
Dania quas vaſto latè circumflua ponto,
Vandala quas tellus merito veneratur honore.
Scilicet huic veterum paucis virtute ſecundus
Rex genitor Fridericus erat, quem Balthica regna
Agnouere patrem, cui paruit vltima Thule.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Dorcothea iacet, dignam iſto nomine quæ ſe
Præſtitit, æterni regis ter nobile munus;
Cara ipſi, ſtudioſa viri, ſtudioſa ſuorum,
Munifica in tenues, & iniquæ ſortis egenos,
Imprimisq́; gregem miſerum, cui maluit omni
Prodeſſe officioſa modo; quàm ſponte nouorum
More tyrannorum laceram deglubere plebem.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Dorcothea iacet, ſoror illuſtriſsima fratrum,
Cimbriacæ qui ſceptra gerunt ſublimia gentis.
Conſpicui virtute duces, meritisq́; verendi.
Quos inter quis non primo dignetur honore
Heroëm, à Chriſto memorabile nomen habentem.
Heroëm, cuius nullo laus deſinet æuo,
Inclyta Mænaliam dum Dania ſurget ad arcton,

Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dum vaſto excipiet Boream Noruegia tractu,
Sulphurea horribili dum diffluet Hecla vlulatu,
His etenim rex iura dedit, pietatis amore
Eximius, patriæq; pater, columenq́; bonorum
Dictus, adhuc memori quorum ſub pectore viuit.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Dorothêa iacet, ſoror ornatiſsima cari
Fratris Ioannis, veteri virtute fideq́;
Qui celebris, populum lucroſa in pace gubernat,
Caniciéq; ſua & merito venerabilis ipſis
Regibus eſt, viridiq́; vigens crudaq́; ſenecta,
Exigit innocuam dux ſtrato in celibe vitam,
Vnis intentus precibus, patriæq; ſaluti.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Dorothêa iacet, ſoror inclyta fratris Adolphi,
Martigenæ herois, nulli virtute ſecundi:
Dorothêa iacet, ſoror optatiſsima votis
Eliſabeta tuis, quæ nunc quoq; veſtibus atris
Obſita, ſidereos lacrymis corrumpis ocellos,
Atq; incredibilem fers ægro in corde dolorem.
Quin tecum lugere facis, cum ciue colonos,
Inſignes vrbes, villas, rura, oppida, pagos,
Et populi tota cum nobilitate magiſtros,
Inſignesq́; aulæ proceres, Roſeiq́; Lycei
Doctores, iuueneſq́; pios, tecum ipſe maritus
Magnus Vdalricus mœſti dat ſigna doloris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Pullatus. ſed nec ſimilis tibi filia, felix
Arctoæ regna plagæ; ſed nec gener ipſe
Rex Fridericus, aui referens optabile nomen,
Abſiſtent lacrymis, communis tempore luctus.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Omnibus illa quidem lacrymabilis occidit vna,
Sed nulli lacrymabilior quàm compare tæda
Cui coniuncta fuit, cum quo, ſi fata dediſſent,
Exigere ætatem longæua in pace placebat.
Hic ille eſt dux Chriſtophorus, iuuenilibus annis
Integer, at miſerum celans ſub pectore vulnus:
Chriſtophorus Phœbo carus, Megalepolis Arcto
Quem vicina colit, votiſq; ardentibus optat,
Mutet vt omnigenos ducis in noua gaudia luctus.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Chriſtophori ducis occubuit cariſsima coniunx:
Dilectiq; vices fratris gemis optime princeps
Ioannes Alberte, tuis circumdate natis.
Heruleæ nec flos gentis dux Carolus ægro
Temperat à luctu, carum dum funera cernit
Ducere germanum, nihil eſt quo carius illi,
Nil optabilius, nil toto antiquius æuo.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Cimber & vndiſoni iam flebilis accola Varni
Quid ceſſas tepidos lacrymarum fundere riuos?
Doreothêa iacet quondam veſtra inclyta princeps.

Veſtrarum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Veſtrarum cuſtos domuum, tutela focorum,
Supplicibus facilis, cunctis venientibus æqua,
Fœminei generis decus, exemplumq́; perenne:
Ornamenta animi, atq; auro magis aurea virtus,
Quam priſcis fecere parem, multisq́; priorem.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Doreothêa iacet princeps noſtro optima ſeclo,
Iamq́; illi haud ſolito diffulgent labra rubore:
Clauſa ſupercilijs, quondam radiantia, torpent
Lumina: pallentes vigor omnis deſerit artus.
Quin illa moriente, ſimul moriuntur honores
Siluarum, terræq́; decus: ſcelerata pruina
Omnia deformat, glaciesq́; & nubila paßim
Regna tenent, tumidis inſurgit fluctibus æquor,
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Dum philomela ſilet, lugentq́; atrata columbæ
Funera, & Alcyones ſcopulos, & littora circum
Triſte ſonant, ſtagnisq́; imis ſe mergit hirundo,
Nec gemere arenti deſiſtit turtur ab orno.
Dum Delphin fugit, & luctu tabeſcit amaro,
Atq; imo Oceani plorant ſub gurgite phocæ.
Fundite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Flebilibusq́; choro nympharum hæc dicite verbis,
Nympharum, quæ veliuolæ pendentia Balthes
Pumice tecta tenent, lateq́; ſedilia complent
Vitrea, vbi rapido centum vndiq; flumina motu,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Centum amnes coëunt. hic illis dicite cycni,
Vt carmen, lugubre canant, miſerabile carmen
Vt repetant, iteremq́; adeò, quod mobilis aura
Differat in varias mundi quadruplicis oras.
Sed ſatis indultum eſt lacrymis, vehementior æquo "
Non debet dolor eſſe viri. nec luctibus illa "
Indiget, vſq; adeò ſanctè, placideq́; pieq́;
Quæ ſupremam animam poſuit, votisq́; profuſis
Ingemuit Chriſtum, cui verba nouiſsima dixit,
Et cui Chriſtus amor, Chriſtus decor, omnia Chri-
Siſtite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni. (ſtus.
Olim tempus erit, quod nec procul auguror eſſe,
Quando illa exuuijs, Chriſto donante, receptis,
Marmorei exibit gaudens è fornice clauſtri,
Cumq́; Deo æternas, non morti obnoxia, luces
Exiget, angelicæ par maieſtate cohorti.
Siſtite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
Scilicet vt riguas quæ complent lilia valles, "
Vt violæ, aut folijs vt Pæonis herba tenellis "
Intereunt brumæ aduentu, penitusq́; putreſcunt:
Verùm vbi ſol nouus exoritur, redijtq́; nouum ver,
Tum redeunt horti pulcherrima ſidera flores,
Amiſsumq́; decus telluri afflatur, vt illa
Iam nitidas ornata comas arrideat æthræ:
Haud aliter vacuis illata cadauera buſtis "
Non ſopor æternus, non mors æterna coërcet; "

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

» Iuſtitiæ cum ſole eadem quandoq; reſurgent
» Integra, & innatæ nil prorſus habentia labis.
» Vt mox perpetuæ ducant exordia vitæ.
Lux eadem raptam tibi reddet Dorcothêam,
Reſtituetq́; ſuis, qui reſtituentur & illi,
Vt pariter regno nunquam intereunte fruantur.
Siſtite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.
At tu Melpomene ante omnes mihi cara Camœnas,
Quæſo hæc, en lacrymis perfuſa meliſmata noſtris,
Sume tibi, lætaq́; manu vultuq́; tuere,
Et nebulas tenebrasq́; omnes à verſibus arce
Diua meis, rapidi ne filia temporis ætas,
Aut rubigo illos arrodat dente maligno,
Obducens laceris inopina obliuia chartis.
Fac potius tanti & tam clari pagina cuſtos
Nominis, vt vita ſine fine ſuperſtite viuat,
Atq; ita Dorcothêæ omnem laus impleat orbem.
Siſtite Varnigenæ lacrymoſa meliſmata cycni.

MEMORIÆ
ILL. ET OPT. PRINCIPIS,
DN. IOANNIS ALBERTI,
Ducis Megapolitani.
SILVA II.

ERGO ego perpetuas poſthac iterabo querelas
Regia fata gemens? ergo mihi carminis vna
Materies lachrymæ? ſat iam mea pectora, ſat iam

Exhauſtas maduiße genas oculosq́; rubentes
Credideram: cum Dorotheæ mœſtißima nuper
Funera ploraſſem: ſed enim conſtantia rebus
Quæ ſit in humanis, tenui quam pendula filo
Magnatum quoq; vita tremat, nutetq́; cadatq́;,
Hinc quoq; perſpicuum eſt. nuper dux optimus vnà
Dorotheæ exequijs aderat, ſanusq́; valensq́;:
Nunc iacet exanimis, tumuloq́; imponitur ipſe.
Hic tenor, hic curſus miſeri miſerabilis æui eſt.
Ergo Megalburgæ clarißima gloria gentis
Ioannes Alberte iaces, morboq́; grauatum
Nec pietas, nec te potuit pulcherrima virtus
Incolumem ſeruare tuis? nil vota piorum,
Nil caſtæ valuere preces, gemitusq́; profuſi?
Quin tecum nobis bona tot, bona tanta perirent.
Quid prius hic? quid poſterius? quid deniq; dicam?
Quid taceam, attonituſue querar? crudelia dicam
Sidera? crudeles Parcas? crudelia fata?
Quæ tantum rapuere decus columenq́; ſuorum.

Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Quando ego iam veſtris carmen lacrymabile ripis
Accino ſemianimis: veſtroq́; in margine mœſtum
Demittit Roſa mœſta caput: croceiq́; capilli
Languore areſcunt: & odor dilabitur omnis.
Largifluas quis enim lacrymas hoc tempore ſiſtat?
Dum princeps generoſa ducem, quem ardebat amore

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Mirifico, gemit, & tumulis iam condit auitis:
Quin fletu & lacrymis pæne exanimata, dolori
Succumbit, nulloq́; domat ſuſpiria fine.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ,
Dum proles animoſa ducis, duo lumina gentis
Heruleæ, veterumq́; ducum de ſtemmate flores
Magnanimi heroës, patrem fratremq́; profuſis
Deplorant lacrymis: dum maximus Vdalricus,
Iampridem veſtri conſtans defenſor honoris
Cum conſorte dolet: ſimul & Megalepolis omni
Dat lacrymas gemebunda loco: dum Balthicus ipſe
Murmurat Oceanus: dum concaua ſaxa querelas
Halcyonum reſonant: ſcopuliq́; in vertice cano
Neſcio quid queruli ingeminant lacrymabile mergi.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Occubuit bonus hic princeps, dux optimus ille,
Quem pietatis amor, præſtans doctrina fidesq́;,
Virtutumq́; decus cunctarum, & principe digni
Ornarunt laudum cumuli: quem docta lycea,
Templorumq́; ſacræ, quem cum doctore cathedræ
Patronum agnouere ſuum: quem muſicus ordo
Protectorem habuit: qui profuit omnibus vnus,
Et nulli, niſi forte ſibi bonitate manuq́;
Munifica, nocuit: tellus quem Vandala patrem,
Cuſtodem pacis placidum, populiq́; ſalutis
Deflet, & interitu tanti ne principis atræ
Immine-

Immineant clades, patriæ ſtudioſa, veretur.
    Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Nec ſtirpem celebrate ducis, ſat nobilis illa eſt,
Sat celebrata alijs. aliena encomia iactent, "
Propria quîs deſunt. non iſtas inclytus vmbras "
Gloriolæ, princeps, & quæ non geſſerat ipſe, "
Aut iuſto pluris facere, aut laudare ſolebat. "
Sed virtute ſua niti, & memorabile nomen "
Quærere præclarum vera ratione putabat. "
Ergo patre Alberto, matre infans editus Anna,
(Huic genitor Ioachimus erat, celeberrimus ille
Marchio, Cæſarei diadematis arbiter olim)
Muſarum eſt gremio exceptus, caſtæq; Mineruæ:
Vbera ei Pietas à primo præbuit ortu:
Ingeſſit manſum Bonitas: Clementia cuſtos
Adfuit à teneris: mouit Themis aurea cunas.
Indole cumq; adeo rara puerilibus annis
Conſpicuus foret; hæ pariter, velut agmine facto,
Erudiere animum varia virtute, ſuisq;
Quælibet hunc ſtuduit certatim extollere donis.
    Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille vbi floridulas prima lanugine malas
Texerat, Aönium Viadri conceſſit ad amnem,
Excolere ingenium, doctosq; audire paratus.
Non ignarus opes animi præſtare caducis "
Incertisq; bonis. ſæpe illum candida Phœbe "

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dum reliqui ludo indulgent, aut pocula ſiccant,
Inuigilare libris poſita de nocte lucerna
Vidit, & arcanos Sophiæ penetrare receßus.
Sæpe illum ſol eois paulo altior vndis,
Stertere dum multis melli eſt, perdiſcere vidit
Quidquid habent veterum hiſtoriæ, vel Tullius ille
Romani nitor eloquij: quem ſedulus hauſtim
Imbibit, huic ſtudio nec ſeris defuit annis.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Dilexêre omnes iuuenem hunc: tulit ille frequenter
Palladij Dux ſceptra chori. non inſcius illud
Teſtatur Viadrus, docti teſtantur ibidem,
Huic vltro qui iura ſui committere cœtus
Coniunctis voluere animis. qui dignior illo
Tum foret, in reliquis eſt nemo repertus, honore.
Interea pater, exemptus mortalibus oris,
Aſtra petit: legitur princeps in flore iuuentæ
Vnanimi voto, patrij ſucceßor honoris,
Egregius princeps, cuius modo funera fuſis
Proſequimur lacrymis. ergo ille vmbracula linquens
Muſarum, in lucem prodit, populiq; coronam,
Iampridem percepta vſu præſtare paratus.
" Sed grauia eſſe ſolent magnarum exordia rerum,
" Difficileſq; aditus primo ſurgentibus obſtant.
Ioannes Alberte tuos ſic turbida faſces
Tempeſtas primo excepit: Sphynx impia quando

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

INTERIm cum paſſim puræ pietatis honores,
Hic quoq; ſperatas cuperet ſibi figere ſedes.
Præterea Læſtrigoniæ vis dira cateruæ,
Iura ſibi quæ nata negat, quæq; arrogat armis
Omnia, turbabat crebris hæc arua rapinis,
Rara cöercebat cenſura aut pœna rebelles.
Dux igitur commiſſa ſibi cum ſceptra teneret,
Acriter his ſtuduit quamprimum occurrere monſtris.
Sphynx citius pulſa eſt, iſtas quam inuaderet oras:
Et qui iura alijs iampridem ſcripta putabant,
Non ſibi; legitimis faſces ſubmittere habenis
Compulſi ſunt, & domiti. nam principis illo
Tempore, præſidio leges munire foriq;
Iudicia, & motas iuſtè componere lites,
Vnica cura fuit. ſic vis eiecta verendis
Legibus Aſtrææq; locum conceſſit auitum,
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille idem princeps gnaro cum pectore noſſet,
Non fruſtra coiiſſe homines: non agmina caſu
Finitimas habitare domos, vrbesq; tenere:
Sed pietas vt vera ſuos extendere fines,
Alter & alterius poſſet ſermone doceri,
Qua cœli ſe pandat iter ſedesq; beatæ:
Templorum cathedris fidos vigilesq; miniſtros
Impoſuit paſſim: quin ne quandoq; deeſſent
Doctores, aut qui populo virtute præirent,

Adiunxit templis ludos, ludiſq; magiſtros
Præfecit, pueros qui prima elementa docerent
Linguarum, vitæq; darent documenta beatæ.
„ Crebraq; diſtribuit docili munuſcula pubi,
„ Diſcendi illecebras, irritamenta laborum.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille ille occubuit, cui templa ornata venuſtè,
Bibliotheca etiam variorum inſtructa librorum
Codicibus multum ſeſe debere fatentur:
Quam nunc exanimem veluti lugere putares,
Omnia cum ſolito videas ſpoliata nitore.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille ille occubuit, quem veſtra Academia, pridem
Quæ exanimi ſimilis plane deſerta iacebat,
Inſtauratorem agnoſcit, fidumq; patronum.
Hic ſumptus cum fratre graues impendit, & vltrò
Annua conſtituit Roſianis præmia Muſis,
Atq; adeo nobis vobiſq; hæc ocia fecit.
Hic doctos, cum fratre, viros hinc inde vocauit,
Qui linguas arteſq; omnes cum laude docerent.
Et Sophiæ arcanas penetrarent mente latebras.
Quos ipſe haud raro hic præſens audire ſolebat,
Exemploq; ſuo docilem inflammare iuuentam.
Tum primum Varnus fontis ſentire liquorem
Caſtalij, fluuijſq; ſuum coniungere nomen
Nobilibus cœpit: tunc iſto in litore Pallas

Ducere cum Nymphis ad Phœbi plectra choreas
Primum viſa fuit: tum munera veſtra propinquas
Implerunt gentes, vrbes, & Balthica regna.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille ille occubuit, qui non modo tempore pacis,
Officijsq́; togæ, iuſtis ſed & inclytus armis,
Conſilijsq́; fuit, quæ bella gerenda requirunt,
Si pietas patriæq́; ſalus ea poſceret. acre
Mauricius, belli fulmen, tremor vnus Iberi,
Non negat hoc, conſobrino huic qui fœdere iunctus,
Communem patriam, ius relligionis, & ipſam
Libertatem auro potiorem, & vincula pacis
Aſſeruit bello, auſpicijs felicibus orto.
Hoc etenim ſummo poſita in diſcrimine rerum
Teutonia, & Papæ, & Hiſpani militis imis
Faucibus erepta eſt, Paſſauo & fœdere pacto,
Inſperata quies redijt, cui nunc quoq; noſtra
Ocia & illæſæ debemus commoda vitæ.
Salue magne heros, iterum dux inclyte ſalue,
Tu bello præſtans, inuictus pace fuiſti:
Principe te patrijs decus admirabile terris
Contigit, æterno quod nunquam abolebitur æuo.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Extollant arces alij, venasq́; metalli:
Succineas alijs libeat laudare corollas:
Admirentur opes alij, foſſasq́; profundas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Aggeribus cinctas, vicinosq́; arcibus hortos:
Nil ea ſunt collata tuo dux optime dono,
Quo patriam bonus ornaſti, genteſq́; propinquas:
Pro quo poſteritas ſero comitata nepote
Perpetuas repetet longo tibi tempore grates.
Hæc bona ſunt æterna tuis quæ ſponte dediſti;
Momento tantum illa breui mortalia durant,
Corporeis ſocianda bonis, vitæq́; caducæ,
Non animo aut menti, mortis quæ ſpicula neſcit.
Salue iterum diuine ſenex, tu regis imago
Siderei bonitate tua meritisq́; fuiſti.
Nam tibi neglectis alijs, cœleſtia primo
Dona propagare, & populis oſtendere Chriſtum,
Conſeruare artes, ludosq́; & templa tueri
» Cura fuit. iactent alij, ſe milite cinctos,
» Armataq́; manu populos, vi regna tenere,
» Doctrinam curare nihil: mihi proximus ille
» Dilectusq́; Deo, & populis quoq; creditur heros.
» Exemplis dux magne tuis ſi motus, & ipſe
» Sit ſapiens, Muſisq́; libens ſua limina pandat,
» Largiter & ſacras accendat honoribus artes.
Non decus eſt aliud non veritus ornamentum,
Quam patria aut regio docti ſi principis, vnà
Et Sophiæ & Chriſto placida alcedωnia curet,
Doctrinasq́; ſacras alijs communicet oris.
Cedite Cecropij, Spartani cedite reges,

Hic alius

Hic alius princeps, qui non mortalia tantum
Dona dedit populo, leges & iura per orbem:
Sed vitæ cœleſtis opes, & gaudia, vobis
Plane ignota tulit. latè quin gentibus idem
Finitimis, vel quos ætas quoq; poſtera mittet,
Muneris eſt auctor tanti: date lilia plenis
Pierides calathis, tam ſancti ad principis vrnam,
Et querulis mœſtas linguis iterate querelas.
Nunc columen veſtrum occubuit, tutorq́; fidelis,
Quo viuente animi tantum ſupereſſe ſolebat.
Sed nunc, heu variæ nimia inconſtantia ſortis,
Heu nunc in tenues ſpes illa euanuit auras.
Quando erit vt mitis cœli indulgentia talem
Reddat in orbe ducem? quæ ſidera rurſus in vno
Pectore tam raras cumulabunt aurea dotes?
Hoc pietas, amor in populum, prudentia, virtus,
Magnus in aduerſis animus, mitisq́; ſecundis,
Hoc animi bonitas, facundæ gratia linguæ
Iuſtitia hoc, pudor & grauitas, & larga iuuando
Dextera, perpetuas habuere in principe ſedes.
Hoc duce turbatis redijt pax aurea terris,
Pax gemmis potior. creuit reuerentia recti:
Prædonum agricolæ nullas timuere rapinas:
Omnia quid repetam? nihil hoc precioſius ipſo,
Nil melius vidit gens Vandala: perdidit vnquam
Nil melius toto lacrymans Megalepolis æuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Scilicet hoc, hoc illud erat, quod turbine nuper
Horrifico celſas rumpi & procumbere turres
Vidimus: hoc hoc illud erat, quod vidimus æthram
Sub noctem ardere, & tremulas diſpergere flammas.
Nec mirum. quin fama meas cum perculit aures,
Magnanimum cecidiſſe ducem, ſimul omnia mecum
Triſtari & veluti lacrymas effundere ſenſi.
Te viuente, nouis ridebant gramina campis,
Omnia florebant. cantus dulcedine captæ
Ducebant Charites per florea prata choreas,
Carmina non deerant nobis, non plectra ſonora.
Te moriente mori pariter natura videtur:
Deficiunt auido pecori ſua gramina: flores
Rura negant ſolitos: vt nil niſi triſtia fas ſit
Cernere, nec tanto finem ſperare dolori.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Sæpe ego iam veſtras tacitè digreſſus ad vndas,
Mane nouo, tantis quærens ſolatia curis,
Præter lamenta, & triſtes audire querelas
Nil potui. ferrugineo velatus amictu
Pallidus eois Phœbus ſurgebat ab vndis:
Affixus ripis curſus frenarat aquarum
Varnus iners glacie, duriſq; immobilis vndis.
Ad læuam inſueto ſtrepitabat gutture coruus:
Varnigenæ quin quotquot ibi paſcuntur olores,
Proxima flebilibus complebant ſaxa querelis:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Mußabant fulicæ: deſerto in littore cornix
Sola ibat, tanquam attonito confecta dolore:
In ſtabulis armenta boum pecudesq́; gemebant,
Graminis oblitæ: argutis in vallibus Echo
Sæpe vocata mihi, ſæpe exaudita vocanti,
Iam præter ſolitum verborum oblita ſilebat.
Singula quid repetam? nil non lacrymabile vidi,
Nil fletu vacuum. anguſto ſic pectore triſtis
Exieram, triſtes repetebam triſtior ædes,
Hæc mecum tacitus: mutata quid omnia cerno?
Anne etiam ſuperos defuncti funera tangunt?
Quid portenta volunt? an non aliquando redibit
Qui vigor ante fuit campis auibusq́; canoris?
Sed redeat certè, rediturus vt eſſe videtur:
Sæpe reuiuiſcit iam mortua frigore malua, “
Annus vbi cum ſole redit: ſic cernis anethum, “
Sic violas, tenerasq́; roſas, apiumq́; renaſci: “
Sed ſimul atq; homines miſeros pariterq́; potentes “
Mors ſemel abripuit, terrisq́; abſcondidit atris; “
Tum reditus via nulla patet, tum ducere longos “
Cogimur oclcuſo ſaxi ſub fornice ſomnos. “
Sed pietas meliora docet. non corpora caſu “
Nimirum conſumpta mori: diuina voluntas “
Hic regit, æterna diſponens omnia lege. “
Nec plane in nihilum, quod nil fuit ante, redire “
Credimus, æternæ ſperantes gaudia vitæ. “

Sic noſter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic noſter quoq; dux, noſtro dux optimus æuo,
Sortis tentator variæ, poſt mille laborum
Multiplices curas, ſceptri mortalis honores
Depoſuit mandante Deo: nec funere totus
Interijt: ſuperas animus delatus ad arces,
Heroas ſanctos inter regesq́; triumphat.
Hic ſacer Ezechias, hic Conſtantinus, & ipſe
Iſaides hic pſalmographus tibi Carole magne
Iunctus adeſt: noſter proauis dux proximus aſtat,
Et patri & ſocero: multi illum lumine claro
Circumdant cœliq; nouos gratantur honores,
Cumq́; ipſo vnanimes mundi deliria rident.
Vertite Varniades lacrymas in gaudia Muſæ.
Imprimis patrem geminis complectitur vlnis
Albertus puer illuſtris, qui præuius arcis
Regna adijt ſuperæ, multum lacrymante Boruſſo.
Hic ille Albertus, quo ſe iactabat alumno
Herula gens, hic ille patri matriq; voluptas,
Spes patriæ, magni proles generoſa parentis,
Tum fortunati, propria hæc ſi dona fuiſſent,
Quæ tantum Deus oſtendit mox abſtulit olim;
Sed verè iam fœlicis, cui redditus ille,
Poſt æternùm aderit miro deuinctus amore;
Quem non vlla dies, non fati iniuria ſoluet.
Vertite Varniades lacrymas in gaudia Muſæ.
Ad vos nunc redijt tanta expectatio, tantæ

Laudis honos, ô Heruleæ noua ſidera gentis,
Egregij iuuenes, qui partim funera fratris
Iam gemitis: partim patrem ploratis ademptum.
Hæredes vos virtutum fratriſq́; patriſq́;
Eſſe decet, quin eſſe patet, ſemperq́; futuros
Credibile eſt patriæ, & cunctis quîs patria curæ.
Vertite Varniades lacrymas in gaudia Muſæ.
Imprimis tamen eximij ducis inclyta virtus,
Et bonitas Vdalrici ſenioris, amicam
Solatur patriam, Varniq; inhibere querelas
Incipit, & lacrymas ſenſim ſedare profuſas.
Aſpicis vt celſo præclara è corpore virtus
Emicet; vt patrio ſumma omnia ſpondeat orbi.
Fallor an è cœlo lætiſsima Seiſachtea
Hoc duce deſcendet, populorum in gaudia nata?
Fallor an Aonidum cultrix Academia, diuæ
Eiuſdem auxilio, ſperato in flore, fruetur?
Chriſte tuum defende ducem, cœptoſq́; labores
Dirige, vt illorum nullo laus concidat æuo.
At tu magne heros (quoniam te regia cœli
Iam tenet, & coram ſtellas fulgore coruſcas
Mortaleſq́; vides ſecura è parte dolores)
Æternum dux clare vale, & ſeu ſidera luſtras;
Seu legis æternos inuicto pollice flores;
Seu celebras ſine fine Deum; en mœrentis alumni
Carmina, fortaſsis nimium properata, verendos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vt manes, cineresq́; diu teſtentur amatos,
Accipe ſupremum munus: meliora deinceps
Forte & plura canam, quando tibi certa quotannis
Dona feram, tumulosq́; tuos mea carmina flebunt:
Cum gemitus Pietas, lacrymas Conſtantia fundet:
Purpureasq́; roſas tumulo, ſpicasq́; ciliſſas
Inſperget Bonitas: triſtes Pax mœſta cupreſſos,
Et feret euulſos vlulans Clementia crines,
Immemoresq́; tui nos nulla obliuia reddent.
Has ego Rectoris iuſſu procerumq́; coronæ
Effudi lacrymas fidi monimenta doloris
Publica; vos mecum ſuſpiria crebra, frequentes
Fudiſtis gemitus: quin nunc quoq; funditis, orbi
Præſidio tanti herois, tantiq́; patroni.
Ne tamen immodico cruciemus pectora luctu,
Sit modus in gemitu, ceſſent ſuſpiria, finis
Sit lacrymis, ſtudioſa cohors, finisq́; querelis.
Non etenim decet hunc fletu lugere perenni,
Cui Deus ipſe omnes lacrymas abſterſit, & inter
Quem ſanctos cœli heroas diuosq́; locauit.

DIXI.

Recitatum in funere ill. princip. mortui. an. 1576. 12. Febr.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

ΠΡΟΞΕΝΙΑ
VARNI.
D. HENRICO BA-
RONI STAREMBER-
gio, Cæſareo in Megapolin legato.

SILVA III.

AVStriadum decus, & lumen virtutis auitæ,
Magne Baro, veniáne tua mihi poſſe licebit
Pandere? fatidico nuper quæ carmine nymphis
Hic pater è medio memorabat flumine Varnus,
Cum te, collegamq́; tuum, mandata ferentes
Cæſaris, optata vidit conſiſtere ripa.
Quin licet. heroum doctis exculta Camœnis
Pectora, nil feritatis habent, quæ candor, & ardens
Sinceræ bonitatis amor ſic mollit, vt illis
Viuat in immenſo nil plane humanius orbe.
Ergo age, dilectum Muſis caput, annue cœptis,
Propoſitumq́; iuuans, faciles da cantibus aures.
Tempus erat, ſol Aſtrææ quo lancibus inſtans,
Pronior occiduo ſe demittebat Olympo,
Cum ſubito exultans fremitu, caput extulit vndis
Varnus ouans, vinctusq́; comas viridante corona

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Arduus emicuit, creſcente & flumine maior,
In mare cæruleum, curſu ſeſe intulit acri,
Stant circum nymphæ attonitæ, mirantur euntis
Murmur, & aßuetas ſuperantia flumina ripas.
Ipſe etiam pater Oceanus, quem Balthica frenant
Littora, miratus, quo te tam turbidus infers?
Quid lætaris? ait, quæ nam ſibi cornua ſumit
Impetus ille tuus? quid fluctibus æquora turbas?
Fare age. cui Varnus contra, quin deſine poſthac,
Deſine mirari inſolitos, pater optime, curſus.
Cauſa patet: mihi corda micant: noua gaudia pectus
Vix capit: ad iuſtos deſunt mihi brachia plauſus.
Quod magis eſt, ipſum videor iam vertice cœlum
Tangere, nobilibusq́; meum coniungere nomen
Geſtio fluminibus. non me Pactolus arenis
Turbidus aurifluis, non Ganges vincet amœnus.
Scis pater, vt regio, noſter quam diuidit amnis,
Quamq́; Megalburgi heröes cum laude tuentur,
Pertulerit multos belloq́; & peſte labores.
Scis pater, vt noſtræ fundatum in margine ripæ,
Tot mala pertulerit, tot dura pericla Roſetum,
Duxerit & miſeros quonam diſcordia ciues.
Nunc optatus adeſt tandem Starnbergius heros,
Cæſaris auſpicijs, quin ipſo à numine mißus,
Tentet vt exortas placidè componere lites.
Sit felix & fauſta dies, vir maximus ille,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Qua nouus huic hoſpes ſuccedere dicitur vrbi.
Affulgere meæ nunc ſpes optata ſaluti
Incipit, & feßis finem promittere rebus.
Quam lætor, veniſſe virum! qui lampadis inſtar
Phœbeæ exortus, regioni apparuit iſti,
Principibusq; meis, & preßæ cladibus vrbi,
Cum tenebris nubes abigens, vultuq; ſereno
Omnia promittens noſtris felicia terris.
Qua grates tibi voce canam? pulcherrime regum
Rex, Regumq; pater, Maxæmiliane, tuorum
Arbiter, imperijq; caput. tu maximus ille es,
Auguſtusq; parens, ad publica commoda natus,
Qui cunctas animo virtutes, plurima regna
Imperio iußisq; adeò complecteris æquis.
Hinc licet ingenti variorum mole laborum,
Curarumq; gemas: non te tamen illa, tuumq;
Affectum impediunt patrium: quin me quoq; læto
Numine, ſollicitoq; iuues mea commoda vultu.
Ergo magne pater patriæ, ſpes vnica ſecli,
Viue diu, faſcesq; tuos, & ſceptra tuorum,
Turca ſimul, Moſcusq; ferox, & Parthus adoret.
Tu modo perge tuum claris extendere factis
Nomen, & immenſum comple virtutibus orbem,
Sidereusq; tuis cœlo te laudibus infer.
Sed memor vnde abij. quonam laudabitur ore,
Carmine quo, præſtans animi Starnbergius heros?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nobilitate potens, & auito ſtemmate clarus.
Vix alio ſe Danubius iactauit alumno
Splendidius, cuius rapidas hic natus ad vndas,
Accreuit ſine labe puer, virtutibus annos
Præueniens. illum proprijs excepit in vlnis
Pallas ouans: illum placido pulcherrima vultu
Melpomene vidit naſcentem: amplexibus illum
Auſtriades nymphæ patrijs fouere ſub vndis:
Ad cunas duxere choros, & carmina blandis
Accinuere modis Charitesq́; & dexter Apollo.
Vix Ioue Creta ſuo, vix tantum Roma Quirino,
Lætata eſt, quantum tanto ſe pignore tollit
Auſtria gens, quantumq́; ſuos hinc iactat honores.
Et merito. quid enim tanto præſtantius extet
Heröe, ad veram laudem qui natus, & artes
Ingenuas, teneris Muſas dilexit ab annis.
Danubius mihi teſtis erit, mihi teſtis & Albis,
Illum qui ſemper magnumq́; & magna ſequentem
Viderunt, alterq́; illi de germine myrti,
Alter odorata velauit tempora lauro.
Hinc ille Aönij pulcherrima gloria fontis
Eminet ante alios. non illi Palladis artes,
Et quæ Socraticis olim latuere libellis,
Ignota aut veterum ſunt clara poëmata vatum.
Non illi ingenium, facundæ aut flumina linguæ,
Non fortuna deeſt, rebus ſpectata gerendis.

O quo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

O quoties illum, Ligeris, Moſa, Sequana, Scaldis,
Et Rhodanus ſunt mirati! cum carmine ripas
Arguto impleuit meditans. quam ſæpe Britannos
Ipſe ſuos Tameſis, tumido licet ore ſuperbus,
Illi poſtpoſuit: quam ſæpe & Tibris & Arnus,
Medoacusq́; decus tantum inuidere beatis
Dilectisq́; Deo populis, quos alluit Iſter.
Ipſe ſubinuideo, (veniam concede fatenti)
Auſtria magna tibi, tanto quæ inſurgis alumno
Altius, & ſummis cœlo te laudibus æquas.
Non tamen ingratus tibi ſum, debere fatebor
Me tibi, dum celſi moles ampliſsima mundi
Stabit, & æterno lucebunt ſidera cœlo.
Munere namq; tuo, certam ſperare ſalutem
Incipio, finemq́; malis. quin gratulor idem
Auſtria clara tibi ex animo, congratulor orbi
Terrarum, imperioq́; tuo, inuictiſsime Cæſar,
De tali tantoq́; viro, qui diuite præſtans
Eloquio, Cato conſilijs, & Scipio corde,
Pompiliuſq; fide, regno & tibi conſulit, ore
Magnanimo prudens, magnis in rebus agendis:
In dubijs idem cautus, durisq́; periclis
Intrepido præſens animo, patienſq; laborum.
Felix illa dies, quæ noſtris intulit oris
Hoc decus & lumen. ſalue lux aurea, ſalue,
Et felix ac fauſta mihi, ſine nube quotannis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Concelebranda redi, nil te mihi gratius vnquam
Eſt ortum, viſumq́; meæ nil pulchrius vrbi.
Illius aduentu, puri lux ætheris vltro
Clarior emicuit, blandæ cecinere volucres,
Arboribusq́; comæ virides, & gramina prato
Finitimis rediere locis. quin compita, fontes,
Et fora conſpectu illius ridere putares,
Tanta viri bonitas, tanta eſt in pectore virtus.
Sed laudes recitare omnes, res dicere geſtas,
Splendoremq́; ſacri generis, patrumq́; priorum
Nomina, virtutesq́; breui deſcribere verſu
Cur libet? eloquij hic mecum vis victa laborat,
Vellicat & teneram dudum mihi Cynthius aurem.
Quin noſtræ nil laudis eget Starnbergius heros,
Doctrina & virtute ſua, generisq́; vetuſti
Splendore inſignis, toto & laudatus in orbe.
At nunc ante alios ego fortunatior amnes
Lætitia exulto, & certam iam ſpero ſalutem.
Tu noſtrum, pater omnipotens, ne reſpue votum,
Sis iterum miſeræ tandem placabilis oræ,
Sit ſatis innumeros peſtis belliq́; labores,
Sit toties flammas, & funera ſæua tuliſſe,
Sit clades toleraſſe ſatis, tantosq́; dolores.
Fer pater auxilium feſſis, firmamq́; quietem.
Sic iterum ripæq́; meæ, regioq́; virebunt,
Florebunt violæ: gratos ego lætus odores

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Balthica diffundam paſſim per littora: noſtri
Dulce melos cygni repetent: ſchola læta reſurget:
Gaudebunt Muſæ: languens Roſa dulce rubebit:
Et paſſim læto ridebunt omnia plauſu.

Hæc bene ſi memini, vel non diuerſa, recenſens
Varnus, arenoſis iterum ſe condidit vndis.
At pater Oceanus, promiſſam in pectora barbam
Demulcens, lætemur ait, vultuq; ſereno
Gaudia teſtatus, Nymphas cantare marinas
Iuſſit, & in mundum latè diſpergere Varni
Gaudia lætantis. quin tum quoq; dicta referre
Hæc eadem tibi me voluit. flos inclyte ſecli,
Et patriæ tutela tuæ, ſidusq; perenne,
More tuo, frontemq; hilaris, mentemq; ſerenus,
Carmina non duro, quæ mittimus, accipe vultu.
Dent alij gemmas, & pondera diuitis auri:
Hæc ego iam, pariterq; tibi me dedico totum,
Forte olim meliora, manet ſi vita, daturus.
Sic tibi viuenti feliciter omnia cedant,
Sic tibi compoſitis afflictæ litibus vrbis,
Ad patrios liceat læto remeare penates,
Coniugis in caræ amplexus, & Cæſaris aulam.

Rudigerus quoq; dilectus tibi frater, & alter
Guntacorus, læto incolumem te pectore, læto
Excipiant reducem vultu. quos carmine quondam,
Si mihi vita manet, tecum celebrabo, ſimulq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ex alto repetam veſtræ primordia gentis.
Interea tu viue diu, ſine fine modoq́;
Auſtriadum decus, & lumen virtutis auitæ.

D. RICHARDO STREINIO BARONI, ET CÆSAris Conſiliario.

SILVA IV.

EXCellens virtute Baro, qui ſtemmata gentis
Romanæ, & veterum deſcribis geſta Quiritum,
Nobilitate potens, & auitæ gloria gentis,
Maximus ingenio doctrina maximus heros.
Ecquid vbi aſpicies ignotæ carmina Muſæ,
Ignotamq́; manum, tacito mirabere vultu,
Et quid noſtra velit ſibi confidentia quæres?
Quæ turbet leuibus tua ſumma negocia nugis.
Parce tamen generoſe Baro, non inſcius error,
Non leuis ambitio, tumidisúe audacia buccis
Hoc vir ſumme iubet: tua quin pulcherrima virtus,
Ignea cui vis eſt, tua me ſapientia victum
Huc rapit, egregioq́; tui ſuccendit amore.
„ *Scilicet hæc vis eſt, hi ſunt virtutis honores,*
„ *Hic ſplendor doctrinæ animi, vultusq́; sereni,*

Neſciat vt tectus tacitis latuiſſe tenebris: “
Sed, velut excelſis ſub noctem in turribus ignis, “
Emicet, ignotoſq; etiam fulgoribus aureis “
Mirantes trahat, & ſummos inflammet amores. “
Præſertim ſi dux aliquis noua lumina cernens
Intendat digitum, multoſq; impellat eôdem.
Hic meus eſt Dauid ſincero pectore frater,
Hic mihi virtuteſq; tuas & mentis acutæ
Prædicat ingenium, facundi prædicat oris
Eloquium, merita, & faciles ſine crimine mores,
Munificaſq; manus, & veri ſigna fauoris.
Pro quibus æternas tibi me quoq; dicere grates
Quis debere neget, fratrum qui fœdera norit?
Ob quæ carminibus te nos celebrare canoris
Quis debere neget, vatum qui munera norit?
Ergo Venuſinus quondam ſua carmina vates
Vt Mæcenati exhibuit, quando aurea ſecla
Conderet Auguſtus toti venerabilis orbi:
Sic ego, dum ſceptro Maxæmilianus auito
Æmulus Auguſti, patrijs creat ocia terris,
Te veneror, fidum Muſis Phœboq; patronum.
Et tibi do ſterilis non optima carmina venæ,
Quæ meliora fauor tuus & clementia reddet.
Cui Muſas commendo meas, tu fratris amici
Quæſo patrocinium placido non abijce vultu,
Præſidioq; tuo, & facili nos fronte tuere.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic tibi concedat diuturnæ tempora vitæ
Rex ſuperûm, tandemq́; ſuis te ſedibus addat,
Iuſtitiæ magnum meritis fideiq́; patronum.

CAROLO DANCÆO, GALLORVM REGIS IN DANIA LEGATO.

SILVA V.

EN etiam cœli facies, tibi Carole ridet
Inſolito candore micans; dum Regis amici
Iuſſa obiens, gelidas Varni concedis ad vndas,
Mox Viadrum quoq; viſurus. ſalue optime, ſalue
Carole Gallorum lumen: quem Dania ſummis
Annumerat populoſa viris; quem laudibus ornant
Magnanimi reges. iterum clariſſime ſalue
Gallorum Dancæe decus. tu dignus honore
Quem ſummo afficiant Muſæ: quem carmine Phœ-
Ipſe canat; tu peſtiferas componere lites, (bus
Auerſosq́; animos tu conciliare laboras
Eloquio, & celſæ mirandus acumine mentis.
» *Nil bello magis inuiſum mortalibus ægris,*
» *Pace nihil melius, nihil eſt optatius orbi,*
» *Muſæoq́; gregi imprimis, quem bella fatigant,*
» *Pax recreat, viridemq́; iubet ſperare coronam.*
Pacis amatores igitur quis nolit amare?

Quis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quis dignos quouis illos non credat honore?
Salue iterum Dancæe meis carißime Muſis.
Vade bonis auibus, felici ſidere cauſam
Pacis age ex animo, lætusq; reuertere nobis,
Prætendens oleæ ramum, ſperataq; dudum
Fœdera diuulgans, ſero ſeruanda nepoti.
Fallor an ille dies properis pulcherrimus alis
Aduolat, & læto denunciat ocia plauſu?
Conflaturq; nouus ferrata è cuſpide vomer?
Fallor an obductos ferrugine conſpicor enſes
Vaginæ adnaſci? fumoſo puluere nigras
Obduci galeas; quas turpis aranea velo
Contegat, iratusq; omni Mars exulet orbe,
Auxilijs Dancæe tuis. te dextera Regis
Protegat ætherei, ſeros vt Neſtoris annos
Contingas, placida felix viridisq; ſenecta,
Ducat & æternos pax dudum optata triumphos.

ENCOMIVM PACIS.

AD EVNDEM CAROLVM DANCÆVM.

SILVA VI.

VRBE Sidenorum dum tu DAncæe moraris
Summe vir, et meritis noſtro clarißime ſeclo:
Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dum Viadrus Dancæe tui miratur acumen
Ingenij, fandiq́; artem, & ſine crimine mores,
Excelſumq́; animi robur, nil vile mouentis:
Dum proceres te vel primo dignantur honore,
Intentum paci, & cupidum componere lites:
(Quas regum turbaſſe animos tot Balthicus annos
Ingemit Oceanus, plangunt contermina regnis
Littora) dum Dancæe iſtis bene conſulis oris,
Ceu patriæ & nobis ad publica commoda natus:
Hic ego, quem meritis nuper, vultuq́; benigno
Feciſti Dancæe tuum; tibi carmina pango
In reditus votiua tuos, facileśq; laborum
Succeſſus; paciq́; nouæ contexo coronam
Palladiam, quam tu placido bonus accipe vultu.
„ Ecquis enim non pacis amet venerabile nomen,
„ Qui bellum, heu minime bellum, qui prælia norit,
„ Cladibus innumeris totam euacuantia gentem,
„ Et mare naufragijs implentia, cædibus vrbes,
„ Et ſtupris furtisq́; domos, & ſanguine campos.
Aurea pax, diuasq́; inter pulcherrima ſalue,
Virginibus comitata tuis: pax aurea ſalue,
Salue iterum, ſperata diu, votisq́; petita
Innumeris; tales dum fundo ad ſidera voces
Hactenus. O quando tandem pax alma reuiſes
Finitimos reges, & mœſtas cladibus vrbes?
Quando erit illa dies, tuus vt pax optima fulgor

Depulſis

Depulſis orbem tenebris, & nocte ſerenet?
Heu vereor, ne forte prius me cana ſenectus
Corripiat, quam tu læto placidiſsima vultu
Huc redeas, redeatq; ſimul temploq; ſcholisq;
Tot bellis amiſsus honos, & gloria Muſis:
Concordesq; animis agitent conuiuia ciues
Aucti opibus: reſonent paſtorum cantibus agri:
Et mare ſit ventis tantum non hoſte timendum.
O vtinam pereant enſes, nec nomine notum
Sit Chalybum genus, armatos in prælia fratres
Exacuens: pereat nunquam ſatianda libido:
Ambitioq; leuis vaſto caput æquore condat.
Pax etenim cedit toto, his dominantibus, orbe.
Hac abſente autem, vel culta noualia, tandem
Decipiunt operoſum etiam, vaſtata, colonum,
Tempore qui pacis, ſaxoſo deſes ab agro
Quod ſatis eſt cumulare ſolet, votoq; potiri.
Pax ſummo dilecta Deo eſt, cariſsima Muſis, “
Grata foro, templis, vrbi, populiq; magiſtris. “
Qui mare nauigijs ſuperant, nihil acrius optant. “
Hanc diues pauperq; colunt: venerantur eandem “
Vir, mulier, ſenior, iuuenis, pueri atq; puellæ, “
Deniq; nil toto pacem non expetit orbe. “
Si quid enim pulcrum votiſq; optabile reſtat,
Acceptum id paci ferimus. pax ſacra frequentat,
Officijsq; Deum puris, & mente celebrat:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Imbuit hic precibus teneram matercula prolem:
Caſta domus caret exemplis factiſq; nefandis,
Queis bello, heu miſerè, mollis corrumpitur ætas:
Illuſtrat doctina animos, & pectora firmat.
» Hinc quandoq; ſui ſtudioſos patria ciues,
» Hinc quandoq; bonos fœlix Reſpublica patres
» Expectare poteſt, varioſq; auertere caſus.
» Ciuibus hinc augentur opes: diſcordia cedit:
» Et vel in exiguo diues concordia cenſu
» Regna tenet; totas annona parabilis vrbes
» Complet, inexhauſto dominatur copia cornu.
Quid tibi coniugij leges, caſtumq; pudorem?
Gaudia doctarum tibi quid memorabo ſororum?
Pax quibus in miſeris vna eſt nutricula terris:
Illa vbi vel gentem vel certam aſpexerit vrbem
Lumine pacato; non iam Mars improbus illic
» Perdurare poteſt; nec paucis vtile bellum.
Contrahit ex templo ſcuticam Bellona: rapinæ,
Telaq; diffugiunt: cædes & furta quieſcunt:
Oppida nulla ſuis cernas viduata colonis:
Rura nec incultis latè ſqualentia dumis:
Nulla vrbes metuunt incendia: nulla puellas
Vis rapit: aut natos manibus poſt terga reuinctis
Matribus abripiunt hoſtes, nuptamue marito:
Nemo illic muros aut ſtructas diruit ædes:
Nemo iuuentute aut nudat, aut diripit vrbes:

Nemo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nemo ſenectuti illudit, noua vincla ferenti:
Sacrilega non templa manu ſpoliata pateſcunt:
Non matres alias captæ abducuntur in oras,
Cæſorum aut viuæ natorum funera cernunt.
Non latus enſe tegit, patriæ qui limina mutat:
Non mare ſanguineum, non albos oßibus agros
Conſpicias: ſolio nemo exturbatur auito:
Deniq; nec tuba, nec lituus, nec claßica quemquam
Ad pugnam plagaſq; vocant, mortemq́; cruentam.
Tot mala, quin complura etiam, ſi bella mouentes, "
Spiranteſq; minas animis & prælia reges, "
Principio cautis oculis animiſq́; viderent: "
Aut odijs frenum inijcerent: & gloria nulla, "
Nulla libido illis tantos immitteret æſtus, "
Quin illos quocunq; modo reſtinguere vellent: "
Aut prolapſi odio; id nunquam renouare ſtuderent. "
Salue igitur pax largitrix horum vna bonorum, "
Aurea pax, auroq́; ipſo magis aurea ſalue, "
Salue iterum, cunctis melior potiorq́; triumphis: "
Victriciq́; manu tandem nos læta reuiſe,
Ipſius auſpicio cœli terræq; parentis:
Qui pacis Deus hoſtiles bonus improbat iras:
Et male mortales odia immortalia vexant. "
Hæc ego. cum ſubito mihi nuncia fama per auras
Præmittens oleæ ramum, properantibus alis
Aduolat, ingenuo teſtataq́; gaudia vultu,

Fœdera

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Fœdera pacifico pacis denunciat ore.
Obſtupui primò fateor, vix credere dictis
Auſus inauditis; mox rebus victus apertis,
Conſtantiq; hominum voce, & rumore ſecundo,
Erexi geminas ad cœli ſidera palmas:
Æternasq; Deo grates lætiſſimus egi,
Demiſſis animis & corpore, ſupplice lingua.
» Regna odijs turbare, animos committere regum,
» Litibus incenſas euertere funditus vrbes,
» Abſq; labore etiam vel terræ filius audet
» Seditione potens, belli temerarius autor.
» Sed cohibere animos, ortas componere lites,
» Et grauidam bellis regionem, abſoluere bello,
» Solius uniusq; Dei eſt. hic excitat ipſe
» Illuſtres virtute viros, & pacis amantes,
» Qui ſua reſtituant turbatis munera terris.
Huic igitur voce & ſincero pectore grates,
Dic iuuenis, dic cane ſenex, dic quiſquis in orbe
Arctoo degens vitali veſceris aura.
Votiuisq; memor cumulans altaria donis,
Acceptam gratis precibus teſtare ſalutem;,
Prouidus & votis clades auerte futuras.
Quid tibi nunc proceres memorem, quos Cæſaris
Miſerat egregios animis fandiq; nitore, (aula
Quid reliquos? quorum eximiæ nil derogo laudi,
Cuius teſtis erit Viadrus, dum machina mundi
Stabit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Stabit & æterno lucebunt ſidera cœlo.
Te ſolum celebrare meis Dancæe camœnis
Nunc iuuat & fas eſt. iam pridem carmine læto
Te proficiſcentem, & facili ſum voce ſecutus.
Nunc reducem, & pacis dulciſsima dona ferentem,
Cur ſileam, laudesq́; tuas, fauſtosq́; labores?
Exoptatus ades noſtris ſpes inclyta terris
Carole, Gallorum ſidus. ſed nomine quonam
Te celebrare decet? mihi laudatiſsimus ille
Tu Thraſybulus eris, concors cui patria frondis
Palladiæ ſertum impoſuit, dum ponere lites
Quemq́; iubet, patriæq́; iras donare ſaluti.
Ecce tuam ſimili frontem Dancæe corona
Cingimus vnanimes. illos tu primus honores
Es meritus, nulloq́; cadet tua gloria ſeclo.
Turbet aquas Ate, cui res eſt turbida lucro:
Tu Dancæe Litas comitans, mala publica dextro
Numine reſtituis, non propria commoda quærens:
In commune bonus: ſapiens, & fidus amicis:
Magnus in aduerſis rebus, cautusq́; ſecundis.
Tu generis ſtirpisq́; tuæ celeberrima facta
Laudibus accumulas proprijs: te Gallia Regis
Dextram Oculumq́; vocat; qui quæ Borealibus oris
Sint facienda, ſagaci animo videasq́; ſciasq́;,
Expediasq́; ſimul cauto fidoq́; labore;
Dum multi facienda ſciunt, fugienda ſequuntur.

» Imperat haud paucis, regina pecunia, regum
» Præfectis, placant ipſos data munera reges
Interdum: tibi, ſincero qui purior auro es,
Seruit & imperium ſubiecta pecunia perfert.
» Diuitias ſic diues habes, artemq́; fruendi,
» Qua ſine, ſub medijs ſitiet male Tantalus vndis.
» Ingenerat reliquis fucata ſcientia faſtum,
» Ingenerat tumidos ventoſa ſuperbia mores:
Tu proceres inter primus, tu ſtemmate auito
Illuſtris, tu magnorum cura inclyta regum,
Comis es alloquio: non auerſaris amicos
Exiguos: facili cuiuis affabilis ore es;
Cum reliquos centum portæ centum oſtia claudant.
Sed paucis multa vt dicam: quod Zopyrus olim
Dario fuit; hoc ipſum tu regibus æuo
Iam noſtro es. cur id credam, niſi ſit graue, paucis
Accipe. Darius Xerxis pater inclytus olim
Punica mala inter, quando patefecerat vnum
Egregiè magnum, & pulcrum, in quo plurima grana
Membranas ciccosq́; inter digeſta videret:
Non ego chryſolithos mihi tot, totidemq́; ſmaragdos,
Aut ſi quid gemmis vſquam precioſius extet
Optarim; quibus ipſe ſatis rex diues abundo.
Quin potius (modo ſi fatis hæc optio detur)
Eligerem tales totidem mihi cautus amicos
Et comites; qualis, quando Babylona petebam,

Zopyrus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Zopyrus ille fuit. ceu reges tempore noſtro
Iurarent, tot Dancæos ſe poſcere malle;
Quam totidem riuos auri, argentiq́; fodinas.

IOANNI CYRIACO, L. BARONI POLHÆMIO ET Vuartenburgio.

EIDYLLION PROpempticum.

SILVA VII.

HActenus in Rhodio flos inſtar ſideris horto
Emicuit, flos Auſtriacis primo editus aruis
Polhemiaq́; domo: dein huc translatus ad undas
Varniadûm, vt roſeo paullatim imbutus odore,
In patriæ decus & varios adoleſceret vſus.
Quocirca pecori ignotus, nec læſus aratro
Vllius agricolæ, nec carptus floruit vngui.
Illum præ reliquis argentea gemmula roris
Imbuit ambroſio & cœlum ſpirante vigore:
Illum auræ tenues, & nubis filius imber
Mulcebant placidè, firmabant aurea ſolis
Lumina. multi illum pueri, pluresq́; puellæ
Suſpexêre, decus mirati optabile floris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tam pulcri, tam flammeoli, tam dulce comantis.
Hunc circum virides caſias, violamq́; videres
Purpuream, phlogionq́; decens, & Pæonis herbam.
Lilia nec deerant, nec amaracus, aut amethyſtus,
Non lychnis, Charitumq́; roſæ, molleſq́; amaranti.
Quos inter mirè pulcros pulcherrimus ille
Enituit, longe ante alios ſpectabilis vnus,
Quin decus & lumen reliquis dum fata ſinebant.
Nunc, eheu, flos ille ſacer, flos aureus ille
In patrios reuocatur agros, atq; aurea tempe
Auſtriadûm, poſthac tolerare abſentis amorem
Quæ ſe poſſe negant, aut huius ſidera floris
Tam procul à patria noſtris concedere ſeptis.
Ergò hortus nunc Varniadum deformior æquo
Stat lacer & facie miſeranda, haud gratia florum
Quæ fuit ante manet, plantarum germina lugent,
Omnia ſunt ſolito veluti ſpoliata nitore.
Varniades quoq; cum lacrymis hæc carmina flori
Tam caro poſtrema canunt. Flos optime florum,
Flos noſtri lux & ſidus geniale roſeti,
Quo fugis vſq; adeo cupido te corde ſequentes?
Tamq́; auidas famæq́; tuæ, laudiſq́; ſorores?
Forte refers; quia ſic ſuperi ſic fata iubebant.
Credo equidem, nec falſa fides. ſed cauſa doloris
Summa hinc exiſtit Rhodijs & noxia Muſis.
„ O quanto fuerat ſatius pro germine tali,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tam nitido, tamq; aureolo, tantiq; decoris, "
Euelli vrticas, fungos, & inutile gramen, "
Cum lappis, lolio, tribulis, & peſtibus horti "
Innumeris alijs? quarum ſerpiginis inſtar "
Inficit & reliquos contagio morbida flores. "
Sed tamen interea fati mentisq; tuorum
Non ſumus ignaræ. tibi quin bona mille precamur,
I felix quo fata vocant, iterumq; paternis
Inſitus areolis, firmis radicibus hære,
Et ſic tolle comas, & germina ſic diffunde.
Vt ſis & maneas toto flos aureus æuo.

AD TVMVLVM FIDELISSIMI CHRISTI apud Mencingenſes miniſtri MATTHÆI CHYTRÆI PATRIS CARISSIMI. lamentatio.

SILVA VIII.

AD tumulum, cineresq; tuos, pater optime, tandem
Aduenio lacrymans. decimo iam redditus anno
Sum patriæ: interea procul hinc mihi vita ſub axe
Occiduo, mundiq; plagis Borealibus acta eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dania me, Cimberq́; ferox, cultusq́; Britannus,
Me Viadrus, Varnus, me Dilia Sueuus & Albis,
Flandriaq́; Phriſiæq́; arces, & Gallia vidit.
Illic multa quidem memori dignißima mente,
Et varios hominum mores vrbesq́; potentes,
Egregiosq́; viros, & regum vidimus arces,
Muſarumq́; domos amplas, tumulosq́; vetuſtos.
Quæ mihi grata quidem, & viſu iucunda fuerunt.
Sed natale ſolum longè mihi gratius; eius
Mirus amor tacito ſemper mihi pectora motu
Impulit, vt quamuis patrio procul orbe remotus,
Non male tractarer: tamen hæc ante omnia menti
Cura infixa foret, quo tandem tempore poßem
Rurſus ad antiquas ſedes patriamq́; reuerti.
In primis tu care parens mea cura fuiſti,
Nulla dies, nox nulla abijt vel paruula, qua non
Ante meos oculos obuerſaretur imago,
Colloquium, vultusq́; tuus. quam ſæpe rogaui!
Rurſus vt incolumis reduci mihi dicere poſſes,
Vt video amplectorq́; libens tua colla manusq́;,
Exoptatus ades, fili carißime ſalue.
Heu quoties reditum dubio mihi pectore finxi!
Verbaq́; iam geſtusq́; tuos mihi cernere viſus,
Gaudia ſollicito præcepi ingentia corde.
En redeo. at triſtes ſubitus mihi nuncius aures
Vulnerat. en viduata domus, mœſtæq́; ſorores,

En patre pro læto aſpicitur mihi triſte ſepulchrum.
Heu miſero, quam nulla homini ſincera voluptas! "
Quam ſpes fallaces nobis, & inania vota! "
Immanes Parcæ, tuq; ô mors inuida, qui vos
Quæſo furor, quæ vos rabies ſic effera mouit?
Vt clarum pietate virum, meritiſq; verendum,
Tam cito crudeli fato ſuperare liberet?
Heu furor, heu rabies, non vos ego flectere votis
Tot potui, gemituq; pio, precibuſq; profuſis?
Quantum erat exiguo tantummodo tempore duras
Abſtinuiſſe manus, vt patria tecta reuiſens,
Optati patris ora iterum vultuſq; viderem
Incolumis? vel ſi nimium hoc; paulo ante venirem,
Extremoq; vale ſaltem, verbiſq; ſupremis
Perfruerer, patriſq; oculis morientis inhærens,
Signa darem iuſti lacrymis gemituq; doloris?
Parca ſed immenſo nulli cum parcat in orbe, "
Quid mirum eſt, noſtris flecti ſi perfida votis, "
Nolit, & abrupto ſeruet ſtata tempora filo? "

Ergo care parens, quæ nam tibi munera reddam?
Vel memoris gratiq; animi quæ ſigna rependam
Poſt obitus? eheu olim quæ reddere viuo
Malueram. per te dilectæ munera vitæ
Poſſideo: tu me primis ardenter ab annis
Complexus, puerum cœtus documenta beati
Imbibere, & ſanctæ voluiſti aſſueſcere vitæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Te duce prima olim ſtudiorum exordia feci,
Cum mihi ſæpe dares blando munuſcula vultu,
Te duce Pieridum ſacras perductus ad arces,
Argentina graui ſtudijs quas inclyta ſumptu
Ædificat, primas ſub te Bitnere magiſtro
Deguſtare artes, linguasq́; addiſcere cœpi,
Et propius puer Aonios accedere fontes.
Poſt etiam Varni præterlabentis ad vrbem,
Mater vbi Roſeos Academia difflat odores,
Miſiſti puerum, duo vix ſexennia natum.
Illa mihi poſtrema dies fuit, ora parentis
Qua vidi, aſſuetis cum me deduceret aruis,
Multa monens, & multa timens, incommoda duræ
Percenſens caſusq́; viæ, terrasq́; remotas,
Spemq́; metumq́; inter dubius, quandoq; reuerſum
An me iterum patrio complecti poſſet amore.
Quandocunq; ſubit dictæ mihi lucis imago,
Affectusq́; patris, quo me dimiſit euntem,
Supremumq́; vale dixit, comitatus amicis:
Non gemitus retinere queo, non ſiſtere fletus.
Hæc eſt illa dies, qua tot mihi cara reliqui,
Te pater inprimis, quo nil mihi carius vſquam
Orbe fuit toto. totis infixa medullis,
Hæc mihi cura fuit, totis hoc viribus egi,
Inprimis Chriſto vt ſemper mea facta probarem,
Et tibi deinde parens: ſtudioſè offendere nunquam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Te volui: tibi me totum & mea cuncta dicaui:
Reſpondere tibi, votumq; æquare paratus.
Atq; utinam nondum tetricæ tibi fila ſorores
Rupiſſent, vitæq; ſuper pars longior eſſet,
Non ingrata tibi mea mens ſtudiumq; fuiſſent,
Lætitiamq; tuis nati præſentia canis,
Forſan & extinctis ferret ſolatia curis.
Nec mihi quid toto contingere gratius orbe
Conſpectu verbiſq; tuis hoc tempore poſſet.
Verum aliter viſum cœli terræq; parenti.
Care pater, dilecte pater, pater optime ſalue,
Æternumq; vale, non tu mihi prorſus ademptus
Hac tellure cubas: quondam rediuiuus in arce
Siderea, verbiſq; tuis gratoq; viciſſim
Ore fruar, tecumq; canam benefacta tonantis.
Interea tibi iuſta feram, triſteſq; quotannis
Exſequias. tu care cinis, non forſan amoris
Immemor, officijq; mei, priſciq; fauoris,
Has lacrymas, gemituſq; meos, quos reddere viuo
Non licuit, cape ſinceri poſt funus amoris
Indicium, effuſaſq; tibi non ſperne querelas. (quens,
Tempus erit, quod nec procul eſt, quo pondera lin-
Terrenoſq; obitus, cœli aurea templa ſubibis.
Coniunctuſq; animæ rurſum paulò antè relictæ,
Doctores inter veteres non vltimus ibis,
Angelicæ par mirando ſplendore cohorti:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Intereà placidè impoſita ſub mole quieſce,
Care cinis, dilecte cinis, maneſq́; paterni.

AD TVMVLVM PETRI A MENCINGEN, VIRI nobiliſs.

SILVA IX.

ERGO etiam patriæ fatis hoc defuit unum?
Vt tu magne ſenex, præclaraq́; gloria gentis
Mencingæ, occideres hoc ipſo tempore, virtus
Quo tua, quo grauitas atq; experientia longo
Parta vſu, heu multum patriæ prodeſſe gementi
Debuit, & lapſis potuit ſuccurrere rebus?
Iam pietas moritura fere, iam pectora plangens
Priſca fides, paſſoſq́; trahens eccleſia crines
Facta, tuamq́; fidem ſæpe implorare videntur.
Verum aliter viſum ſuperis, qui crimina propter,
Ingratoſq́; animos hominum, menteſq́; profanas,
Egregios pietate viros, mortalibus oris
Eripiunt, ne ſupplicium pœnaſq́; ſequentes
Cum fletu & lachrymis, inter ſuſpiria, cernant.
Velle igitur ſciſſos, Eccleſia, velle capillos,
Patronumq́; tuum defle: Reſpublica tanti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Fata viri luge, patriam qui more parentis
Complexus, laudare bonos, punire nocentes
Eſt ſolitus iuſtoq; ſuos moderamine rexit.
Vos quoq; Pierides, priſci quibus omnia ſecli
Facta patent, quia magnorum deſcribere laudes
Heroum vobis datus eſt labor: ordine quæſo
Sanguine quo, patriaq; olim Mencingius heros
Sit ſatus, & quantas varijs res geſſerit oris
Pandite, fidus enim veſtri protector honoris
Ille fuit. Phœboq; velut ſacri eſſe putantur
Blandus olor, vateſq; pij: ſic ſtirpe creati
Mencinga, in clypeis arguti inſignia cygni
Dum monſtrant, Phœbo ſacros ſeſe eſſe profeßi,
Muſarum decus egregia cum laude tuentur.
Et mihi cum toto diuiſos orbe Britannos
Luſtrarem, Oceani ſpacioſa per æquora vectus,
Neſcio quid nuper dictu mirabile viſum eſt.
Scilicet ad Tameſis dum lentus obambulo ripas,
Fatidicum cygnorum agmen, modulamine preßo
Me viſum excepit, crebro & ſuſpiria ducens,
Saltibus & tremulis quiddam præſagijt alis.
Fallor, an hoc certis voluit mihi dicere ſignis?
Quod poſtquam patriæ decimo ſum redditus anno,
Sollicito cognoui animo, mihi funera Petri
Cum Mencingiaci mœſtæ retulere ſorores.
Cygnus & è clypeo pallenti triſtior ore

Proſpe-

Proſpexit, domini vt mortem lugere videres.
Sed iam Calliope, triſti redimita cupreſſo,
Et pullata venit. tu quæ tibi verba loquatur,
Muſarum ſi fidus amor præcordia tangit,
Attende, & faciles mecum da cantibus aures.
Eſt regio non magna quidem, ſed fertilis agro,
Vinetiſq́; potens, Graij tenuere coloni,
A quibus & nomen retinet, circumdata penè
Harcinijſq́; iugis, & blandi flumine Nicri,
Qui rapidis illic Rheni confunditur vndis:
Partibus hic Zephyri propior, Borealibus ille
Eoiſq́; plagis: Charitini principis oræ
Concludunt auſtrale latus. ſacer ille Melanthon
Hac patria genitus. ſed & hic comes inclytus olim
Vuolframus, gener Henrici, qui nominis huius
Arbiter imperij quartus fuit, optimus heros,
Ius habuit, patriaſq́; domos. Nunc arcibus amplis
Oppiduliſq́; potens, multis dat ſplendida ſedes
Nobilibus, ſua quos pietas & dextera bello
Inclyta, Muſarumq́; fauor clareſcere fecit:
Et quibus attribuit ſupremi in Cæſaris aula,
Imperijq́; duces inter ſapientia nomen,
Et grauitas, fortiſq́; fides, & candida virtus.
Quid tibi Gemmingæ referam clariſſima ſedis
Lumina, Siccingæ cui non eſt cognitus ante
Nobilitatis honos, Sternfelſæ aut gloria gentis

Quid nũc Helmſtadios, quid magnos laude Goleros,
Quid Venningenſes, Neoburgenſesq́; vel vltra
Landſchadios memorẽ, Roßauo aut ſanguine cretos:
Quos tantus generis ſplendor, tamq; inclyta virtus
Euehit, vt ſi pro meritis comprendere vellem
Singula, vel ſaltem paucis attingere verbis,
Non linguæ mihi ſufficerent, non mille Camœnæ.

Nunc tantum mihi ſumma ſequi faſtigia rerum,
Et Mencingiaci laudes perſtringere Petri,
Inter qui reliquos, vt ſidus amabile, fulſit,
Eſt labor; illius generi Mencingia nomen
Attribuit, celebrata mero. mons imminet illi
Vitifer, & totis ſeges aurea fluctuat agris.
Hic habitaſſe tuos etiam Chytræe parentes,
Fama refert, abauosq́; illos, atauosq́; vetuſtos,
Auratosq́; equites bis ſex, quos tempore priſco,
Mencinga de ſtirpe ſatos monimenta recenſent.
Illi armis, fortiq́; manu dum bella laceßunt,
Inq́; ruunt medios diſtrictis enſibus hoſtes,
Pro patria & templis, pro libertate ſuorum,
Tantum promeruere decus generiq́; ſibiq́;,
Quod nec tempus edax, nec ferri iniuria lædet.

Nominis antiqui memor, & virtutis auitæ,
Integer à patria non degenerauit Eraſmus
Laude, nec à veteri fama & virtute receßit,
Sed vera pietate animi, grauitatis amore,

Conſt

Conſilijsq́; valens, poſt patris fata Philippi.
Præ multis alijs tibi laudatiſsime princeps,
Dilectus, Ludouice fuit, qui tempore eodem
Lege Palatinos, & fixo iure regebas.
Hac fama patrijs dum frater Eraſmus in oris
Excellit, populosq́; ſuos cum laude gubernat.
Pacis amans, carusq́; Deo, ducibusq́; ſuisq́;:
Accidit vt ſitiens Chriſti patriæq́; cruoris
Marte minisq́; potens, & belli robore Turca.
Turca Solymannus Byzantina vrbe relicta,
Innumeras acies Eoæ ad clara Viennæ
Mœnia perducens; vt tantam inuaderet vrbem.
Omnia tentaret, ſæua implacabilis ira.
Hic patriæ ſincerus amor, germanaq́; virtus.
Chriſtiadûmq́; ſalus, mouit tua pectora Petre
Virtutum ſtimulis, generoſamq́; impulit iram,
Poſthabita vita vt propria, proprijsq́; periclis,
Communem patriam, quæ laus eſt ſumma, iuuares.
Impiger aduerſos igitur mox primus in hoſtes
Vectus equo trepidante ruis, Turcasq́; feroces,
Nunc telo, nunc enſe feris, atq; omnia ferro
Obuia tanquam falce metens proſternis arator.
Quin etiam monitisq́; pijs, & pectore forti,
Exemploq́; iuuas timidos, animoq́; labantes
Erigis, vt firma tolerarent mente labores.
Sic Mahometigenæ retro concedere Turcæ

Compulſ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Compulſi fugiunt, pro dextra calcibus vſi:
O vtinam multos tali virtute tuliſſent
Tempora priſca viros: aut præſens cerneret ætas
Heröas tibi Petre pares: non ſanguine nati
Conſpurcata parens toties, ad ſtupra puellæ
Non toties raptæ, non templa exuſta fuiſſent.
Nec tibi iuratum patrijs in finibus hoſtem
Graſſantem, & ſummi ridentem numina Chriſti
Aſpiceres, inuicta olim Germanica pubes.
Quin iam priſca tibi redit in præcordia virtus,
Et patriæ ſincerus amor, præduraq́; bello
Dextera, & inprimis maiorum exempla tuorum
Teq́; tuosq́; mouent, vt tantum ſedibus hoſtem,
Deturbes patrijs, niueo lætiſſima vultu,
Rurſus vt ad noſtras redeat victoria partes.
Romani rerum domini ſi vincere nondum
Te bellis potuere ſuis, dextraq́; potenti;
Cur adeo graue ſemiuiros tibi vincere Turcas?
De ſumma ſtatuiſſe rei, iam ſcilicet omnes, "
Iam fuerat melius, non demum tempore tali "
Cogere concilium, quo finibus imminet hoſtis. "
Quin vigila, cape tela manu, depelle tyrannum,
Dedecus hoc aliàs nullis abolebitur annis.
Sed ſurdis toties hæc inculcantur, at olim, "
Heu ſerò nimium, triſtis Metanœa ſequetur. "
Nec tamen exactos, iuuenis Mencingus, illo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tempore ſuſtinuit nullo ſine honore labores.
Nam mox egregia iuuenum ſpectante corona,
Principibusq; viris, ſummi dux agminis illum,
Ritè, aurati equitis, laudatum, inſignibus ornat,
Virtutis precium, perpeſſorumq; laborum
Vt caperet, ſemperq; ſuis hac laude præiret.
Poſt vbi cum populi gemitu deceſſit Eraſmus
Frater Petre tuus: patrijs tu redditus oris,
Iure tuos regere, & iuſtas defendere leges
Cœpiſti, vt patriæ patrem populiq; decebat.
Inprimis tibi cura fuit, pietatis amorem
Vt fidei commiſſa tuæ plebs tempore primo
Imbiberet, iuſtaq; Deum ratione timeret.
» Virtutum eſt mater pietas, qui negligit illam,
» Nullius hic vnquam laudem virtutis habebit.
Hoc credens primis heros Mencingus annis,
Præfecit populo ſanctosq; grauesq; miniſtros,
Qui verbi monimenta ſacri cum laude docerent,
Exemplisq; alios virtutum flectere poſſent.
Hos inter tuus ille parens cariſſimus, olim
Non poſtremus erat, factis Matthæus & ore
Excellens, ſtudio quem magno vt Petrus amauit
Viuentem; ſic & tumulo vicinior illi
Conditus eſt, temploq; vno requieſcit vterq;.
Scis etiam qua mente tuum, quo pectore fratrem
Dauidem ſit complexus: quem tempore longo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Munificè in doctis aluit fouitq́; Lyceis.
Hinc ille Aönij non infima gloria fontis,
Grata Deo facit & dicit, docilemq́; iuuentam
Erudit, Arctoum procul hinc ſemotus ad axem.
Quam vereor, ne, finitimi dum prælia reges
Committunt, peſtisq́; locum crudelis eundem
Duriter affligit, noſtro quid forſan alumno
Contingat grauius; ſed cum ſub numine Chriſti ‹‹
Vita hominum fuerit ſemper defenſa piorum; ‹‹
Ille etiam in medijs poterit florere periclis,
Hoc ego tuq́; illi votis ardentibus optas.
Margaris hic etiam coniunx fidiſsima Petri:
Laus Gemmingiacæ præclaraq́; gloria prolis
Iure mihi celebranda foret, clariſsima puræ
Laude pudicitiæ, forma, pietate, fideq́;,
Qua ſocia & monitrice vtens, licet omnia per ſe
Recte ageret, tamen egregiæ quàm plurima fecit,
Taliaq́; imprimis ſummi quibus inclyta Chriſti,
Et ſacra prouehitur diuini gloria verbi.
Illa ſed heu nimium noſtris cito ceſsit ab oris,
Filiolis lachrymas linquens, gemitusq́; marito.
Illi Roßauæ ſucceſsit Odylia ſtirpis
Gemma decens, ſimilisq́; animi pietate priori.
Cum qua poſtremos ſenior Mencingius annos
Exegit placide, & ſumma quam morte reliquit.
Illa velut ſocium deplorans turtur ademtum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Mœſta ſedet, fatumq́; viri lacrymabile plangit.
Qui tanta pietate animi cum templa ſcholasq́;
Fouerit, & iuuenes, olim qui munera Chriſti
Cœleſtesq́; artes latè diſpergere poßent:
Non illi pater æthereus ſua dona vicißim
Subtraxit, ſed clementi dedit omnia vultu.
Illi lætus ager multas cum fœnore fruges
Reddidit: illius ſemper granaria meßis
Compleuitq́; cauas felix vindemia cellas.
Quid tibi dulce merum referam, quod vitibus illis
Naſcitur, & varijs eſt carum & nobile terris?
Quid tibi magnificas ædes, granaria, cellas
Commemorē? turresq́; nouas, quibus optimus heros
Ornauit patriam, in proprios atq; hoſpitis vſus.
Quid tibi diuitias? auri argentiq́; talenta
Quid recitem? quibus ille licet pænè omnibus horis
Afflueret, tamen aßiduè moderatus & æquus
Extitit, haud luxum oſtentans cultumq́; ſuperbum.
» Humanæ ſortis non immemor, omnia nutu
» Quæ mutare poteſt, & triſti inuertere caſu.
Non illo melior quiſquam, ſi pectore fido
Rectè ageres, legumq́; libens præcepta timeres:
Non etiam grauior quiſquam aſperiorùe fuiſſet,
Improba ſi ſanctas contra petulantia leges
Quid faceret, ſtudioq́; alios violaret iniquo.
Non impunè illi talis quiſquam obuius ißet,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic tamen iratus fuit, vt placabilis eſſet,
Si ſeſe argueret lapſus, veniamq́; rogaret.
Cuncta ſed hæc pietas animi & conſtantia vicit,
Qua Petrus, vt petra, æthereum defendere verbum
Eſt ſolitus, ſtudijsq́; ſacer felixq́; patronus
Extitit, innocuasq́; manus ad ſidera tollens,
Nullius imperio eſt fractus, nullisq́; periclis.
Hinc etiam Chriſto moriens inuictus adhæſit,
Conſtantiq́; fide, illius meritoq́; ſacrisq́;
Vulneribus nitens, placidè expirauit. & inter
Sidereos nunc heröas proceresq́; triumphans,
Nulli audita prius, perceptaq́; gaudia nulli
Sentit, & æterni vultu & ſermone parentis
Perfruitur, morbis liber, curisq́; ſolutus.
Et quoniam ſobolem defendit amatq́; piorum ‟
Ipſe Deus, nec Mencingo de ſtemmate natos ‟
Deſeret, aſt omni felices proteget æuo.
Donec ad egregios tandem poſt fata parentes
Ipſi etiam redeant, expectatoq́; fruantur
Alloquio, nullosq́; habeant ea gaudia fines.
Hæc vbi Calliope, in tenues euanuit auras.
Vos Mencingiacæ pulcherrima lumina gentis,
Et tu mœſta parens, & vos poſt fata paterna
Incolumes nati, & natæ, quæ carmina mitto
Accipite, & placido faciles euoluite vultu.
Vos duo præcipuè concordi pectore fratres,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Corporis eximio præſtans Friderice vigore,
Tuq́; minor Bernarde quidem, ſed maxima matri
Spes viduæ, magnusq́; tua quandoq; futurus
Doctrina ingenioq́;, meæ non carmina Muſæ
Deſpicite, at manes propter, cineresq́; paternos
Perlegite. & quoniam caro ſuccedere patri
Incipietis; ei quas dixi à funere laudes,
Non reor ingratas vobis quandoq; futuras.
Scilicet has tacito voluentes pectore, & ipſi
(Vt facitis) cum laude pij veſtigia patris
Mirantes cupidiq́; ſequi lætiq́; voletis:
Et fratrum vos turba minor, velut æmula, ſponte
Suſpiciet, veſtrosq́; gradus & iuſſa ſequetur.
Sic magno virtute pares, meritisq́; parenti,
Vnanimes eritis, nulloq́; abolebitur æuo
Aut Mencingiacæ, Roſſauæ aut gloria gentis.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

NATHANIS CHYTRÆI SILVARVM LIBER TERTIVS.

TRIVMPHVS TEMPORIS AD NICOLAVM CISnerum v. cl.

SILVA PRIMA.

NOX erat, & puro fulgebant aurea cœlo
Sidera, cæruleis poſtquam ſe merſerat vndis
Phœbus, & vmbroſo tenebras induxerat orbi.
Quando ego ſtellarum miro compulſus amore,
Deſerui tectumq́; meum, gratoſq́; penates,
Obſeruaturus tota vaga ſidera nocte.
Ad Boream, geminaſq́; arctos, ſua brachia Perſeus
Tendebat, vitreiſq́; pedes immerſerat vndis.
Pegaſus eoas partes, coniunctus Olori
Seruabat, rigidæ metuendus acumine caudæ
Scorpius, Auſtrali ſtabat decliuis in orbe.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ad latus heſperium Nemeæi cauda Leonis
Ardebat, medium cœli piger ille Bootes,
Et ferus Alcides Bacchiq́; corona tenebat.
Hæc ego dum video, verſumq́; ad ſidera vultum
Circumago, rapida pariter vertigne cælum
Torqueri, atq; alias luceſcere ſentio ſtellas,
Obſcurari alias, vaſtiſq́; immergier vndis.
Donec mox ſolis, quem vix cecidiſſe putabam,
Præuia fulgeret roſeis aurora capillis,
Et pariter tenebras ipſas, & ſigna fugaret,
Grataq́; lux orbi nondum expectata rediret.
Ceſſo igitur luſtrare polum, celereſq́; recurſus
Solis, & ex illis noſtræ fugientia vitæ
„ *Tempora demiror, qui ſic volitamus, vt ipſe*
„ *Sol rapitur, ſubituſq́; cito ſe turbine vertit,*
„ *Interitum nobis properans, mundoq́; ruinam.*
Nec mora, progredior vicini ad culta roſeti
Compita, cum blando coëuntia frigora morſu,
Inq́; pruinoſis caneſcens gutta frutetis,
Non procul eſſe diem ſigno conſtante notaret.
Aſpicio: roſa nulla ſui patefecerat orbem
Floris adhuc, arcto foliorum hæc clauſa galero,
Hæc ſummo mucrone comas diducta notabat.
Momentum intererat, ſubitò turgere videres
Omnia. iam denſos illa euoluebat amictus:
Hæc folijs numerare ſuis, croceoq́; capillo

Se medi-

Se meditans, nitidum calatho pandebat honorem.
Mox vbi iam gratum folijs ſpirarat odorem;
Pallida, collapſisq; comis, pedibusq; terenda,
Tam breuis, & ſubitò mutata ſorte iacebat.
Hei mihi, dicebam, quàm flos ætasq; roſarum
Exigua eſt! vix orta dies hanc protulit, ecce
Naſcendo moriens, cadit ipſo in flore iuuentæ, "
Pro folijs ſpinam oſtendens, papposq; volantes. "
Quàm ſimilis mea vita roſæ eſt! iuuenilibus annis "
Illa viget, laude ingenij, vi corporis, ore "
Purpureo, rectis ſtudijs & idonea bello. "
Sed ſubitò vigor ille perit, nec redditur vnquam "
Perditus. en pueros, iuuenes, tenerasq; puellas, "
Curſibus à tergo premit inſidioſa ſenectus, "
Quin inopina manus iuueni, procul eſſe putata, "
Inijcit, arroditq; animi cum corpore vires, "
Paulatim dira donec mors omnia falce "
Demetat, & finem rebus mortalibus addat. "

Hæc ego. tùm poſitis radijs lauroq; decorus
Phœbus adeſt, doctoq; comes lux aurea Phœbo,
Qua duce, non tenebras ſuperi, non nubila mundus
Nouit, & æthereo collucent cuncta nitore.
Obſtupui fateor, ſed ſuſtulit ille timorem
Alloquio verbisq; ſuis, cum talibus infit:
Quid iuuenis dilecte mihi doctisq; camœnis,
Vſq; adeò pendes animi, vitæq; caducæ

Tempora, præcipiti confers cum flore roſeti?
Cùm meliora ferè veſtræ ſint omnia ſortis
Conditione mea: noſtros ô quæſo labores
Aſpice, circuitusq́;, quibus ſine fine fatigor,
Aſpice quo flectam ignitum moderamine currum,
Vt rapiar, celeriq́; rotas vt turbine vertam,
Vt trepident properentq́; dies: vt fulminis inſtar
Tempus eat, ſubitiq́; ruant cum menſibus anni.
Nec tamen humani poſſum compeſcere famam
Ingenij, ruit illa prior vi temporis, illa
Poſt obitum creſcens, volat immortalibus alis.
Candidior ſtellis ſolidoq́; perennior ære.
Ecce aliquis fama celebris, meritisq́; per orbem
Cognitus, exactæ poſt huius tempora vitæ,
Clarior eſt multo, famaq́; ſuperſtite viuit
Perpetuò, vitam velut ipſo in funere nactus.
Creſcit enim moriendo decus, noua gloria creſcit.
Cui certè inuideo, quin & pudet eſſe deorum
In numero, cùm mortalis mihi vincere famam
Non liceat. quæ nobilior ſi funere tandem
Redditur, ô miſeram mortis ſine viribus iram.
Si ſuperis labor atq; homini laus poſthuma creſcit;
O miſeros hac lege deos, mortalibus ipſis
Si non eſſe pares diuino in numine poſſunt.
Quatuor en ſine fine domo paſcoq́; caballos
Flammiuomos, celeres, rapidosq́; volantibus alis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Proripio in gyrum glomerans, & tempora mecum
Æquali ſpacio, nunquam reditura feruntur:
Non hominis tamen egregium poſt funera nomen
Obſcurare queo. piget, hei, piget eſſe deorum
Concilij primos inter, ſi nomina famæ
Non ego mortalis poſt terga relinquere poſſum.
Et pudet, & doleo. quin hic pudor excitet iram,
Ira mihi rabiem triplicatis curſibus addat.
Ardeo nunc animi, & non clam mortalibus iſtis
Indignor, quos ſi centum vel mille ſuperſint
Poſt mortem ætates, fama immortalibus ornat
Elogijs, claroſq; magis poſt funera reddit
Quam fuerant viui. quis non tua Regule facta,
Scipiadumq; manus, vel magni nomen Achillis
Audijt, haud tergo ſed fronte & pectore noti (rus,
Dardanijs? cui non Cicero, Maro, Flaccus, Home-
Notus ob eloquium eſt & doctæ flumina linguæ?
Mille licet luſtris noſtros præceſſerit annos.
Hoc ne ego ſic patiar? qui nocte dieq; laborans
Nequidquam abripior, celeres vincentibus Euros
Curribus, apparetq; viæ non meta rotundæ.
An ſic perpetuò mea per veſtigia voluar?
Non hominis validus tantam contundere famam?
Quin licet experiar. ſolitos nunc ira labores
Tergemina & curſus vincat vertigo priores,
Gloria ne paribus ſemper me curſibus æquet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dixit, & igniferum volitans ſublatus in axem,
Alipedes inſtigat equos, demittit habenas,
Feruidus & calcar iam ſponte volantibus addit.
Quadrupedum incaluere animi, quaq; impetus egit
Hac ſine fine ruunt, cœli ruit igneus orbis,
Ante ſatis celer, inſucto ſe turbine vertens.
Lux magis atq; magis properat, fugit annus, & or-
Quæ rapit hora diem, fugit irreparabilis ætas. (tum
Sic modo pacatis conſpectus in æthere ventis
Miluius, intentus prædæ, placidiſſimus ibat.
Aſt vbi vel turdum vidit, tenerumúe palumbem,
Tum celer inſequitur, trepidè fugit ille ſequentem.
Nec mora nec requies geminatis curſibus inſtat,
Donec auem ſuperare queat votoq́; potiri.
Sed quid ego volucres Phœbi cum curſibus æquo?
Quos neq; mens hominis, nec lingua volubilis vn-
Nec ſtylus aſſequitur, nihil eſt velocius illis, (quam
Non Rhodanus, non ira maris, non fulmina cœli.
» Nunc ego, quæ ſuſpexi olim mortalia ſperno
» Omnia, dum rapidos ſolis mundiq́; rotatus
» Attonitus video. ô ſpacium reuolubilis orbis
» Longum, immane, ingens! ô lux tempusq́; diurnum
» Exiguum, breue, contractum! quo tanta perenni
» Sol curſu ſpacia abſoluit, tantosq́; labores.
» O breuitas vitæ humanæ! ô vicinia mortis,
» Æquali cum ſole gradu ſi tempora vitæ

Aufugi-

Aufugiunt, tantumq́; mihi decedit in horas,
In rapido quantum exegit ſol aureus orbe.
Hei mihi quàm vanum eſt, nimium confidere rebus
Terrenis, quas tempus edax euertere poßit:
Quas ſimul adquirens perdas: retinere laborans;
Amißas ſubita videas perijße ruina.
Si qua igitur tibi cura tui eſt, ſi viuere recta
Cum ratione velis, ſana tibi proſpice mente,
Dum licet, & rebus nimium ne crede caducis,
Surſum oculos, animosq́; tuos ad ſidera verte,
Hic tibi præſidium ſtabile eſt, hoc nitere ſolo,
Contemptis alijs. quid enim tibi proderit amplas
Voluere ſpes animo, partis confidere rebus?
Cùm videas duce ſole horas menſesq́; diesq́;
Effluere, & finem mortalibus addere curis
Momenti vnius ſpacio, vel dicere ſi quid
Momento breuius liceat. circumſpice quæſo,
Ver, æſtas, autumnus, hiems, quam ſæpe recurrant,
Quàm ſubitis vicibus. nix iam glaciesq́; videtur;
Momentum intererit, roſa cùm naſcetur ibidem,
Quæ ſimul extincta, autumnus cùm poma reduxit,
Bruma recurret iners. & puncto temporis vno
Maxima nunc æſtas mox frigora maxima lædunt.
Sic ruit annorum ſpacium, ſic diffugit ætas.
In ſpeculo nobis nos & noſtra omnia ponens
Ante oculos. hic aſpiciat ſe quilibet ipſum,

Erroresq́;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Erroresq́; ſuos, & cum deprenderit ortum
» Interitumq́; ſuum, miſeræq́; breuiſsima vitæ
» Gaudia, depoſitis criſtis, ante omnia morti
» Se paret hic, recteq́; vtens iuuenilibus annis,
» Sit memor ætatis ſeræ, quæ præuia morti
» Aduolitans, ne ſera quidem dicenda videtur.
» Mane infans aliquis, venienti nocte ſeneſcit. (di?
» Namq; hominis quid vita aliud? quid gaudia mun-
» Quam nebuloſa breuisq́; dies, & noxia multis,
» Temperies in qua cœli mutetur in horas,
» Nunc ridens, mox ſæua iterum, quæ bella videri
Fortè poteſt alijs: ego nil laudabile prorſus
Hîc video. quid ſpes hominum, quid cornua vulgi,
Quid riſus, varijq́; ioci, quid tollere criſtas,
Atq; adeò inflari & reliquos contemnere prodeſt
Mortali? cui nec vitæ nec tempora mortis
» Cognita ſunt: quamuis nūquam non proxima nobis,
» Quæ vitæ breuitas, mors eſſe & funera poſsint.
At vos ô iuuenes, noſtris ne credite dictis,
Obfirmate animum ſolitisq́; inſiſtite nugis,
Largiter & vobis diuturnæ tempora vitæ
Gaudiaq́; & luſus magnis promittite votis.
Quod multi faciunt, rectum parere monenti
Qui ſibi turpe putant, pro libris pocula Bacchi
Tractantes, animis ſtolidi, faſtuq́; ſuperbi,
Prodentes vultu ingenium, mentemq́; ferinam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vertice criſtato, leuitatiſq; indice pluma,
Barbarico inceſſu, & cubito fulcimine nixo,
Guttur onocrotali bouis aut palearia laxis
Dependent manicis illorum, & carbaſa brachæ,
Velorumq́; ſinus caligarum ſyrmata pingunt.
Hos ego lethifero ſopitos eſſe veterno
Non dubito, mittoq́; libens. quis ſtultus & amens “
Inuitum ſeruare velit? prodeſſe nocenti? “
Ingenuos ego compello, fuciſq́; moleſtis
Diſſimiles. vos ætatis non ſpernite florem,
Vos animum ſtudijs intendite, viuite rectè
Vt decet, & memores vrgentis terga ſenectæ,
Quærite præſidium ſeriſq́; viatica canis.
Hora volat, fugit ipſe dies, citò defluit annus, “
Punctum erit, & mortis fiemus præda, nouamq́; “
Viſemus patriam; ſummi vel gaudia cœli; “
Vel ſtygiæ tormenta domus; ſi vita peracta eſt “
Turpiter. hic animis opus eſt, hic robore firmo, “
Dum licet, & miſeri vitales carpimus auras, “
Et ratio tempuſq́; ſinunt. non ſera moremur “
Funera, cum vitam in melius mutare peractam “
Non liceat. iam tempus adeſt, iam certa facultas “
Informare animos & ſanctam degere vitam: “
Hæc parient tibi perpetuum poſt funera nomen, “
Hac cœlum ratione petes delubraq́; diuûm.

Committant alij doctis ſua facta Poëtis,

Hiſtori

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hiſtoricisq́; libris, & ſeræ nomina famæ
Se nactos hinc inde putent, & tempora flocci
Præcipitesq́; dies, annos & ſecula, pendant,
Et fore ſe meritis, fama, virtute, librisq́;
Perpetuò credant viuos, & laude celebres.
» Aſt ego præferrem vitæ immortalis honores,
» Sanctorum in numero, quos nulla iniuria lædit,
» Non ſæua annorum rabies, non ſpicula mortis.
» Fama vale, quid enim libri, quid carmina poſſunt?
» Corticibus conſcripta, leui ſignata liguſtro,
» Quod vel fama rapax, aut inuidioſa vetuſtas
» Delet, & in nihilum paruo poſt tempore vertit.
Millia librorum millenaq́; millia dudum
Interiêre ſitu. quot in his bene geſta virorum
Nobilium deleta putas? quot perdita plane
Nomina, perpetuam ſibi promittentia famam?
Præterea ſol ipſe ſuis quia curſibus inſtat,
Et ſpacia ingeminans, ſolitis pro menſibus annos,
Proq́; annis luſtra, & pro luſtris ſecla videtur
Conficere, vt mundo acceleret properetq́; ruinam:
Perpetuò quis clarus erit? cum ſecula vincant
Hiſtorias, ſcripta, ingenium, doctiſsima quæq́;
Carmina. quid fama eſt tantorum clara virorum?
Quos ſpacio incluſit medio Peneus & Hebrus,
Quos vallis Tyberina dedit, quos flumina Xanthi.
Quorum Mæonides communi ex ſorte redemit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Exiguam partem; reliquorum obliuio dudum
Nomina deleuit, nec parcere cogitat illis,
Quos etiam multis donarunt carmina ſeclis,
Machina cum mundi cœlo flagrante peribit.
Ergo quid hîc aliud fama eſt; quam tempore veris
Vna dies, quæ parte ſui iam pænè ſerena eſt,
Mox dubio cœlo nebulis turbatur, & atras
Vertitur in tenebras prima caligne noctis.
Sic fugiunt hominum pompæ, ſic regia ſceptra, „
Sic ruit imperium, clari ſic fama triumphi, „
Diuitiæ ſic intereunt, ſic ſplendor honorum: „
Quin etiam ingenium & doctæ facundia linguæ „
Temporis aßiduas ſcriptis inhibere rapinas „
Non poſſunt. fugit hic mundus, noſtra omnia ſecum „
Abripiens. requies tantorum nulla laborum eſt, „
Ni prius in nihilum redigens mortalia perdat. „
Nec curo hic quid vulgus agat, quid turba pro-
Somniet, immenſi ſpacij cui vita videtur. (fana
Altius intendo hic animum, cogorq́; fateri,
Vita hominis tantùm paulo ſi longior eſſet,
Viſuros nos interitum mundiq́; ruinam.
Iam quia vita breuis multorum fata recenſet:
Suſtinet & varios miſeranda in ſorte labores:
Ætates ſimul & quàm plurima facta priorum
Enumerans: quæ tam breuis eſt, ſibi longa videtur, „
Stultior interea, & propriorum ignara malorum: „
Dum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dum longas rogat ætates ſeramq; ſenectam,
Vt queat æternam factis extendere famam.
„ Quin multos quoq; fœlices infantia tollit,
„ Et miſeros itidem multos extrema ſenectus.
„ Nec deſunt qui non genito tribuere beati
„ Nomina, & extingui citò, rectius eſſe putarunt,
„ Quam ſupereſſe diu, & cumulos perferre dolorum.
Nam quid fama tibi quid gloria proderit olim,
Quam tanti facis, & penè immortalibus æquas?
Vis dicam? geminam mortem tibi ſtulte creare
Niteris. hîc unam ſublato corpore perfers:
„ Altera mors famæ eſt, quam ſi poſt funera linquas;
„ Momento moriere iterum, cum fama peribit.
„ Et quia conſumit ſecum omnia tempus auarum;
„ Nec primum poteris ſed nec vitare ſecundum
„ Interitum, pœnamq; tibi, pro laude parabis.
„ Sic tempus de nominibus, famaq; triumphos
„ Hic agitat, clarosq; procul ſupereminet omnes.
„ Omnia conſumens velociter, omnia vertens.
Ergo tibi ô iuuenis ſi res eſt publica curæ,
Si quidquam lacero plorans Eccleſia vultu
Te mouet, aut Sophiæ ſi quid ſuſpiria poſſunt;
„ Inuigila ſtudijs, & floreſcentibus annis
„ Dum vacat, ingenijq; valent cum corpore vires,
„ Vtere, & adſtantem ſemper meditare ſenectam.
„ Si volat adſiduè, vt volat, irreparabile tempus,

Non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Non vigor hic diuturnus erit, longumq́; manebit.
Pallida vt in ſiluis autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia, & frondes cernuntur inanes:
Sic ſubitò flos ingenij iuuenilis, & omnis
Decidit areſcitq́; vigor. quin iſta ſenectæ
Nos hora adiunxit propius, mortiq́; ruenti.
Ergo laborando venientes vincite ſordes,
Fortiaq́; aduerſis opponite pectora telis
Barbariæ, dum turpis abeſt & decolor ætas.

Nec tamen humanis nimium confidite rebus
Ambiguis, vanis, miſeris, miſereq́; caducis:
Non nimium in terris mortalem quærite famam.
Quin potius patrio mentem conuertite cœlo,
Æternis intenti opibus, famæq́; perenni,
Quam non tempus edax, non flammæ iniuria lædat.

Tu pie Chriſte faue, dubium tu dirige vitæ
Curriculum, cœptosq́; iuua perferre labores,
Et tandem æthereæ dona nos munere lucis:
Sic tibi dulciſonis repetemus carmina linguis,
Sic te dante tui fidus celebrator honoris
Semper ero, dum lingua mihi dum vita manebit.
Sit tibi laus, tibi ſummus honos, tibi gloria ſoli.

Hæc Ciſnere tibi ô noſtris cariſsime Muſis
Magnis pro meritis do paruula, pignus amoris,
Atq; animi indicium grati, quo nomine, noſti,
Tu placido atq; hilari, vt mos eſt, illa accipe vultu.

MEMORIÆ
IVSTINÆ RVDELIÆ
SPECVLVM VXORIVM.

SILVA II.

IVſtitiæ defenſoris Iuſtina Rudeli
Filia, iuſtitiæ ſat noto nupta patrono,
Æternæ nunc iuſtitiæ velamine tecta,
Iuſtitiæ ad ſolem properat, iuſtamq; coronam
Iuſtorum cœli procerum, ſed ſanguine Chriſti
Iuſtorum: Iuſtina etiam quo iuſta, dolorum
Immemor immortali æuo cum pace fruetur.
Huic, dum vita fuit, placuit ſuper omnia mater
Virtutum pietas, & caſti cura pudoris.
Contigit ingenium, & ſexu prudentia maior.
Pauca ſed apta loqui: nullum contemnere; luxum
Odiſſe, & pictas auro gemmiſq; lacernas.
Dum tabes paſſa eſt, templi ſtudioſa, domiq;
Sedula, rara foris, placidè officioſa marito,
Munifica in tenues, in cunctos comis egenos.
Non percontatrix, non vicinæ æmula faſtus,
Non ſuſpirando, flendoúe moleſta, ſed vltro
Imperij patiens, & ſobrietatis amore,
Mundicieq; placens: dotemq; genuſq; paternum
Inculcans nunquam: formatrix commoda prolis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ingenuæ : modiceq; hilaris, modiceq́; ſeuera :
In morbis patiens, & votis dedita Chriſto :
Nec placitura ſibi, niſi ſit placitura marito.
Deniq; virtutum ſpecimen, quo ſæpe minores
Alliceret, verbisq́; etiam monitisq́; benignis
Et grauibus, virtutis iter cum laude doceret,
Nec ſine fructu adeo. formoſi gratia vultus
Tanta erat, & placidis fandi vis inſita verbis.

Tu quæcunq; tui & verè ſtudioſa mariti es,
Hanc imitare libens, iſtis te laudibus effer,
In quibus & tua philtra ſimul mundumq́; decentem
Deprendes poſitum. non nobilis Epponnina,
Non Lyſidiſsa illi virtutum nomine certet,
Non Poſtæa etiam, non regi nupta Phereo
Alceſtis, non quas alij ſine pondere iactant.
Haud etenim immerito partes Iuſtina priores
Hic tenet. in reliquis quæ ſingula namq́; fuere,
Hîc coniuncta vides. apicemq́; his omnibus addit
Virtutum regina Fides, qua pectore toto,
Toto animo, totis imo de corde medullis
Ad Chriſti amplexus cœliq́; ad limen anhelans,
Euaſit victrix, immortalemq́; coronam
Obtinuit, veræq́; adeo primordia vitæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

MEMORIÆ NOBILISS. DANIELIS RANZOVII, DVCTORIS FORTISS.

SILVA III.

Tene etiam lux Rantſouiæ pulcherrima gentis
Ante diem mors atra rapit? nec viuida dextræ
Inuictiq́; animi virtus, nec ſtirpis auitæ
Gloria te rigidis potuit ſubducere Parcis,
Heu nimium parcis, tibi quæ florente iuuenta
Inuidiæ ſtimulis actæ, vitalia rumpunt
Stamina, nec gemitus patriæ, fratrumq́; duorum
Reſpiciunt curas, & virgineos vlulatus
Heu ſponſæ miſeræ, cari pro funere ſponſi
Sperantis liciti tædas & gaudia lecti.
Dicite Theſpiades (veſtri nam muneris, ipſum
Carminibus celebrare Deum, regesq́; potentes,
Et magnos virtute viros) qua ſtirpe creatus,
Qua patria, & varijs quas res benè geßerit oris
Rantſouius, veſtri decus & defenſor honoris.
Et tantum lugete virum. quis namq; profuſis
Temperet à lacrymis? quis acerbo frena dolori
Inijciat? cùm Rantſouij quoq; funera fletum
Ignotis ſimul incutiant atq; hoſtibus ipſis:
Tanta viri bonitas & erat ſub pectore virtus.

Hanc

Hanc vobis labor eſt verſu celebrare canoro "
In quocunq; viro, quacunq; in gente repertam: "
Et liuore caret, celebris poſt funera virtus. "
Summo igitur iure inuidia labor iſte carebit,
Prudentes ſi fortè viri, & virtutis amantes
Iſta legant, nam plebeias vos ſpernitis iras.
Ergo agite Aönides, tuq́; ô fortiſsima Pallas,
Si veſtro puerum gremio tenuiſtis, & vlnis
Amplexæ, tenero fouiſtis ab vbere matris:
Si vos ille pio ſemper redamauit amore:
Incipite & mecum mœſtas iterate querelas.

Adiacet Arctois diues peninſula regnis,
Quàm pater Oceanus, læua, dextraq́; Codani
Littora circumdant, olim gratiſsima ſedes
Cimbrorum, imperio gens formidata Latino
Quæ fuit, & rigidas ſuperauit ſæpius Alpes:
Horrendaq́; manu Tyberinas terruit arces.
Cæpio teſtis erit, teſtis Syllanus, & acer
Manlius, armatos qui non depellere Cimbros
Auſonijs potuere iugis, & mœnibus vrbis.
Nunc regio Holſatis ducibus cultiſsima paret,
Quos inter virtute fuit rebusq́; gerendis
Maximus, à Chriſto verum cognomen adeptus,
Rex maris Arctoi, Dani cuſtodia regni,
Rex magnus pietate, armis, bonitate, paterq́;
Florentis patriæ, vt paucis quamplurima dicam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Illi, Rantſouiæ ſtirpis decus, optimus ille
Et pietate potens, & ſeruantiſsimus æqui
Goſgius, antiqua fuerat virtute fideq;
Cognitus, & primos cariſsimus inter amicos,
Par illis pietatis amor, vitæq; probatæ:
Par illis ſtudium ſacros euoluere libros,
Et caſtas recitare preces: quæ copula veræ
Dulcis amiciciæ ſeros durauit in annos.
Eximius quoq; diuina pietate Lutherus
Hunc coluit, ſtudiumq; pium mentemq; probauit.
Litterulæ teſtes calamo dextraq; Lutheri
Perſcriptæ, viuens theſauri Goſgius inſtar
Quas oſtentabat, ſummoq; adamabat honore.
Goſgius iſte ſuos cum laude educere natos,
„ (Quæ res tota ferè noſtro contemnitur æuo)
„ Cumprimis voluit, præclaro ſanguine natum,
„ Non dubius ſtolidi mores corrumpere vulgi,
„ Ni doctrina rudes animos & pectora firmet.
Te Daniele igitur primis virtutibus annis
Imbuit, exemplis vitæ & rationibus vtens
Egregijs, generoſa quibus formanda iuuentus.
Mox etiam ſtudijs & honeſtis artibus aptum,
E patria te Leucoreum tranſmiſit ad Albim,
Ingenij cultum vt caperes, caſtæq; Mineruæ
Deditus, eximij ſpectare Melanthonis ora,
Eloquijsq; viri permulta addiſcere poſſes

Nobilibus diſcenda viris. cumq́; ipſe Lutheri
Conuictor medio fueris, puer inclyte, luſtro,
Multa videns, diſcensq́; adeo: non temporis illic
Iacturam es paßus, veluti pars magna iuuentæ:
Sed rediens animo ſollers, & moribus aureis
Viſus es illuſtri decus & ſpes magna parenti.
Doctrinarum igitur ſedem & virtutis auitæ
Italiam penetrare iubet te prouidus heros.
Non ſtudio quo Cimbri olim, ſed diſcere mores
Diuerſorum hominum voluit, quæ tempore noſtro
Vtilis humanis multum eſt prudentia rebus.
Ergo tibi medio quidquid Germania tractu,
Quidquid & Alpinæ gentes memorabile monſtrant,
Eſt viſum. quin & Venetæ miracula ſedis,
Medoacumq́; Pado vicinum, & flumina Rheni
Felſinei, vallesq́; Arni, Lambrumq́; rigentem,
Et ſeptem dominos Romæ tibi viſere colles
Inclyta cura fuit, nec te coniuncta Veſcuo
Ora iugo ignorat, Baiani aut limen Auerni:
Quem velut Ænean te multi adijſſe putabant,
Cum procul à patrijs tam longo tempore terris
Dißitus, expectare tuos noctesq́; diesq́;
In patriam reditus ſineres, nihilominus abſens.
Nam tibi Gallorum populos, vrbesq́; videre
Sequanicas placuit: quin bella gerentibus illo
Tempore, conſilio præſens armisq́; fuiſti,

Vt magnos virtute decet Martisq́; nepotes.
Hæc mora longa tuis felici deinde recurſu
Compenſata fuit, ſimul ac pulcherrimus heros
Optatæ optatus rediiſti ad limina terræ,
Saluus & incolumis, patrio cariſsimus orbi.
Nec cælare diu tua ſe clariſsima virtus
(Ignea nam vis eſt) potuit: poſt funera patris
Egregij, te Rex fidum ſibi legit Achatem,
Et regni proceres vno velut ore vocabant
Auxilium Daniele tuum fidosq́; labores.
» Quid faceres? patriæ querulas contemnere voces
» Non decet, aut regum placidis ſe opponere dictis.
Aula igitur tibi clara patet, tu carus in aula
Omnibus, aulæ inter proceres pulcherrimus ibas.
Dotibus ingenij, natiuo & robore clarus.
Perpetuas Aſtræa tuo ſub pectore ſedes
Confugiumq́; habuit. ſimul aduenere ſorores,
Cum Pietate Fides, animi Conſtantia, Candor,
Fortunæq́; hoſtis Prudentia, vultus & idem
Rebus in aduerſis animus rebusq́; ſecundis.
Quid referam? vt Muſas veteri complexus amore,
Non rarò vates etiam quid pingue ſonantes
Auxeris, & ſtudium pleno laudaueris ore.
Omnia quæ Regi multum placuiſse potenti
Quid mirum eſt? cui non placeat tam ſplendida virtus?
Te Rex præcipuos inter ſibi legit amicos,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Conſortemq́; habuit rebus cui fideret arctis.
Hic ille eſt magnus Phœbiq́; & Martis alumnus
Rantſouius, cui Rex equitum peditumq́; cateruas
Tradidit, ingenium cernens, generoſaq́; bello
Pectora, & immenſum patriæ regionis amorem.
Hic ille eſt hic Rantſouius, qui dulcia ſponſæ
Oſcula, deuotaſq́; preces, lacrymaſq́; cadentes,
Et iam promiſsi genialia gaudia lecti
Poſtpoſuit patriæ, multum mirandus, amori.
Romula gens Decios, extollat Græcia Codrum
Laudibus, atq; alios patriæ qui impendere vitam
Suſtinuere olim. longè præſtantior illis
Noſter hic eſt heros, patriæ qui plenus amore,
Sponſus in arma ruit (ſed ſponſi ardentius igne
Quid fuit? aut quid erit?)pulchroq́; occumbere letho
Non dubitat, nimium florentis prodigus æui.
Hæc illi ſponſa eſt, hi primæ ætatis amores
Aut vitam & patriam bello & virtute tueri;
Aut patriæ interitum præclaro auertere letho.
O decus, ô noſtri pietas clariſsima ſecli!
O decus, ô nullo pietas delebilis æuo!

Hic ego deficio, & laudum vir ſumme tuarum
Obruor Oceano: hîc fandi vis victa laborat:
Hic me deſtituit non apto tempore Phœbus.
Forſan & incautum quoq; ſerior arguet ætas
Me ſtudiumq́; meum, rupta maria alta carina

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quod tentem, ſupraq́; meas tendentia vires
Aggrediar, tenui celebrans te maxime verſu.
At miſerande heros, magno cariſsime Regi,
Quodnam omen læuum, quæ te mala fata manebant!
Linquentem ſedes ſolitas, & regia tecta,
Debitus vt Parcis nunquam rediturus abires?
Nulláne ſenſiſti inſtantis præſagia lethi?
Et ſenſiſti equidem, cum te ſubducere turbæ
Paulatim inciperes, & ſolus degere vitam,
Exequijs te rite parans mortiq́; propinquæ.
Diſpoſuiſti etenim, certo diplomate ſignans
Omnia, per fratres tua quæ poſt funera velles
Aut fieri, aut donari alijs, aut nuncia ferri.
Nec tua larga manus turbam neglexit egenam,
Non inopes, tenuesq́; ſcholæ templiq́; miniſtros.
Et cum nemo ſui vitet diſcrimina fati,
Fortiter oppugnans hoſtiles feruidus arces,
Pro patria nullo cecidiſti comminus enſe,
Nec cæſim punctimúe hominis te dextera læſit,
Non cadit in quemquam tantum decus. eminus ictu
Machina muralis ſæuo te perdidit, ictu
" Quo tener Aſtyanax magnum quoq; lædat Achillem.
Ergo iaces, turmæq́; tuæ, carisq́; querela
Fratribus: & pullo circumuelatus amictu
Plangit Hymen, quaſsatq́; atras ſine lumine tædas,
Dammiadumq́; decus tibi deſponſata puella
Dammia-

(Dammiadum Catharina decus, quæ patris Othonis
Vix bene turgidulis mortem plorarat ocellis)
Sciſſa comam, laniata genas, & pallida vultum,
Victa dolore, animam ſub anhelo pectore & ore
Vix tenet, & vocem ſingultibus interrumpens
Has repetit miſeras, miſerando è corde, querelas.
Sicne ego te talem adſpicio? ſic funere acerbo
O mea vita iaces? quos me, ô crudelia fata,
Crudeles Parcæ, quos me ſeruaſtis in vſus?
Hanc vt ego tam caram animam, tam nobile corpus
Spectarem ſine luce iacens, tumulumq́; viderem
Pro thalamo optato, pro ſperatis hymenæis?
Heu cur non eadem tecum mihi machina vitam
Eripuit? vetuitq́; iſti ſupereſſe dolori?
Muneris inſtar erat funus mihi tale, minusq́;
Infelix tumulata forem. iam viuo; quid autem
Dulce mihi niſi fata meo crudelia ſponſo
Orba queri, mœſtumq́; patris ſpectare ſepulcrum.
Dixit & inſano compleuit tecta vlulatu,
Excipiunt miſeram comites, ſtratoq́; reponunt.
Suſis Habradaten, ſic & Panthea maritum
Egregium virtute olim, ſine fine modoq́;
Luxit, & adſpiciens præciſæ vulnera dextræ,
Impoſitumq́; caput ſinui, & ſine ſanguine corpus:
Vulnera compleuit lacrymis, fletuq́; cruorem
Diluit, & querulis adiungens oſcula verbis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dixit Abradate, quis te cariſsime nobis,
O fidum optatumq́; caput, quis ſuſtulit inquam,
Caſus? ut hinc poſsis nobis abijſſe relictis?
Te ſequar extinctum, non te ſupereſſe iacente,
Me decet. heu miſera nondum à me morte reuelli
Care potes. ſi dulce fuit mihi viuere tecum;
Sit quoq; dulce mori, tumuloq́; abſcondier vno.
Talibus atq; alijs cari quoq; funera ſponſi
Proſequitur Catharina ſuo cariſsima ſponſo.
Illam indulgentem lacrymis, & fata gementem,
Stellarum vigiles medijs in noctibus ignes
Adſpiciunt, ſol ipſe videt cùm promit eoam
Lampada, & heſperijs quando ſe cælat in vndis.
Quid verò Regis gemitus? quid triſtia patrum
Lamenta, & queſtus? regio quibus vndiq́; plena eſt.
Aut quid feralis referam ſolemnia pompæ?
Quando ipſe adſpectus imo de corde dolores
Eliceret. lugent proceres mœſtiq́; ſequuntur,
Non ſecus ac cari ſi quiſq; ad buſta parentis
Pergeret, aut fratris ferret ſuprema ſepulcro:
Tantus erat luctus, tàm triſtis clamor in vrbe
Omnibus, vſq; adeò dum lamentabile funus
Expediunt, patrioq́; virum ſub marmore condunt.
Sic cum fortè ſuo puppis ſpoliata magiſtro eſt,
Nautica turba ſtupet, gemitus clamorq́; deinde
Exoritur, reſonatq́; nouis vlulatibus aër:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Voluitur ambiguum nauis deſerta per æquor.
Nec tamen ô nimium nimias iterate querelas.
Flebilis ille quidem patriæ, regnoq́; potenti
Occidit. at pulcrum eſt, & ſumma laude vehendum,
Pro patria regione mori. vix illa vocari
Mors poterit, parit æternæ quæ nomina famæ:
Illuſtresq́; animas inter, diuosq́; peremptum
Collocat, æternam donans poſt funera vitam.
Hanc quoq; Rantſouius, lumen virtutis, adeptus,
Liber agit curis, & mundi gaudia ridet,
Exutus vinclis miſeris & carcere duro.
Ergo quid illuſtrem vexatis fletibus vmbram?
Non eget hic lacrymis, qui iam ſine fine beatam
Lætus agit vitam, curas & ſpernit inanes.
Imperturbato, quæ vult Deus, omnia vultu
Sunt tolerando pijs. ne nobilis heroine,
O Catharina tuo quondam ſpes maxima ſponſo,
Fletibus ora riges nimium, quin parce querelis:
Hoc pietas rectorq́; iubet ſtellantis Olympi.
Vos autem non conſilij aut rationis egeni
Rantſouij proceres, & tu par nobile fratrum,
Antoni & Petre, quem fertis ſuperate dolorem.
Hoc fortes claroq́; decet de ſtemmate natos.
Sic vobis, fera quos fratri mors præripit annos,
Adijciat pater omnipotens, & poſtmodò longo
Tempore Rantſouiæ ſeruet duo lumina gentis.

Viuite

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Viuite concordes animæ, præclaraq́; facta
Fratris & egregium meritis æquate parentem.

NOBILI ET MAGNIFICO HENRICO RANTSOVIO R. M. IN HOLSATIA Vicario, &c.

SILVA IV.

ILLE ego qui nuper Danielem carmine fleui
Rantſouium, fulmen belli, armatisq́; tremorem
Hoſtibus, & patriæ, Regis, virtutis amicum:
Nunc etiam celebrare tuas pulcherrime laudes,
Cnoppero monitore mihi, fidoq́; patrono,
Percuperem: dum cygniferi te mœnia Varni
Exiguo magnum hoſpitio, turbamq́; ſequentem
Excipiunt: ſed iam breuitas mihi temporis obſtat.
Obſtant magnarum grauitas & pondera rerum,
Virtutesq́; tuæ, tenui quas carmine dici
Non decet, eximijs ne quid præconia rebus
Vilia detrahere, & famam obſcurare putentur.
Da veniam generoſe heros, ignoſce fatenti,
Quam mihi ſint tenues pangendo in carmine vires.
Olim tempus erit, cum te, proceresq́; vetuſtos
Rantſouiæ ſtirpis, repetita ab origine pandam.
Quotq́; ibi floruerint irati Martis alumni,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quot Phœbo Muſisq́; ſacri, quot Regis amici:
Et patriæ quot luminibus ſtirps iſta triumphet,
Perſcribam dextris tranquilla per ocia Muſis.
Nam tua me bonitas, tua me clariſsima virtus
Excitat, & quemuis ſtimulat perferre laborem,
Inducitq́; velim vt noctes vigilare ſerenas,
Sollicitus, dictis quibus, & quo carmine tandem
Clara tuæ poſsim præpandere lumina genti.
Quod ſi veſtra meis ridebit Gratia Muſis:
Vix alius me carminibus ſuperare ſonoris,
Aut poterit melius veſtras conſcribere laudes.
Interea diuine heros, ſpes aurea Muſis,
Ipſe diu recteq́; vale, moderator olympi
Incœptum bene vertat iter, nutuq́; gubernet
Omnia clementi, vt populos pax læta reuiſat,
Aurea quam pleno comitetur copia cornu,
Copia vel ſero nunquam violabilis æuo.

MEMORIÆ ADRIANI TVRNEBI IN ACADEMIA PARISIenſi profeſsoris Regij.

SILVA V.

HAs etiam lacrymas Turnebi in funere mecum
Funde nouenarum præſes tutorq́; ſororum

Phœbe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Phœbe ſacer, tuus ille cliens, caſtusq́; ſacerdos
Muſarum interijt, longo digniſsimus æuo.
Fundite Sequanides lacrymarum flumina muſæ,
Quaq́; bipartito circumdatur inſula fluctu,
Turnebi interitum lugubri dicite vultu.
Hic ille eſt ſuperis carus, magnusq́; magiſter,
Qui veterum monimenta patrum, ſacrisq́; libellis
Abdita, ſolerti cognouit acumine mentis,
Et vera pietate Deum, ſtudioq́; colebat.
Fundite Sequanides lacrymarum flumina Muſæ.
Auulſaq́; comis lauro ſacra fronde cupreſsi
Tempora velate, & triſtes effundite queſtus.
Hic ille eſt iuga Parnaſsi qui ſumma tenebat,
Vobiſcumq́; deæ, Phœbo ſpectante canoro,
Sæpe choros duxit, largosq́; è fontibus hauſit
Caſtalijs latices. hinc illi vena fluebat
Ingenij, eloquijq́; nitor, linguæq́; diſertæ.
Hinc quidquid veterum præclara poëmata vatum,
Quæ Latium doctæq́; adeo mirantur Athenæ,
Innumeris docuêre libris, cognorat ad vnguem,
Cognitaq́; egregijs poterat deſcribere verbis.
Fundite Sequanides lacrymarum flumina Muſæ.
Turnebiq́; obitus euulſo oſtendite crine,
Sæpe illum iuuenes Phœbei in vertice montis
Plaudentem iam, præterito victoq́; labore,
Mirati obſtupuere animis, quos ille benigno

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Et blando aſpiciens vultu, dextráq; prehendens,
Commonſtrare viam facilem, & mollire labores
Eſt ſolitus, fauſtoq́; ſuos procedere greßu.
Fundite Sequanides lacrymarum flumina Muſæ,
Aureolumq́; habitum in pullas mutate lacernas.
Ille ille occubuit Sophiæ penetrare receßus
Qui poterat, rerumq́; imas cognoſcere cauſas.
Ille quid Arcturus, nitidus quid Orionis enſis,
Quid caper aut hœdi, quid menſtrua luna notaret,
Omnia non dubijs poterat prædicere ſignis.
Fundite Sequanides lacrymarum flumina Muſæ.
Abiectáq; chely & citharis, iterate querelas.
Gallorum decus & lumen ſiduſq́; perenne
Turnebus iacet, exigua iam conditus vrna,
Cui quamuis pietate animi, candore, fideq́;
Doctriniſq́; prior varijs hoc tempore nullus
Viueret, & doctos inter doctißimus ille
Iure foret: tamen vſq; adeo ſe preßit, vt omnes
Præferret ſibi, vel ſaltem non inferiores
Duceret, humano cunctis affabilis ore.
Non illum ambitio, nec opum veſana libido,
Non liuor vexabat iners, ſecurus honorum
Illuſtrare artes, tenebriſq́; educere verum,
Tranquillamq́; lubens vitam laudare ſolebat.
Fundite Sequanides lacrymarum flumina Muſæ.
Proq́; choris plectriſq́;, nouis vlulatibus auras

Implete, & veſtras vicina ex arce querelas
Audiat, atq; eadem vobis reſpondeat Echo.
Ille vir interijt, cuius ſi dicere laudes
Virtuteſq; velim; laudes comprendere cunctas
Cunctorum, ius faſq; foret. vos inclyta Muſæ
Numina, tam clarum melius me noſtis alumnum,
Illius & nomen ſinceraq; gloria lethi
Neſcia per totum iam primum augebitur orbem.
Illum Varnus, Arar, Viadrus, Nicer, Albis, et Iſte
Populiferq; Padus, Ligeris, Soma, Matrona, Rhenus
Certatim extollent, & tanti funera plangent
Mœſta viri, preßiſq; modis encomia dicent.
Fundite Sequanides lacrymarum flumina Muſæ,
Non ille vlterius veſtras concentibus aures
Mulcebit, non hinc veſtras accedere ripas
Et Phœbo certans poterit deducere carmen.
Muſica plectra ſilent, ad veſtras gramina ripas
Nunc arent, cœlum in lachrymas ſe triſte reſoluit.
Obmuteſcit auis, florumq; cacumina languent,
Arboreæq; comæ nutu dant ſigna doloris.
Ipſa etiam nunc tecta domus, & pulpita vobis
Sacra deæ, vociſq; ſui non inſcia mœrent.
Doctoris, cuius mortem nunc omnia flerent,
Si non liuor edax vitæ qui munere functis
Parcere præterito conſueuit mitior æuo:
Nunc tantam in rabiem & tantas inſurgeret iras,
Quæ

Queîs manes Turnebe tuos, vmbraſq́; ciere
Suſtinet, & functo fatis maledicere tentat.
Sed virtus Turnebe tua, & tua gloria maior
Vindice freta Deo creſcet, ſemperq́; vigebit.
Nomen & egregium nullis abolebitur annis.
Non aſinum rudentem elephas, non murmura curat "
Infamis muſcæ aut culicis philomela canora. "

Fundite Sequanides lacrymarum flumina Muſæ,
Et tumulum violis, ferrugineoq́; hiacyntho
Spargite, non illo moriens indignus honore
Turnebus fuerat, Phœbei aſſertor honoris.
Copia ſed laudum & veſtri ſacra gloria vatis
Me verborum inopem, meditato in carmine reddit:
Cultoremq́; ſuum non apto tempore Phœbus
Deſtituit. iam cœpto igitur deſiſtere cogor.
Et noſtræ nil laudis egens Turnebus obiuit.

Siſtite Sequanides lacrymarum flumina Muſæ.
Lætificiſq́; modis cœleſti ſede recepto
Plaudite Turnebo, & dignas perſoluite grates.
Illius in tumulo mortalia membra quieſcunt,
Nominis at totum celebratur fama per orbem.
Voto etiam precibuſq́; pijs placate parentem
Sidereum, ingrati propter qui crimina mundi
Egregios virtute viros hac euocat orbis
Colluuie, proceresq́; inter, patresq́; reponit:
Ne grauius iuſto offenſus tria lumina fontis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Aönij, Ramum egregium, veſtriſq; canentem
Carmina digna modis Auratum, & pectore doct
Lambinum, multoſq; alios his auferat oris,
Et ſimiles vobis gemitus luctumq; relinquat.

Pariſijs Menſe Iunio
Anni 1565.

D. Vdalrico Seuerino, & D. Chriſtiano Cuſsouio, v. cl. & nobiliſs. Illuſtriſsimorumq; Pomeraniæ principum legatis.

SILVA VI.

NON procul à Varni ripa eſt nemus, vndiq; denſum
Arboribus, læto rident vbi gramina flore,
Leniter & vitrea decurrens riuulus vnda,
Ruricolas grati recreat ſtridore ſuſurri.
Huc ego mane nouo ſolem fugientibus aſtris
Dum forte ingredior, dilecta ſilentia Muſis
Vt ſoleo, & ſedes quærens meditantibus aptas.
Ecce decem egregias ripis aſsiſtere diuas
Conſpicor, & placidè gratas miſcere loquelas:
Seq; ſalutantes dextris coniungere dextras.
Protinus ergo comæ flexo pede detraho tegmen
Impoſitum, veneror q; deas, tacituſq; reſiſto.

Ipſa nouenarum mihi numina docta ſororum
Nota fuere quidem, toties conſpecta: ſed illis
Mixta erat, & facie cunctis excelſior ibat,
Auguſta grauitate decens, animoq́; virili,
Virgo gerens gladium dextra, læuaq́; bilancem.
Quæ cum viſa prius nunquam foret: oris honorem
Miror, & vt poßim, quæ nam ſit, ſcire laboro.
Illa ſed ore prior, Iuuenis, quod pectore promto
Scire cupis, tibi ſcire licet: ſum ſcilicet vna
Ex reliquis non nota tibi. Me regia cœli
Iuſtitiam Aſtræamue vocat, cum ſecula terris
Aurea florerent, & pax inuicta manebat,
Virtutisq́; decus, populis optata per orbem
Iura dabam, ſtudijsq́; amplis & honore colebar.
Sed veluti rutilo, pulcras cum lumine terras
Cynthius exoriens recreat, nec nubila ſiluas
Aut pluuiæ turbant: gratis philomela ſub vmbris
Dulce canit, vincitq́; omnes animoſa volucres:
At cum triſtis hiems, fuſusq́; è nubibus imber
Perfurit: illa fugit, latebrasq́; inquirit in antris
Frondiferis, venti volucrum prò voce loquuntur.
Sic ego cum ſcelerum fraudumq́; exorta cupido
Improba, ſanguineas impleuit crimine terras:
Protinus excedens, petij ſuprema tonantis
Atria, ſpectauiq́; diu, quam fœda patarent
Crimina mortales: leges precio ille refigit:

Hic matris violat thalamos : necat ille parentem:
Hic auro patriam vendit: vi vincitur æquum.
Sæpe tenebroſis igitur mea nubibus ora
Contexi, ſupplexq́; deos ad iuſta vocaui
Fulmina, vindicibus quæ talia crimina flammis
» Obruerent. ſed lenta Dei procedit ad iram
» Dextera: quam placido clementia mitigat ore,
» Inde moram iuſta pœnæ grauitate rependens.
Cur igitur terras cœlo delapſa reuiſam
Nunc iterum, fortaße rogas? pæne omnia fatis
In peius cum lapſa ruant, meliora nec inde
Sit ſperare datum, celſo Pomerania cœlo
Me retrahit, paucíq; duces, quibus inclyta curæ
Iuſtitia eſt, & veſter honos, ô candida Muſæ
Numina. præ reliquis tamen vt Pomerania tantis
Laudibus excellit: ſic & gratißima ſedes
Eſt mihi, qua cuperem longo ſine fine morari
Tempore, nec placitis vnquam diſcedere terris.
Me, ſincera animi præſtans pietate Philippus,
Principe quo multis nullus prudentior annis
Præfuit, vſq; adeo coluit: veſtigia patris
Quin etiam nati, caræ qui iura tuentur
Iam patriæ, magna iuuenes cum laude ſequuntur.
Vos illos teneris Muſæ fouiſtis ab annis,
Et docuiſtis opes animi præferre caducis
Terreniſq́; bonis. Sæpe illos candida Phœbe,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dum reliqui ludo indulgent, dum pocula ſiccant,
Inuigilare libris poſita de nocte lucerna
Vidit, & arcanos Sophiæ penetrare receſſus:
Sæpe illos Sol æquoreis egreſſus ab vndis,
Dum multos dormire iuuat, perdiſcere vidit,
Quidquid habent veterum præclara poëmata va-
Heroësq; ſibi tacita proponere mente. (tum,
Scilicet hinc veræ ſe nobilitatis origo
Tollit, & aëreum celſis caput ingerit aſtris.
Parte alia pietate potens Barnimus & annis,
Quà Viadri liquor arua rigat, quæ principe digna
Iudicat eſſe bono, ſimili pietate fideq́;
Efficit, & patriæ ciues in pace tuetur,
Me reuerenter amans. quin hæc exempla regentum
Inflammant populos etiam virtutis amore,
Maiori vt mea iuſſa fide ſtudioq́; ſequantur.
Sed qua laude veham proceres? ſapientia quorum
Principibus perſpecta viris, ingentia præſtat
Commoda per patrias vrbes: qui pectora flectunt
Conſilijs monitisq́; ducum, populiq́; ſalutem,
Vt patriæ patres, mira cum laude tuentur.
Hos inter ceu ſtella micat pulcerrimus heros
Vlricus, celebri Suerina ſtirpe creatus,
Magnifica grauitate ſenex. Laurentius illi
Alter adeſt Otho, laude potens, linguaq́; diſerta,
Principis orando qui nota negotia tractat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

His bene Cuſsouius facunda Palladis arte
Doctrináq; valens, & comi affabilis ore
Belouius Charitum decus, & lux ſtirpis auitæ
Iungentur, multiq́; alij, queis patria curæ.
Hos tamen ante alios iam prædico, ſcilicet illos
Cum fidè patrijs me complectantur in oris,
Iam rurſum comitata ſequor, vicina Roſarum
Legati dum tecta petunt, quo Cæſar, & ipſi
Rex ſucceſsurus, ter Maximus Æmilianus,
Permultiq́; duces, procerum misêre coronam,
Pacis vt æquoreis reddant ſacra munera regnis.
Felix, ô nimium felix Pomeranica tellus,
Siderea tu pace viges, ſplendore triumphos
Quæ ſuperat: tu tranquillæ das munera ſedis
Hoſpitiumq́; pijs: tu doctis ocia Muſis
Egregijsq́; viris præbes: tu templa ſcholasq́;
Ceu nutrix ſtudioſa foues: tu iura volenti
Das populo, qui ſponte colit iuſtumq́; piumq́;,
Et patriæ ducibus nunquam parere recuſat.
Non te liuor edax, non te diſcordia, non te
Litis amor vexat, non execrabile bellum.
Vos quoq; felices Pomeranæ ô lumina terræ,
Hæc ſua dona Deus per vos, velut organa, genti
Impertit patriæ. per vos pax aurea floret,
Et celebrat Chriſti tranquilla Eccleſia laudes.
Per vos proſpicitur nec cedat viribus æquum:

Per vos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Per vos cana fides, ſancta & reuerentia legum,
Seculaq́; adueniunt Pomeranis aurea ſceptris.
Hac ego ſede lubens, maneo ſemperq́; manebo.
Quin Deus ipſe ſibi minima non parte placere
Hunc populum ſummosq́; duces, re comprobat ipſa,
Nam bene ſi memini, iuuenis cariſsime, nuper
Sunt tibi viſa ducum, docto ducente Metello,
Atria, qua celſis ſurgunt ad ſidera pinnis
Vuolgaſtum, Viadriq́; premens nauale Sidenum:
Principibus; viſa eſt etiam tibi, ſubdita tellus.
Gaudeat vberibus gleboſa Turingia campis,
Pæonij fluuios, ſiluasq́; Boëmia iactet.
Hæc regio, neq; frugiferis & pinguibus aruis,
Nec fluuijs lacubusq́; caret, quin rebus abundat
Omnibus humanæ quas vitæ poſtulat vſus.
Retibus hic paſsim ſapidos ad littora piſces
Æquoreis vicina vadis gens extrahit: illic
Fertile gramen oues, aut tondent prata iuuenci:
Nec procul inde comas ſiluarum brachia pandunt.
Hîc fœcundus ager curuo renouatur aratro:
Nec ſua decipiunt operoſum vota colonum,
Immiſſa cum falce ſeges cadit, omnia tanto
Fœnore proueniunt. vaſtum quid mercibus æquor
Vtile mutandis, cinctas quid mœnibus vrbes
Oppidaq́; ampla loci: ſaltus & luſtra ferarum
Quid ſpacioſa canam? Salue Pomerania, ſalue.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Propenſa te mente Deus, quem pectore fido
Sinceroq́; colis, tanta bonitate viciſsim
Diligit, & vario rerum te munere ditat.
Huic tu funde preces, huic fido ſemper adhære
Pectore, & vt patriæ, pucherrima ſidera terræ,
Eximios virtute duces, tueatur vbiq;
Defendatq́; roga: ſic & tua commoda creſcent,
Tantaq́; proſperitas nullo delebitur æuo.
Iſta nouenarum cœtu ſtipata ſororum,
Carmina cantabat, ſuperis Aſtræa relictis.
Nec mora Calliope me chartis illa notare
Protinus & vobis proceres tranſmittere iuſsit.
Si placet & patitur veſtrorum cura laborum,
Hæc animo & facili cognoſcite carmina vultu,
Nec leue non magni contemnite munus agelli.
Hoc Aſtræa petit, Muſisq́; adiunctus Apollo,
Hoc decet Aſtrææ ſummos Phœbiq́; patronos.

Studioſis Academiæ Roſtochienſis.

SILVA VII.

SI quis ad Elæas olim contendere metas
Auſus erat, multosq́; annos ad maxima circi
Sudaſſet ſpacia, vt ſtadio cum laude peracto
Acciperet meritæ tandem noua præmia palmæ:

Non ille à quouis tantos poſcebat honores,
Elæos penes iſta ſenes, quos maxima virtus
Ante alios celebres toto tum fecerat orbe.
Hi præerant ludo, hi cunctis de more vocatis,
Victorem in populi, præconis voce, corona
Frondibus ornabant oleæ, titulisq; notabant.
Pertinuit tamen ad iuuenes, honor iſte, viroſq́;
Ingenuos tantum & fortes, aptoſq́; labori.
Non dubio patre prognatus, non mollis & excors,
Talibus audebat tum ſeſe inferre theatris.

Non aliter, ſi ſacra licet conferre profanis,
Si quis in Aonij ſcandendo culmine montis
Sudauit multum, & tandem poſt mille labores,
Victor ad optatam potuit ſe ſiſtere metam:
Nunc quoq; ſperatæ fert clara inſignia palmæ.
Non tamen à quouis plebeio, offundere fucum
Cui rudis ignauusq; queat. datur iſta poteſtas
Officiumq́; ſcholis, quæ iuſto examine penſant
Doctrinam & mores iuuenum, vitamq́; peractam,
Exuuijs latitans aſinus ne forte leonis
Decipiat ſtolidos, & ſe ipſum deniq; prodat.

Sic quoq; Pieridum ſincerus cultor Oreſtes
Vir pius, & triplicis quem clara ſcientia linguæ
Exornat, Muſæq́; prius cui ſerta pararunt
Myrtea, Varniadum roſeas conceſſit ad vndas,
Confecto inſignem vt capiat certamine laurum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nunc quoq; doctrinæ ſpecimen, linguæq́; diſertæ
Edidit ipſe ſcholæ, vitamq́; ita labe carentem
Nouimus, vt tanto dignus credatur honore.
Ergo quod auſpicio cœptum felice geratur,
Cras vbi ſigna dabit ſextæ ſol aureus horæ,
In cathedra, ſolitoq́; loco, quem diximus, illi
Clara magiſterij conferre inſignia votis
Vnanimes volumus. quare ſtudioſa iuuentus,
Doctores, proceresq́; ſcholæ de more frequentes
Tunc aderunt, nobisq́; animo linguisq́; fauebunt.
Hoc decet Aönidum & cultos virtutis alumnos,
Hoc decet eximios Phœbi Charitumq́; patronos.

ΞΕΝΟΣ ΑΞΕΝΟΣ
AD P. MELISSVM Francum.

SILVA VIII.

EST regio Arctois non planè incognita terris,
Nomina non pono, rigidam quã vincere Thra-
Barbariæ, Scythiamq́; puto. cognouimus ipſi, (cen
Dum procul à patria peregrinas viſimus vrbes.
Scilicet hîc nocte excluſi, dum veſpere primo
Vicini ad pagi cauponam tendimus, illic
Caupo ſenex & anus fœdiſſima, limine primo
Nos prohibent, aliasq́; iubent inquirere ſedes.

Nos

Nos precibus crebro inſtantes, molliuimus ipſum
Cauponem tandem ; longè ſed durior vxor
In nos inq́; ſenem conuicia dura maritum
Euomit, & tantum non verbera vtriſq; minatur.
Hoſpite placato, vetulæ nil ſæua morati
Iurgia, tecta caſæ ſed ſpe meliore ſubimus.
Ecce autem fumoſa domus, ſeptoq́; ſub vno
Ipſe ſenex, rixiſq́; tumens moroſaq́; coniux
Cum natis malè compoſitis toruiſq́; ſedebat.
Hos circa vaccæ, vituli, capræq́; ſuesq́;
Anſeribusq́; anates ſocij, galliq́; canesq́;
Atq; vagabantur feles, pinguesq́; caballi.
Non aliam, ſi ſacra licet conferre profanis,
Crediderim faciem rerum viſam eſſe, Meliſſe,
Vndiq; cum paribus lectis animalibus arcam
Lamechides pius intrauit, mundumq́; perire
Funditus, atq; vndas tandem decreſcere vidit.
Hoſpitio tali exceptus, dum ſingula luſtro,
Barbariemq́; loci admiror, vitamq́; ferinam ;
Inſtantes ſocij potumq́; cibumq́; petebant.
Sed citiùs duro liquidas è pumice lymphas
Eliceres, quàm vel verbum factumq́; benignum
Talibus à monſtris ; qui nil niſi forte coacti
Enſe minisq́; boni facient, dum vita manebit,
Vnde nec immeritas ſoluunt pro crimine pœnas.
Ipſe tamen caupo vetulæ licet ante timeret

Iurgia,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Iurgia, tam crebris victus precibusq́; minisq́;
Inſtaurare focum incœpit, flammasq́; ciere.
Sed quia lignorum eſt illis defectus in oris,
Pars terram effodiunt pinguem raramq́; leuemq́;,
Quæ picis accenſæ lentiq́; bituminis inſtar
Inficitur flammis, admotaq́; concipit ignes.
Pars, quibus in pagis & ruri degitur æuum,
Excrementa boum plerumq́; ad lumina Solis
Exſiccant, ligniq́; loco dant ignibus, ipſis
Inde ſibi natisq́; ſuis alimenta coquentes.
Quos inter caupo, qui talem vbi ſtruxerat ignem,
Tandem amplam panis molem, quam tollere ſolus
Vix poterat, fumoq́; atram porrexit. vt illam
Scindimus, vſq; adeò dura & malecocta videtur,
Plenaq́; furfuribus, terram vt nigrore referret,
Atq́; adeò menſæ tenebras induceret atras.
Caſeus huic viridis pani mole æquiparandus
Additur, hunc cœnæ finem fore nunciat ipſe.
Et potum vrgentes ſocij, poſt murmura longa
Vix tandem vrceolum cocti extorſere liquoris.
Horum conſpectu ſaturis, & pane remoto,
Stramen vbi vaccæ, porci, capræq́; cubabant,
Monſtratur ſanè egregium, gratumq́; cubile.
Omnibus hîc promtis languentia tradere ſomno
Lumina, grunnitus, ſtrepitus, mugitus, & acris
Mane cucurritus galli, latransq́; moloſſus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Impediere. cubans & humi ſibi quiſq; timebat,
Ne pecudum læſus prædura calce doleret. (tam,
Quin nondum ad mediam nox venerat humida me-
Quum vento & pluuijs etiam penetrabile tectum
Infecit madidas, madido cum ſtramine, veſtes.
Sic miſerè infauſta tractati nocte, dolentes
Ieiuniq; ægrè lucem exſpectauimus ortam.
I nunc, & vultus placidos, aut nobile quære
Hoſpitium, regione, iſta, qua longiùs abſunt
Grata affabilitas, Chariteſq; & dexter Apollo.

In Doctrinam Sphæricam, ad ſtudioſos Academiæ Roſtochienſis.

SILVA IX.

FVlget in immenſo diuina potentia mundo
Non alibi melius quam ſi pulcherrima cœli
Lumina conſpicias ſolitos ſeruantia motus.
Atq; ideo erectos ad cœlum tollere vultus
Nos mundi ſator ipſe iubens, vult aſtra tueri
Vt dextræ ſapientis opus, bonitaſq; paterna
Nota ſit & toti ipſius præſentia mundo.
Ergo bonis, cœloq; ſatis nil mentibus vſquam
Gratius eſt, doctrina illis non ſuauior vlla.
Quam quæ cognati aſpiciens orientia cœli

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Aſtra, cupit patriam in terris prænoſcere ſedem.
Hæc docet & motus fixos, cœliq́; figuram,
Stellarumq́; notas varias & nomina ſignat.
Arcturum hæc, pluuiasq́; Hyadas, geminosq́; triones,
Pleiadumq́; gregem, nitidumq́; Orionis enſem,
Æſtiferumq́; canem, Chironem et Perſea monſtrant,
Atq; alias puro fulgentes lumine ſtellas.
Hæc docet vt ſolus lucens, ſol omnia puris
Illuſtret radijs: diſcrimina temporis idem
Et lucis noctisq́; vices, diuerſa dierum
Vt ſpacia efficiat: cur ſe cito tingere ſoles
Hyberni Oceano properent: vel quæ mora tardet
Æſtiuos: vt luna ſuam de lumine ſolis
Accipiat lucem, atq; augens, minuensq́; viciſsim
Orbem, ceu faſtis menſes diſcriminet anni:
A ſole auerſis eadem cur cornibus Euros
Aſpiciat creſcens, Zephyros minuenda ſequatur:
Tardius aut citius coniuncti à lumine ſolis
Cur redeat: cur in terræ quando incidit vmbras
Soli aduerſa, ſuos tetra ferrugine vultus
Contegat, obiectuq́; ſui cur corporis ipſa
Phœbeis mundum radijs & lumine priuet.
Quomodo biſsenis totius menſibus anni
Intereat moriens, toties rediuiuaq́; lucem
Induat, æternæ nobis prænuncia vitæ.
Nec tibi Naſonis ſacros euoluere faſtos,

Nec licet Aſcræo cantantes carmine Muſas,
Aut etiam magni tractare inuenta Maronis,
Si tibi non conſtent toto labentia cœlo
Sidera, mox iterum fixis orientia metis.
Hiſtoriam quod ſi ſacram aut tractare profanam
Temporis ignarus cupias, poſitusq́; locorum;
Cœcus in ignota veluti regione vagaris.

Has tibi terrarum partes deſcriptio mundi
Indicat, atq; vrbes, tractus, mare, flumina, ripas,
Regnaq́; & interualla docet diuerſa locorum:
Quæ ſi non liceat coram luſtrando notare;
Hic animo totum poteris percurrere mundum.
Annorum vero ſeries, quod lumina cunctis
Præferat hiſtorijs, nullum ignorare putandum eſt.

Hæc quicunq; volet cœleſtia corpora mecum
Aſpicere, & patrij veſtigia noſcere cœli,
Me duce carpat iter, ſeq́; auditoribus addat,
Quos ego de pulchra numerandi ſedulus arte
Hactenus inſtitui: cœli quibus addere motus
Iam placet, ætheriosq́; orbes, Phœbiq́; laborem.
Tu ſtudioſa cohors generoſa enitere cura,
Ne, quæ trado tibi ſtudio meditata fideli, «
Intellecta prius quàm ſint neglecta relinquas. «

STOMACHVS.

SILVA X.

PRolue te Cerere & vino, ſectare lupanar,
Diductis pedibus natibusq; incede, feroci
Aſpectu, cubito erecto. quin morio tanquam
Indue ſcurriles, criſtato vertice, veſtes:
Et medium ſtertendo diem conſume: magiſtros
Irride fatuosq; voca: nunc ebrius vrbem
Vel media percurre die, vel nocte feneſtras
Elide ad cathedras Muſarum & Palladis arces:
Verberibus lacera innocuos, inuade modeſtos:
Ingemina horriſonos tota vel nocte boatus:
Nil opus eſt veniam petere, aut auertere pœnas.
Hæc prohibent multi, ſed punit nemo: verentur
Omnes tam leuibus iuuenes offendere nugis.
Omnes auſteri fugiunt tetricíq; Catonis
Nomina, blandiri & famulis, dominisq; miniſtris
Aßueti, ne dum effrenes compeſcere tentent.
At ſi quis vigili ſtudio magnoq; labore
Exponat veterum diuina poëmata vatum,
Eq; illis iuuenum linguas & pectora formet:
Hoc mera ſtultitia eſt, pietas quam ferre fidesq;
Non queat. hic opus eſt venia dictisq; ſeueris.
His ſtudijs non vlla dies, non conuenit hora.
At memini quondam data præmia, laudibus vſq;
In

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In cœlum elatos iuuenes, queîs talia curæ.
Nunc alijs opus eſt dominis parêre, vel vltro
Si rectè facias. lex eſt ſua cuiq; libido.
Pro vitio virtus patulo proſcinditur ore.
Quid ſecus aut recte in ſtudijs vitaq́; geratur
Aut nulli aut paucis curæ eſt. ſua commoda quiſq;
Interea quærit cupidè: reſpublica plane
Negligitur: virtus nihil eſt niſi nomen inane.
Quid facias igitur? ſi fœda ignauia laus eſt;
Præmia ſi vicium, virtus ſi damna meretur;
Eſt ſcelus ingenuas didiciſſe fideliter artes.

In Doctrinam Horatij de Temperantia.

SILVA XI.

Quæ bona mundicies generi ferat aurea noſtro.
Quæ mala luxuries, et amor ſceleratus eden- (di
Oſtrea, pauones, rhombos, mulloſq́; ſcaroſq́;.
Et quæ condimenta cibi ſint optima: quis ſit
Diuitiarum vſus rectiſſimus: optimus ille
Nos docet arguto mirandus Horatius ore.
Quam partem ſtudioſa tibi cras mane iuuentus
Euoluam puram ſalibus puroq́; lepore.
Salue ô ſobrietas cuſtos virtutis, & auctrix
Ingenij, vitæq́; hominum morumq́; magiſtra,

» Quam febres, morbiq́; timent, cui ſera ſenectus
» Aßurgit cano multum veneranda capillo.
» At te perniciem iuuenum, peſtemq́; ſenectæ,
» O fœda ebrietas, ô deteſtanda, madentem
» Ebriolorum inter iubeo plorare cateruam.
» Te virtus inimica odit cane peius & angue,
» Oderunt vita, ingenium, fugit ipſa ſenectus,
» Eſt quibus ebrietate nihil damnoſius. at te
» Sectantur febres, morbi, mors deniq;, nunquam
» Quo tu cunq; ſubis procul eſt: tibi vbiq; minatur.
» Teq́; vtinam piceis Orci mox obruat vndis.

In Terentium Georgij Fabricij ἀνέκδοτον & ſuppreſsum.

SILVA XII.

SVNT ſale quîs nigro conditos edere libros
Rixoſus ſine fine labor: ſunt litibus orbem
Qui complent, turbantq; pias, & templa piorum
Progenies Cadmea ſcholas, non illa magiſtri
Quem toties iactant pacis præcepta ſecuti.
Interea paucos ſtudijs melioribus aptos
Immatura dies, vel funere mergit acerbo,
Vel viuos odijs & iniqua ſorte fatigat.
Hinc pietas contempta gemit, luciq́; priori
Incipit horrendam paulatim offundere nubem

Barbaries, pauci reſtant, qui fortiter illi
Coniunctis animis cupiant occurrere peſti.
Non hoc te latuit quondam diuine Melanthon,
Sedulus ornares paruas cum maximus artes.
Te Phœbus cecidiſſe gemit. Camerarius ille
Reſtat adhuc: vatesq́; pius, rectorq́; iuuentæ
Fabricius, qui quo ſtudio, quantoq́; labore
Profuerit Muſis, & earum caſtra ſecutis,
Quis bonus eſt toto iuuenis qui neſciat orbe?
Nunc etiam purus dulcisq́; Terentius auctor,
Mercurij ſale conditum niueoq́; lepore
Certatim veteres cœlo quem laudibus æquant,
En nouus illius ſtudijs, operaq́; fideli
Integer enodatus adeſt mendisq́; ſolutus.
In quo ſeu veterum ſenſus, ſua ſiue cuiq;
Propria perſonæ, ſiue argumenta vel vſum
Verborum, rerumq́; petas, aut pondera ſpectes;
Nil ſtudioſa cohors hic quod deſideret vltra eſt.
Dic igitur grates auctoribus, atq; precare
Vt Deus alucolos & apes mel tale legentes «
Protegat, & ſimiles donet quandoq; nepotes, «
Barbariem procul ad fucos veſpasq́; repellat. «

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

De hiſtoria AEmilij Probi, ſeu Cornelij Nepotis, ad Arnoldum Vuitfeldium equitem Danum, & conſiliarium regium.

SILVA XIII.

HIſtoriam humanæ ſpeculum qui nobile vitæ
Dixit, is hiſtoriæ veraci prouidus ore
Naturam verè expreßit, quiq́; illius vſus
Vtilitasq́; foret, perfectum nouit ad vnguem.
Non virtutum etenim tantum hic exempla videntur,
Quæ cum laude ſequi quiuis pro tempore poßit:
Crimima non tantum, ſcelerumq́; exempla pudenda
Hic ſunt perſcripta, & comitantes crimina pœnæ,
Quæ fugias odioq́; habeas cane peius & angue:
Verum etiam mores hominum, commenta, doliq́;
Ingenia, & technæ, rerumq́; euenta priorum
Commemorata libris, æui præſentis adumbrant
Omnibus effigiem, qui non ſine mente ſagaci
Cuncta legunt, & priſca nouis componere norunt.
Præterea tam præſtantes virtute fideq́;,
Doctrinaúe viri, & memores quandoq; merendo
Qui multos fecere ſui, cum luminis huius
Vitalem liquêre auram; poſt funera virtus
Illorum peritura aliàs, bene cognita durat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hiſtoricis comprenſa libris: vel poſtuma læto
Flore reuiuiſcit ſcriptis diſperſa per orbem.
Quæ quicunq; vident, animus niſi degener inſit,
Pectore concipiunt flammam, quæ viuida tandem
Creſcit in immenſum, facul is cœleſtibus ardens
Vſq; adeo, vt liquidis ſedari neſciat vndis,
Donec adæquarit priſcorum propria laudes
Gloria, mox iterum ſero celebranda nepoti.
Ardor hic Æmilium, & victoris fulmina Martis
Scipiadas, multosq; alios virtutis in arcem
Extulit, & vera fecit clareſcere fama
Iampridem, niſi vana fides. hic tempore noſtro
Ingenia inflammat multorum, vt multa legentes
Sparſa per hiſtorias heroum ſplendida facta,
Conſilia, euentus, poſtq; ipſam encomia mortem;
Ipſi eadem cupiant quaſi per veſtigia veræ
Laudis inire viam, paribusq; aſurgere cœptis,
Atq; adeo ſeræ committere nomina famæ.
Quos inter non poſtremus profitebere nomen
O Arnolde, decus Danaûm Themidisq; diſertæ.
Namq; idem ſtimulis animum tibi concitat ardor,
Ceu nomen quoq; promittit tibi dulcis honeſti
Verarumq; adeo laudum & virtutis amorem;
Cognomen vero candoris amabile ſignum eſt,
Quem factis quoq; declarans, hoc accipe miti
Vultu animoq; libens ſpeculum, quod geſta virorum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Inclyta nobilium cupidè inſpicientibus offert:
In patriam meritis illosq́; ut ſtrenuus æques
Nitere, quod facis, & cœlo te laudibus inſer.

ΑΝΤΑΠΟΒΑΤΗΡΙΟΝ *Academiæ Roſtochienſis. ad*

Ioannem Cyriacum L. Baronem Polhæmium & Vuartenburgium, quo ipſius valedictioni reſpondetur.

SILVA XIV.

TRIſtis ut abrepto luget pia mater alumno
Dulce onus in gremio pridem quem læta fo[...]
Sic grege Varniadum comitata Academia luget(b[...]
Squalida, mœſta, gemens cum te tam dulce roſeti
Præſidiumq́; decusq́; ſui diſcedere triſti
Aſpicit intuitu præſtans Baro, gloria regni
Auſtriadum, columem matris, patriæ ancora genti[...]
Et cur non doleat? digreſsu mœſta ſupremo
Tam cari capitis, tam grati & ſuauis alumni?
Vnum præ reliquis tota quem mente animoq́;
Diligere, ornare, & ſceptris armare ſolebat,
Sceptris Palladijs, quîs tu frenare rebelles,
Protegere innocuos, læſos defendere poſſes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quæ num quis Iuuenum tanta cum laude vel ante
Iam tulerit, vel laturus ſit poſtmodo, cauſa eſt
Cur dubitem : cum tu rector ſic legibus ipſe
Parueris, nihil vt faceres, quod ſubdita turba
Carpere vel poſſet, vel non iuſteq́; pieq́;
Sollicitis imitari animis. ſic vera parantur „
Legibus exempla, & ſic legibus imperat ipſis „
Parendo ſtudioſa cohors, nulliſq́; minora „
Regna ſibi parat obſequio. rex maximus ille eſt, „
Qui ſemet regere & leges non temnere nouit. „
Tale tibi regnum hic partum eſt cum ſceptra teneres
O generoſe Baro. nam te quod legibus eſſet
Aduerſum feciſſe aliquid quis dicere poſsit?
Tu ceu lenta ſalix curuanti cedit, & omne
Flectitur in latus arbitrio tractantis amicè:
Sic vel ſponte tua legi doctiſq́; magiſtris
Cedebas, gaudenſq́; regi & parere monenti.
Inprimis pietatis erat tibi maxima cura, (chum
Proxima Sophroſynes, qua tu duce ſpernere Bac-
Et Cererem et Venerem poteras ſomnumq́; gulamq́;,
Et reliquas iuuenum peſtes, quîs maxima turba
Inquinat affligens teneras cum corpore mentes.
Hac ipſa duce, cum Muſis Phœboq́; canoro,
Et Charites ſimul ingenuas caſtaſq́; puellas,
Suauiter allicere, & tecum retinere ſolebas.
Nam ſeu forte domi ſtudijs libriſq́; vacares,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Seu quid forte foris gereres, ſiue illa iocoſa
Seria ſiue forent; ipſis ex geſtibus, ipſis
Ex dictis, facieq́; ipſa lucere decorum
Vidimus & Charites, caſſos & felle lepóres,
Indicat hoc ipſum clemens, & amabile carmen,
Singula quo Roſei placuit iam membra Lycei
Compellare tibi, & nimio quoq; forſan amore
Impulſo, immodicis laudes augere Camœnis.
Pro quibus æternas mœrens Academia grates
Me tibi communi, niſi ſit graue, nomine iußit
Dicere, & æterni monimentum & pignus amoris
Hoc tibi cedenti mœſto tranſmittere vultu.
Ergo tibi generoſe Baro quas pectora poſſunt
Concipere, & quas lingua valet depromere grates
Dicimus ex animo cuncti tibi dulce roſetum
Qui colimus, quod Varniadum luſtrare Lycea
Non tibi diſplicuit, gelido contermina ponto
Sint licet, & rigidis aquilonum obnoxia flabris.
Quodq́; adeo, totum ſeptem cum menſibus annum
Hic tibi dulce fuit poſitis ſubſiſtere curis,
Et ſplendore tuo ſubſellia noſtra frequenter
Ornare, & faciles præbere docentibus aures:
Atq; adeo placido quod clementiq́; fauore
Nos omnes es complexus, vultuq́; ſereno,
Nulla ſupercilij vt nubes, faſtuſq́; videri
» Indicium poßet, quod valde hoc tempore rarum

Eſt illis, quos nobilitas ceu follibus inflat.
Singula quid memorare opus eſt? debere fatemur
Nos tibi plura omnes quam par vt gratia tantis
Reſpondere queat meritis, aut æqua referre.
Quocirca memori contentus mente tuiq́;
Perſtudioſa vt ſis, vna te voce rogamus.
Ante tuus Varno miſcebitur Iſter, & Albis
Ibit in Euxinum conuerſo flumine pontum:
Quam vero nos immemores quiſquam arguat ore.
Interea generoſe Baro quo matris amandæ
Iuſſa vocant, & fata trahunt, ſequere impiger, &
Cæſaris aula tibi celſo ſe limine pandet; (ſeu
Seu prius Italicas ibis nouus hoſpes ad vrbes;
Sis felix noſtriq́; memor, veteriſq́; roſeti.
Sic tibi nil noceant inſtantis frigora brumæ.
Sic diuturna tuæ ſint aurea fila iuuentæ.
Sic Hygiea comes nullo te deſerat æuo.

Propempticon D. Zachariæ Vuelſio, ex Megap. in Sileſiam redeunti.

SILVA XV.

ILlacæ incoluit Pallas dum pergama Troiæ,
Troia inuicta fuit: ſublata Pallade & ipſo
Palladio, ruere in peius fortuna potentis

Incepit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Incepit Priami. nil vis, nil Hectoris arma,
Nil Anchiſiadæ indomiti valuêre lacerti.
» Non etenim Mars, ſed cerebro Iouis orta virago,
» Florentes vrbes, & regna antiqua tuetur.
» Qua rapta, intereunt vrbes, & regna: Minerua
» Succedit fera barbaries, vi vincitur æquum,
» Seditio furit, aut libertas exulat omnis.
» Felices igitur populi, felicia regna,
» Palladij quîs cura fuit, quod munere cœli
» Paucorum cerebro conceſſum eſt, longior ætas
» Quos docuit, rerumq́; vſus, moderatio, candor,
» Ingenij vis, & pietas primaria virtus.
Hæc partim natura tibi, partim illa magiſtra
Optima magnarum quando experientia rerum
Contulit ô Vuelſi clariſsime; iure dolemus
Te patrias reuocare vrbes è principis aula,
Cui tua nota fides, & virtus grata, vigorq́;
Ingenij perſpectus erat: quin templa Mineruæ
Iure dolent, quæ te carum fidumq́; patronum
Cognouere diu. ſed cum retrahantq́; trahantq́;
Fata homines, quiſnam fatis obſiſtere tentet?
Vade igitur, noſtri non immemor, optime Vuelſi
Incolumis, quò fata vocant, & patria tellus,
Et cumula Elyſias meritis ingentibus vrbes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

NATHANIS CHYTRÆI

SILVARVM
LIBER QVARTVS.

Ad Generoſum omniq́ꝫ virtutis, & doctrinæ laude clariſsimum D. *ANDREAM DVDItium*, Senatorem & Oratorem Cæſareum.

SILVA PRIMA.

DVDItium quoque Muſarum Phœbiq́; patronum
Inſignem, Sophiæq́; decus, Suadæq́; diſertæ
Quis celebrare vetet? cui ſit bene cognita virtus
Illius, & generis decora, atq; illuſtris auitæ
Nobilitatis honos, facundæ gratia linguæ,
Excultæq́; adeo vis & ſapientia mentis.
Felicem ante alios illum! quem nomen auorum „
Nobile, & altarum præclara ſcientia rerum, „
Virtutiſq́; decus, rectæ rationis alumnæ, „
Nobilitat. non ille hominum de ſanguine tantum, „

Aut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

» Aut ſine mente Dei terreno naſcitur orbe:
» Sed genus ex ipſo deducens nobile cœlo,
» Ceu deus in terris, immenſo munere diuûm,
» Iura dat, & ſummo dignus cenſetur honore.
Namq; ideo mortale genus natura, Deusq́;
Ordine diſtinguit, fixa quem lege tuetur:
Nobilis ante alios vt rerum ſceptra teneret,
Infirmosq́; manu & ſumptis defenderet armis.
» Attamen egregijs quicunq; parentibus ortus,
» Excoluit ſtudijs animum, Muſisq́; dicatus,
» Ipſe per ingenuas altum caput extulit artes;
» Sic ſuperat reliquos omnes, qui nomen auitum,
» Claraq́; maiorum ſolummodo facta recenſent,
» Lucifer vt toto fulgentia ſidera cœlo.
Ergo quis vt par eſt nomen laudesq́; decusq́;
Duditij celebrare queat? qui magnus honore
Sit licet, & celſo maiorum ſanguine cretus:
Ingenio tamen & ſummis virtutibus, ipſe
Nobiliora facit generoſæ nomina ſtirpis.
Salue igitur, cœptisq́; libens allabere noſtris,
Salue iterum, tu lux patriæ, tu gloria certa
Pannoniæ fulges, quæ ſicut Apolline Delos,
Et Ioue Creta ſuo gaudet: ſic te quoq; magnis
Annumerat noſtri verax heroibus æui.
Tu magna virtute potens, & Cæſaris aulæ,
Regibus & charus, magno celebraris in orbe.

Scilicet hinc veræ ſe nobilitatis origo.
Hinc veræ ſe laudis honos, hinc gloria famæ
Tollit, & aëreum celſis caput inſerit aſtris:
Nam veluti nequeunt nocturni in turribus ignes “
Cælari, aut patrijs ſub lucem in montibus arces: “
Ignea ſic radijs, habitans ſic ardua virtus “
Tecta latere nequit, varijs ſed nota ſub oris, “
Omnia perfundit ſæculis & luce ſerena, “
Humanasq́; ſui mentes inflammat amore.
Sic ego quotridie ſummis dum laudibus aſtris
Æquari nomenq́; tuum laudesq́; perennes
Audio, cognoſcoq́; domus & gentis honorem,
Quem tamen exſuperes vera pietate fideq́;;
Vtpote quæ Latij de faucibus Antichriſti
Ereptum nuper veri te in luce locarint:
Ipſe (fatebor enim) miro ſuccenſus amore
Virtutum laudisq́; tuæ, non pectoris vltra
Hanc volui cælare mei ſed prodere flammam:
Paucaq́; cygniferas Varni quæ nuper ad vndas
Deduxit rudibus tibi noſtra Thalia camœnis,
Indicium addictæ tranſmittere carmina mentis.
Quæ tibi ſi vultu fuerint perlecta ſereno,
Vt bonitas candorq́; volunt ſperare timentem;
Monauiusq́; iubet carus tibi, carus amicis
Omnibus, & fido ante alios mihi iunctus amore:
Gaudia contingent noſtris gratiſſima Muſis,

Iam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Iam cupidis veſtras æternùm dicere laudes.
Sed memor vnde abij, tu nobilitatis honores
Doctrina exornas varia: tibi ſplendida legum,
Et Ciceroneæ ſuperata ſcientia linguæ,
Non ideo vt patrios turbares litibus agros,
Sæuaq; diſtractis agitares iurgia linguis:
Sed vitam prius ipſe tuam, moresq; venuſtos
Iuſticiæ vt norma regeres, legumq; tenore
Vt punire malos, iuſtos defendere poſſes.
Hinc miratus ouat, ſecluſa in valle Tibiſcus.
Hinc mater doctrinarum ſæpe Itala tellus
Ingenio & bonitate tua, verbisq; diſertis
Obſtupuit, tantumq; tuis inuidit honorem.
Hoc Atheſis Lycus & Rhodanus fecêre Padusq;,
Quando animos vultumq; tuum vidêre, tibiq;
Læta triumphali cecinerunt carmina plauſu,
Et petiere ſuis cœleſti munere multos
Concedi ſimiles veræ virtutis alumnos.
Sed linguam qua voce tuam, variasq; loquelas
Pro meritis celebrabo ſuis? te Gallia diues,
Eridaniq; ſimul priſciq; Antenoris arces,
Promere natiuo norunt ſua verba lepore.
Et velut hyblæisq; fauis, & nectare puro
Dulcior egregij narratur ſermo fuiſſe
Neſtoris, Atridas blanda cum voce moneret:
Sic ſacer imperij præſes, caput vrbis & orbis,
In te

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In te melliſluæ dulciſsima flumina linguæ,
Quæ cernit patriæ gratam ſpectare ſalutem,
Diligit, atq; tuæ non parua negocia curæ
Commendat, teq́; officijs & honoribus auget.
Quid tibi Pierides memorem? quas carminis arte
Perpetuò tibi iunxiſti, verſuq́; ſonoro,
Sæpius vt lepidas agerent ad plectra choreas
Feciſti iuuenis florentibus integer annis.
Hinc quoq; perpetuo Muſarum munere viues,
Nec nomen laudesq́; tuas annoſa vetuſtas,
Vlla nec ætatum ſeries, aut tempora lædent.
Hæc tibi cæruleas Varni labentis ad vndas
Dictabam, dum tu tractanda negocia regum
Suſcipis, & Chriſto carum defendis ouile.
Sis felix, magnoq; diu cum Cæſare viue,
Virtutemq́; ducem felix fortuna ſequatur.

D. Henrico Baroni Starembergio.

SILVA II.

Si vacat, & caſtos non auerſaris amores,
Hos etiam generoſe Baro luſusq́; iocosq́;
Accipe læto animo, vt mos eſt, vultuq́; ſereno.
O decus eximium generoſæ Cæſaris aulæ,
O columen magni generis, ſtirpisq́; vetuſtæ,
Mæcenasq́; meis dudum cariſsime Muſis.

Quartus enim, bene ſi memini, iam labitur annu
Cæſaris auguſti quando legatus in vrbe
Varniadum vero nos es dignatus honore.
Cum mihi blandus hymen licitos properaret amore
Sponderetq́; tori ſociam, tum ſcilicet vltro,
Non humiles intrare caſas, & tecta Chytræi
Es veritus: quin lætifico ſponſalia vultu
Condecoraſti, implens tenues fulgoribus ædes.
Cætera quid memorem generoſi ſigna fauoris?
Quæ mihi ſunt fratriq́; imis infixa medullis,
Sollicitosq́; tenent animos, tibi ſoluere grates
Dum cupimus, lateq́; tuas diffundere laudes,
In quibus & toti ſumus, & debere fatemur,
Plura tibi meritisq́; tuis, quam dicere verſu
Exiguo fas ſit: magnarum pondere rerum
Sic premor, & fandi mecum vis victa laborat.
Attamen & Charites veſtræ nudiq́; lepores
Aſpicient noſtras æquo ſi lumine Muſas,
Tum facundus ero, & ſi quid mea carmina poſſunt
Te quoq; nulla dies venturis eximet annis.
Interea exigui non deſpice munus agelli:
Vtq́; mihi, ſponſæq́; meæ noua gloria præſens
Præcipuumq; decus fueras; ſic nominis abſens
Hic fulgore tui, tenues ornare libellos
Non pigeat, certeq́; honor es tu maximus illis:
Pieridesq́; ſimul ſibi tanto à nomine nomen

Præſidiumq́; petunt, contra cenſoris iniqui
Murmura, perpetuoq́; rudis conuicia turbæ.
Quod patiere libens. multos ſic aurea coniunx
Guntacorus tecum ſeros & Rudiger annos
Vnanimi implebunt concordes pectore fratres,
Olim etiam veſtros donec celebremus amores,
Me paruum parua, at magnos vos magna decebunt.

Nuptijs Tilemanni Stellæ & Annæ Hoffmaniæ.

SILVA III.

FErtilis & Rheni dextræ contermina ripæ
Eſt regio, non magna quidem, ſed diuite glebæ
Piſcinisq́; potens, chalybisq́; armata fodinis,
Quin auro, argento, & cyprio quandoq́; metallo
Inſignis, ni priſca loci veſtigia fallunt.
Hanc circum fortes fama eſt habitaſſe Sicambros,
Menapios, Vbios, Chattos, priſcosq́; colonos
Vueſtphaliæ. vrbs iacet hic aprico in colle Sigena
Nobilis, vnde alta duo flumina deſpicit arce.
Flumina quæ ſocias illic coniungere lymphas
Incipiunt, ſubitura vagi mox brachia Rheni,
Bonna Sicambrorum priſcis vbi peruia campis
Adiacet. vrbs eadem turritis vndiq; muris,
Circuituq́; ſuper cincta eſt, deſpectus ab illo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Commodus in ſegetes, in iugera conſita ſiluis,
In pecora hic viridi paßim ludentia prato.
Quin te conuertens redituri ad lumina Phœbi,
Naßouij comitis turres & tecta videbis
Splendida, piſcoſosq; lacus, fontesq; ſalubres.
Purior hic aër, cœloq; affinis, & auræ
Sidereæ, egregios homines producit, & aptos
Moribus, ingenio, ſtudijs, rebusq; gerendis.
Comprobat loc præſtans animi & laudabilis heros
Fortis Ioannes, qui nunc Comes optimus arcem
Incolit, à Dilla præterlabente vocatam,
Vranij frater, magna cum laude volentis
Qui patriæ ſacra ſceptra tenet. Ludouicus idipſum
Comprobat, Vranij qui fortia caſtra ſecutus
Bella gerit, Comes egregius, nulliq; ſecundus
Ingenio, fortiq; manu & præſtantibus auſis.
Tu quoq; magne Comes, ſummæ et virtutis Adolphe
Nuper in hoc numero clarorum laude virorum
Non poſtremus eras, iuuenem te Rhenus & Ellus
In gremio fouêre ſuo, cum rura Tribocum
Nobiſcum incoleres, vbi Pruſca è flumine ſpirat
Caſtalios latices, & magnam diuidit vrbem.
Mox hinc Leucoreum longè translatus ad Albim,
Muſarum ſtudio ſollertis acumine mentis
Deditus, egregios viciſti laude ſodales,
Illuſtrisq; ſcholæ ſublimia ſceptra tuliſti,
Tantum

Tantum erat ingenium, tanti virtutis amores.
Sed nunc, proh dolor, ob patriam dum ſtrenuus vl-
Bella moues, hoſteſq; necas victricibus armis, (tor,
Victor obis, longi vita digniſsimus æui.
Te Phriſiæ gemuere arces, Amaſiq; querelas
Audijt Arctoo notiſsimus orbe Viſurgis:
Abiecere lyras Muſæ, lauriq; virentis
Germina funereo permutauere cupreſſo:
Mox laudes cantare tuas & facta paratæ,
Poſt obitum vt celebris famaq; ſuperſtite viuas.
Sis fœlix, placideq; tua ſub mole quieſce
Magne Comes, tibi quos annos mors abſtulit, illos
Fratribus apponat, patriæ qui iura tuentur,
Et tua vel ſero nunquam laus concidat æuo.
Hæc ego de patriæ ducibus. Nunc clara Sigena
Quos celebres virtute tulit, mihi proxima cura eſt,
Enumerare tibi, quos inter dignus honore
Præcipuo Donnerus erit, quem Fuggarus olim
Cuſtodem natis dederat, morumq; magiſtrum,
Cum procul Hiſpani peterent gymnaſia regni.
Hinc ille eximius legum iuriſq; peritus
In patriam redijt, famaq; innotuit aulæ
Cæſareæ, dignuſq; fuit, qui Cæſare natos,
Rodolphum, Erneſtumq; duces virtutis amore
Imbueret, primiſq; animos formaret ab annis,
Phyllirides alter, magnum præceptor Achillem

Qui docuit pacis pariter belliq; labores,
» Verborum orator rerumq́; effector vt eſſet.
Salue magne ſenex, in te ſpes publica magni
Eſt poſita imperij: ſacræ tu Cæſaris aulæ
Reſtitues quandoq; duces, qui ſceptra tenere
Vtiliter, cunctosq́; queant frenare rebelles.
Qui decus imperij, labentibus vndiq; rebus,
Inſtaurent, finemq́; malis hoc tempore præſtent.
» Nil melius ſapiente animo rerumq́; perito
» Principe, ſi patriæ iuſto moderamine præſit,
» Omnia tum rident læto pulcherrima vultu.
Dum tales Donnere tua virtute fideq́;
Inſtituis nobis: quis te non diligat vnum?
Quis meritas vnquam poßit tibi ſoluere grates?
Olim tempus erit, ſenior cum ſceptra videbis
Tantorum iuuenum, perpeßorumq́; laborum
Aſpicies fructum, toti qui proderit orbi.
Vrbs eadem tulit Arnoldum, qui conſulis amplo
Fungitur officio, regina Colonia Rheni
Qua rapidas moderatur aquas, hoc nobilis æuo
Fortunæq́; animiq; bonis: hoc Carolus olim
Hoſpite perpetuo, Rhenum cum viſeret, vtens,
Inſignes illi titulos conceßit, vt inter
Auratos equites magno præſtaret honore.
Quin eadem Tilemanne tuo memorabilis ortu
Clara Sigena alias inter caput extulit vrbes,
Tu noua

Tu noua Stella micas iſtis gratiſſima terris.
Hanno pater Stellæ, placida ſub mole quieſce,
Qui talem nobis natum poſt funera linquis,
Cui puero primas quando prodiret in auras,
Vranie arriſit placido pulcherrima vultu,
Ingeniumq́; dedit, rebus cœleſtibus aptum,
Poſtmodò quod celebres magna cum laude fideq́;
Excoluere viri. primis præceptor ab annis
Hammerus tibi Stella fuit, quem curia Lani
Suſpicit eximium iuris legumq́; patronum.
Non hic Æmylius, non hic Sarcerius ille,
Medlerusue ſilendus erit, quos Stella magiſtros,
Eximios habuit, formatoresq́; iuuentæ.
Nec mihi de claua Germanum nomen adeptus
Prætereundus erit, quo commendante Vilelmus
Naſſouius, pater Vranij, dare munera Stellæ
Annua, Pierias Haſſi cum viſeret arces
Cœpit, cumq́; ſuos inter numerauit alumnos.
Non mihi Cæſarius, quem magna Colonia fouit,
Non Lutherus erit, non maximus ille Melanthon
Prætereundus, opes animi quibus ille magiſtris
Auxit, & egregium veræ virtutis amorem
Imbibit, vt doctos inter mox doctior ipſe
Floreret, fieretq́; alijs iam notior oris,
Doctrinæ eximijs non impar laude magiſtris.
In primis tibi curā fuit doctiſſime Stella

Æthereas tentare domos, prænoſcere cœlum,
Solerti ſtudio & cura, numeriſq; rotundum
Percenſere polum, & radio diſtinguere ſtellas,
Terrarumq́; plagas certis depingere ſignis.
Hoc tabulæ libriq; docent, quibus optimus auctor
Regna Palæſtinæ veteris deſcribis, & oras
Ægypti, cunctaſq; plagas quas oſtia Nili
Iordaneſq; ſuo ſpacioſus flumine claudunt.
Hoc docet exiguis Germania magna tabellis
En ſubiecta oculis. cunctas hic aſpicis vrbes,
Monteſq; fluuioſq; omnes, ſiluaſq; virentes,
Et fines patriæ cunctis à partibus orbis.
Cui mox adiunges, opus admirabile cunctis
Gentibus, & nullis vnquam delebile ſeclis,
Quo quidquid patrius celebrandum continet orbis,
Factaq; maiorum, noſtræq́; encomia gentis,
Et mores vrbeſq; omnes, ſtirpeſq; vetuſtas
Complectêre ſagax. Muſæ tua cœpta ſecundent,
Proroget annorum metam Deus ipſe, tibiq;
Adſit, vt impoſitam magno cum pondere molem
Suſtineas velut alter Atlas, par viribus illi,
Fortis & ad lætum perducas omnia finem.
Huic Camerariades, huic optimus ille Melanthon
Te videre parem, quin perficere monendo,
Et precibus crebris, vt præſtantißime Stella
Suſciperes onus hoc tantum, tantoſq; labores,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In patriam pius, & ſeros quandoq; nepotes.
Quin patroni operis tanti, tua cœpta benigna
Adiuuere manu: quos inter prima tenebat
Noſter Ioannes Albertus, ſceptra vetuſtæ
Vandaliæ, Varniq́; tenens, tractusq́; marini,
Balthica finitimos vbi tangunt æquora Danos.
Hic ille eſt princeps noſtro doctiſſimus æuo,
Plurima cui Phœbus, roſeæ cui plurima debent
Pierides, quarum diuino numine nomen
Perpetuum cum laude feret. nam profuit ille
Omnibus Aönidum cultoribus. optime princeps
Viue diu, noſtrasq́; etiam non deſpice Muſas,
In gremio quæ magne tuo creuere, tuumq́;
Nunc quoq; præſidium reliquo ſibi tempore poſcunt,
Æternasq́; tibi ſolenni carmine grates
Perpetuo dicent: nec te Stella optimus olim
Negliget, hiſtoriam patriæ cum ſcribet, auito
Stemmate deducens veſtræ primordia gentis,
Virtutesq́; tuas merito decorabit honore:
Vt te nulla dies venturis eximat annis.
Quid Comites nunc eximios, Mansfeldia fortis
Quos genuit, quid Stolbergi qui iura tuentur,
Quid Suartburgiacos celebrem? qui cœpta ſecundis
Auſpicijs tua iuuerunt, quibus inclytus ille
Suendius, Vraniusq́; ſimul iungentur & Haſſus,
Atq; Bipontinus princeps. quin arbiter ipſe

 Imperij,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Imperij, genitorq́; tuus Maxæmyliane
Propoſitum Stellæ ſacro diplomate iuuit,
Munificaq́; manu tantos vrgere labores
Promptus erat. Sic ille Ducum Regumq́; fauore,
Omnia quæ magno Germania continet orbe
Vidit, & egregijs deſcripſit cuncta tabellis:
Incipiens primo partes luſtrare marinas,
Hic vbi ſub gelida floret Megalepolis Arcto,
A Danis diuiſa mari, pelagoq́; Codano,
Cuius ſceptra tenent illuſtri ſanguine creti
Præſtantes virtute duces, inſignia quorum
Sunt Tauri caput, ornatum fulgente corona,
Et Gryphus quadrupedes, roſtroq́; aliſq́; decorus.
Faſciolisq́; ligata manus, gemmaq́; relucens
Annulus erecta, indicium virtutis auitæ.

Hinc vbi Cimbrorum Peninſula cingitur vndis
Oceani, Holſatos vidit, ferroq́; tremendos
Saxonas, & quotquot populos celer ille Viſurgis
Albis & includit. quin Brocci culmina montis
(Bructerus hoc illi quondam dedit accola nomen)
Obruta conſcendit niuibus, ſiluamq́; Bacænim
Prælongam latamq́; adijt: nec Marchia quidquam
Miſniaq́;, Phriſiæq́; arces, aut rura Nemetum,
Vangiones, aut Sala tenet, forteſq́; Triboci,
Quod non ille ſagax ſolidum cognorit ad vnguem.
Quid tibi iam Viadri populos? Morauosq́; Sileſosq́;
Iſtricolas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Iſtricolas tibi quid Dacos, celebresq́; Bohemos
Auſtriadasq́; canam? ſimili quos ille labore
Strenuus accedens, viſu quæ digna notauit.
Non iam Vueſtphaliam, Meliboci et culmina montis,
Non tibi Menapios, non fortes enſe Sicambros,
Non Vbios, Batauos, Belgas, ciuesq́; Namurci,
Iam repeto. quin & Morinos, tuaq́; oppida Treuir,
Atrebatesq́; Atheſinq́; libens, gentesq́; Moſellæ,
Et Vogeſi taceo ſcopulos, & flumina Nicri.
Præterco quoq; Pleumoſios, veteresq́; Cheruſcos,
Quæ tamen hic magno ſtudio, ſummoq́; labore
Omnia luſtrauit, patriæ communis in vſum,
Vt prodiret opus quandoq; inſigne, ſuisq́;
Perfectum numeris, ex quo Germania nomen
Perpetuum referens, toto legeretur in orbe.
Dum tamen à patria procul eſt, hic optima coniunx
Deſerit hoc æuum, mortales deſerit oras,
Abſenti ſpes magna ſimul, magniq́; doloris
Cauſa viro, quando rediens ſine compare lectum
Inuênit, triſtemq́; domum, natosq́; tenellos.
Sic opus inceptum lætos contingere fines
Hactenus haud potuit. pectus ſine nube ſerenum ‹‹
Vranie poſcit, ſtudijs mens ægra negata eſt: ‹‹
Nunc ergo Hofmannus præſtans pietate fideq́;,
Ætherei præco verbi, tibi fœdere natam
Legitimo iungit; natam virtute, pudore,

Et formæ

Et forma eximiam, & vultu verbisq́; decoram.
Quam lepor exornat, roſeisq́; affuſa labellis
Gratia, pura fides, in ſponſum mutuus ardor.
Hæc tibi Stella fuget curas, & lampadis inſtar
Phœbeæ nubes abigens, te luce ſerena,
Impleat, vt cœptos poßis abſoluere curſus.
Viuite concordes animæ, nil gaudia turbet,
Labra columbatim coniungite, pectora nodus
Vinciat herculeus, nulloq́; ſolubilis æuo
Duret amor, caleantq́; vna duo corpora mente,
Illa Sibyllinos ſuperes tu Neſtoris annos.
Non iam progeniem ſponſæ, matremq́; patremq́;
Non alios celebrare licet: verboſior æquo
Cum fuerim, ſemperq́; vltro breuis eſſe laborem.
Officium tamen hoc alij commiſimus. at tu
Conſule noſtra boni. multo meliora fatemur
Carmina ſunt tibi ſcripta, meos ſuperantia verſus.
Eſt tibi, ſitq́; precor, multos Huſanus in annos,
Nobile doctarum decus & tutela ſororum,
Ingenium cuius celeri feruentius igne,
Flumine & vberior facundæ gratia linguæ,
Nos terret, timidosq́; procul poſt terga relinquit.
Eſt Mylius tuus affinis, prudentia cuius
Neſtoreis par eſt meritis: facundia certat
Cum Ciceroneis, multum miranda, libellis.
Eſt quoq; quem decorat Graiæ ſapientia linguæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Optimus arguto ſuauiq; Caſelius ore.
Cur igitur, veluti philomelæ attendit achantis;
Sic ego non tantis auſcultem ſponte magiſtris?

Melchiori Faliſcio & Annæ Flehingiæ, Sponſis nobiliſs.

SILVA IV.

Est regio ad Mœnij ripas quam Tubarus amne,
Piſcifero, iunctusq; rigat Radiantia Laſo,
Atq; eadem geminis circumdata ſaltibus; vnus
Vergit ad imbriferum Sueuo conterminus Auſtrum:
Finitimus Turingo alter ſe extendit ad Arcton:
Terra ferax Bacchi & Cereris, celebrataq; claris
Magnanima virtute viris. quæ natio Francos
Ignorat veteres? iſta qui ſede profecti
Indigenæ, priſcis, Mauortia corda, Latinis
Terrorem incuſſere olim. nam fortibus armis,
Cum gentes paſſim opprimeret Romana ſecuris;
Incuteretq; metum toti tot cladibus orbi:
Hi magnis inuicti animis & robore, ſoli
Oppoſuere hoſti, non foſſas, flumina, muros,
Sed fortem intrepidamq; manum, frontemq; minaci
Terribilem aſpectu: quo gens hæc vnica duro
Non ſubiecta iugo, ſub libertate reſedit.
Propria magnanimis hæc namq; eſt gloria Francis
Ferre famem, tolerare æſtum, contemnere frigus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In pactis ſeruare fidem, ſanctumq́; tueri
Fœdus amiciciæ, mentiri aut fallere nunquam,
Poſthabitaq́; bonam vita defendere famam.
Artibus his Franci, Romano à milite tuti,
Durauere diu; quin iſta gente creati
Regia Sequanicas tenuerunt ſceptra per oras,
Romaniq́; illis magna cum laude coronam
Impoſuere olim. teſtis mihi Carolus ille
Magnus erit, rex Francorum qui regibus ortus,
Intulit in patrios, faſces trabeamq́; penates:
Imperiumq́; illud multos feliciter annos
Obtinuit, meritis cumulans ingentibus orbem.
Poſteritas quoq; non iſta de laude receßit.
Nunc etiam magnis Muſarum & Martis alumnis
Francica gens proauis certat; quis carmina neſcit
Hutteniq́; animos? quis ſcrutatoris Olympi,
Cui monte à Regis nomen fuit, aut CamerarI
Doctrinam ignorat, toto quæ nobilis orbe eſt?
Quis Francos iam non equites, & robora laudat,
Innatamq́; fidem, & priſcæ virtutis amorem?
Quos inter iam dudum habuit memorabile nomen
Melchior (an Melior dicam? namq; optimus ille eſt)
Quem natum antiqua gens ſtirpe Faliſcia laudat,
Patre Sigiſmundo; dextra qui magnus & armis,
Conſilioq́; potens, & ſeruantißimus æqui,
Iure Palatinis ducibus clarißimus olim,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Acceptusq; fuit, quis ſæpe fideliter ille
Conſilio & monitis rebus proſpexit in arctis.
Teſtis Otho Henricus, teſtis Fridericus, uterq;
Septemuir magni imperij, meritisq; verendus,
Illius eximias operas animumq; uirilem
Experti, quando magna cum laude fideq;
Præſidis officium, Boëris præfectus, obiuit:
Nunc magnus iacet exigua tumulatus in urna.
Hic pater eſt. ſi quæris auum? fuit ille Philippus:
Si proauum? fuit Henricus, qui præmia laudis
Auratos torques meruerunt: forſitan idem
Si cupis agnatos; Fabiani nobile nomen
Accipe, compluresq; alios hac ſtirpe creatos,
In laudem & certos patriæ communis in uſus,
Saxonicæq; domus, quam ſæpe ſagacibus illi
Conſilijs iuuere olim, ſtudioq; fideli.
Tunc quoq; Vangiones miſsi cum dicta Lutheri
Audirent, (illuc namque ad comitia Cæſar
Venerat, ut motos de relligione tumultus
Comprimeret) tremeretq; animo pars maxima vi-
Hic illi præſto tibi magne Luthere fuerunt, cto:
Conſilio, certaq; fide & prudentibus auſis.
Quod tua ſcripta probāt, probat optimus ille Melan-
Cui placuiſſe viro nō laus extrema putāda eſt. (thon,
Salue ô tantorum ſanguis generoſe parentum,
Salue ſponſe meis obſeruandiſsime Muſis
Te pue-

Te puerum placido naſcentem Iuppiter ore,
Et bona Calliope aſpexit, tibi riſit Apollo.
Te pater à primis virtutibus imbuit annis,
Nobilibusq́; viris docuit diſcenda, virentem
Præſtanti ingenio, ſpectandum moribus aureis.
Scit bene Caſtalios qui ſpirat Eliſter odores,
Scit Ligeris, Soma, cum Rhodano, ſcit Sequana men-
Doctrinamq́; tuam, quam tu es teſtatus ibidem (tem
Egregijs virtute viris. ſcit nobile regnum,
Celtarum, quot tu linguas, quot noueris artes,
Admirata ſuos peregrina in gente lepores.
Inde Nicri cum te reducem pulcherrimus amnis
Vidit & obſtupuit; tibi magna palatia pandens
Magnus Otho Henricus, magno te fouit amore,
Virtutis propter cultum, ingenijq́; vigorem.
Legatum quoq; Gallorum te miſit ad arces,
Sæpe tuæ mandans non parua negocia curæ.
Virtutemq́; ducem, felix fortuna ſecuta eſt;
Nec te ſeptemuir minimo Fridericus honore
Nunc colit, & coluit quondam. te namq; magiſtrum
Cuſtodemq́; ſuo Caſimiro legit, vt ex te
Virtutem & dignam diuino principe mentem
Imbiberet, primisq́; tibi pareret ab annis,
Sceptri hæres patrij. Sic olim Æneïa virtus
Et grauitas iuuenem dictis formauit amicis
Pallanta: egregio ſic cretus Amyntore Phœnix.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In verbis factisq; acrem, ſtudioſus Achillem
Erudijt: cui non, vera virtute, ſecundus
Excellens Caſimirus erit, quem Gallia nuper,
Fortis & intrepidus ſumptis dum fulminat armis,
Mirata eſt iuuenem, tacitoq; in pectore ſenſit,
Quid patrius vigor, & virtus generoſa magiſtri
Naturæ & quantum excultrix doctrina valeret,
Laudauitq; tuos clariſsime ſponſe labores.
Te pater ipſe nouo mox inſigniuit honore,
Iuſsit & Aſtrææ celebrem conſcendere ſedem,
Hic vbi ſpumifero florens contermina Rheno
Spira, decus magni Imperij, non enſe ſed armis
Iuſtitiæ, legum norma & virtute tuetur.
Sis fœlix ô perpetua digniſsime vita
Melchior, excellens animi, & tot dotibus aucte
Nobilis ingenij, doctrinæ & ſtirpis auitæ,
Perpetuoq; meis multum celebrande camœnis.
Qua ratione etenim Muſis indictus abires?
Quarum tu merito comites dignaris honore,
Quas reuerenter amas, redamantes: hinc tibi texunt
Æternum virides amaranti è flore coronas,
Vt te nulla dies venturis eximat annis.
Sed neq; Muſarum ſunt claræ indebita ſponſæ
Munera, quam pater excellens in ſtirpe Flehinga
Luduicus, duplici Vuolgangus nomine ſeuit,
Nobilitatis honos Græci labentis ad amnem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hic vbi vitiferos laudat Mencingia colles.
Natus Vdalrico Vuolgango: hic virginis Annæ
Eſt auus, inſigni virtute & fortibus auſis
Cognitus Ambergæ, ſenioris ſigna Philippi
Dum ſequitur; pater ipſe etiam Ludouicus, eodem
Tempore qui preßam Charitino à principe Brettam
Deuictrice manu aßeruit: quo ſcilicet ille
Corpore tum puer, at paulo poſt inclytus arte
Nutriri hic patria poßet ſub ſede Melanthon,
Natus in exigua, ſed nomine maximus, vrbe.
Si matris genus obſerues, ſponſæq; venuſtæ
Maiores, auus eſt illi generoſus Obertus,
Arce Rauesburga, Golerorum ſanguine cretus,
Qui fortes animis quondam & Mauortia bello
Fulmina, pro patria virtute & laude labores
Suſtinuere graues: hoſtem vel vincere pugna
Vel patriæ excidium moriendo auertere ſueti.
Eſt Lotharingorum ſedes Nancæa, ſub ipſos
Germani & Galli fines, hanc Carolus ille
Burgundus quando hibernis male cingeret armis,
Illi tota domus Golerorum vindice dextra
Auxilium tulit, & rebus non liquit in arctis.
» Quo ruitis generoſæ animæ? damnoſior hoſte
» Proditor eſt, à quo turpi dux perditus auſu
En cadit, armatis quem vos defendere dextris
Dum cupitis, Libycaq; velut de rupe leones
Irruitis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Irruitis, metitisq; acri quæq; obuia ferro;
(Fraude perit virtus, non vi) ſuccumbitis omnes. "
Non impune tamen, neq; enim moriuntur inulti
Hoſtibus haud tergo, ſed fronte & pectore noti
Magnanimo, iuuenes Golerorum ſtirpe creati,
Quos velut vna dies ad pugnam emiſerat omnes;
Sic etiam vna dies funeſto perdidit enſe.
Attamen vt tantæ ſupereſſent ſemina gentis,
Proſpexit Deus ipſe; vnus nam liber ab armis,
Addictusq; ſacris, iſta de gente relictus
Soſpes erat, quem tum Cæſar Fridericus, amico
Ipſe patrocinio amplectens, à præſule tandem
Obtinuit, mutata vt conditione priori
Legitimi poßet conſortem ducere lecti,
Extinctamq; ferè natis extollere gentem,
Mox iterum vt ſimilis maiorum laudibus illa
Floreret, poſſesq; olim pulcherrima naſci
Tu quoq; quæ fieres lectißima ſponſa mariti
Tam celebris. nec ſpes illum generoſa fefellit.
Multi etenim nati Golerorum è gente ſuperſunt,
Egregij virtute viri, quibus illa priorem
Æquare & meritis poterit defendere famam.
Hac tu ſtirpe ſatam lætus complectere ſponſam
Melchior, egregium Themidis decus, ardeat illa
Semper amore tui, quondam vt Panthea maritum
Suſis Abradaten, proprio plus corde ſolebat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Diligere, eximiumq́; ſibi decus eſſe putabat,
Obſeruare virum, verboq́; offendere nullo.
Sit capitis noua ſponſa tui precioſa corona,
Morigeris animosq́; modis, & pectora dulci
Recreet alloquio. cum te tua limina feſſum
Excipient, teneri concurrant blanda puelli
Oſcula præripere, & tacita dulcedine tangant
Corda tibi. quibus vt ſeram munire ſenectam,
Atq; diu gaudere queas cum coniuge felix,
Me tibi iuſſerunt votis optare profuſis
Pierides; monuitq́; vltro Ciſnerus, amatus
Iam collega tibi, & noſter bonitate patronus
Excellens, doctosq́; inter doctiſſimus ipſe,
Cui cur quæſo negem, pro te modulata petenti
Carmina? cui multò plus debeo; tantus amico
Candor ineſt animo, tanta eſt ſub pectore virtus,
Sed nec plura licet. felices ergo valete
Melchior, & Ciſnere, meas nec ſpernite Muſas,
Iuſtitiæ, magni meritis, fideiq́; patroni.

Cum Ordinis philoſophici Decanus, ad funus Io. Bogentini Lubecenſis, ſtudioſos adoleſcentes conuocaret.

SILVA V.

SI quis adhuc dubitas diri regnator auerni
Quod ſuperet, quod bella gerat cum gente pio-
rum, Aſpice

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Aſpice terribiles caſus, & triſtia noſtri
Fata Bogentini, quo vix præſtantior alter
Integritate fuit, veræ & pietatis amore.
Ille Lubeca tibi non aſpernandus alumnus
Ingenium ſtudijs & honeſtis moribus ornans,
Ad vada ſpumiferi primo conceßit Eliſtri,
Doctrinæ intentus clarorum laude virorum.
Hinc Varni rediens celebrem nouus hoſpes in vr-
Muſarum in caſtris meruit, caruſq́; magiſtris (bem,
Diſcipuliſq́; fuit, patri ſed carior, vnum
Qui natum hunc in venturæ ſpem ſtirpis alebat.
Spem quæ magna fuit, tanta illi induſtria, tantus
Ætheriæ pietatis amor, purißima virtus,
Et placidos ornans generoſa modeſtia mores.
Quin etiam populos iam de pietate docere
Saluificaq́; fide, claris inceperat auſis.
Non tulit hoc Sathanas, qui cum ſua regna videret
Imminui, fortemq́; illum quandoq; futurum
Cerneret heroëm, qui relligionis honores
Aßerere, & Chriſto aduerſos conuincere poßet.
Non tulit hoc inquam Sathanas, ſed callidus illi
Inſidias iuueni ſtruxit, qua fraude doloq́;
Heu nimium tibi iam notum eſt ſtudioſa iuuentus.
Non tamen imbutum vera pietate fideq́;
Debellare animum potuit, qui fortior atris
Reſtitit inſidijs, & Chriſti funere nitens

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vulneribusq́; ſacris, cœli iam regna ſubiuit,
Purpureos inter proceres diuosq́; locatus.
Quid furioſa olim quid tu patiere iuuentus?
Ebrietate tumens, & verni prodiga floris,
Cum maneant hæc fata bonos: reſipiſcite tandem
Dum licet, & ſanctæ vigiles aſſueſcite vitæ.
» Horridus ille Leo rabioſo circuit ore,
» Intentus prædæ & ſpolijs, nec parceret vlli,
» Ni Deus iniectis illum frenaret habenis.
» Hunc igitur pietas, ſanctæq́; modeſtia vitæ,
» Aſſiduæq́; preces ſumma & vigilantia placet,
» Ne ſimiles forte in laqueos quandoq́; ruamus.
Supremum quoq́; defuncto præſtemus honorem,
Primæ ſigna dabit quando ſol aureus horæ,
» Afflictæ memores vitæ, mortisq́; propinquæ,
» Quæ quia vita breuis, nunquam non proxima nobis
» Eſſe poteſt, homini accelerans mundoq́; ruinam.

IN FVNERE IO. DVreri Lubecenſis.

SILVA VI.

ERgo iterum ſpes Aönij pulcherrima fontis
Flebilibus lugenda modis temploq́; ſcholisq́;
Occubuit? Durere iaces doctiſſime, nec te
Vel triplicis potuit præclara ſcientia linguæ,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vel pietas, virtusq́; animi, roburq́; iuuentæ,
Incolumem ſeruare tuis, nobisq́;? Lubeca
Ingenij cultrix tanti lætiſsima quondam,
Interitu nunc mœſta dole, triſtesq́; querelas
Ingemina, ſimiles illi ſperare nepotes,
Vix auſura equidem, dùm degenerare videmus ‟
Omnia, barbariemq́; ſuos extendere fines. ‟
Quid querar infelix? nihil hic ſuſpiria proſunt,
Non habet hic medicina locum, ſic omnia fatis
In peius conuerſa ruunt, properantq́; ruinas.
Quis quæſo ſperare auſit? Sophiamq́; ſacrasq́;
Aönidas, retinere ſuos hoc poſſe vigores
Tempore, quo iuuenes Muſarum caſtra ſecuti
Ingenium aut luxu perdunt, aut deſide vita
Torpeſcunt, ſtulteq́; putant ſeſe omnia ſcire,
Inflati, doctiq́; magis doctoribus ipſis:
Quo ſpretæ ſine honore iacent frigentq́; Camœnæ
Deſertæ: quo virtuti ſua præmia deſunt: ‟
Auri ſacra fames toto quo regnat in orbe. ‟
Præterea quid Palladias magis impedit artes?
Quam ſummos quod laude viros, prodeſſe iuuentæ
Qui multum poterant, mors ipſo in flore peremptos ‟
Euocat; aut ſi quos tales quandoq; relinquat; ‟
Illi ſubſidijs & Mæcenatibus orbi,
Coguntur ſteriles inuiti linquere Muſas,
Lucroſasq́; ſequi ſtudijs maioribus artes.

Sic Phœbi cultura iacet, Muſæq; relictæ
Exanimes pæne, inculcant repetuntq; querelas;
Barbaries contra, Baccho præeunte, triumphum
Spirat, & ignauos ſecum trahit improba ventre
Egregijs inimica viris. non infimus inter
Quos Durerus erat, doctrina clarus & arte,
Cuius in exiguo regnabat maxima virtus
Corpore: qui iuuenis ſeniores ſæpe docebat,
Tantum erat ingenium, tanti virtutis amores.
Nunc tamen ille iacet, diuturna tabe peremptus,
Spes tanti ſublata viri eſt mortalibus oris,
Et ſuperis illata plagis, ſediq; beatæ.
Plangite Durerum, quotquot nouiſtis ademptum
Deuoti ſtudijs iuuenes, & funeris hora,
Illius exequias veſtro decorate fauore,
Hic extremus honos tanto debetur amico.

STELLA AVREA.

SILVA VII.

EN noua cur mundi facies? cur aurea cœlo
Clarius aſtra micant? rara quid luce venuſta
Nereides ducunt hilares ad plectra choreas?
Quid Varnus pater accumbens in margine ripæ
Carmina læta canit: Rhodia quid totus in vrbe
Pieridum chorus, inſolito ferit æthera cantu?
Quid roſa tam pulchrè fragrantem ſpirat odorem?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Fallor an exſpectata diu Stella aurea tandem
Progreditur, roſeæ ſuccedens mœnibus vrbis,
Cuius ab exortu bonitas, ſapientia, candor,
Et radios doctrina ſuos, fulgentior aſtris
Exerit, & totam replet ſplendoribus vrbem.
O lux ambroſijs exoptatiſſima Muſis:
Hinc ſacri ſe fontis honos, hinc gloria vatum
Tollit, & erectum celſis caput inſerit aſtris.
Hæc, modo ſi vatum præſagia vera putantur,
Ipſe comes Muſis vates mihi dixit Apollo.
Nam ſoror Aönidum tenebris aurora fugatis,
Vix hodie primos extollere cœperat ortus,
Cum Varni ad ripas viridi proſtratus in herba,
Cœleſtis patriæ miro perculſus amore,
Ætherias luſtrare plagas & ſidera cœpi.
Aurea luciferi Venus effulgebat in ortu,
Mane capiſtratis cœlo ſubuecta columbis,
Cui prope ſiderei radians ſub corde leonis,
Regia ſtella aderat, venturo præuia ſoli:
Iupiter hinc paulum Saturno à patre recedens
Herculei prima ſub parte leonis agebat.
Poſthac Pleiadibus monſtrans ſua ſpicula Mauors,
Sub ſe gemmiferum ſpectabat Orionis enſem:
Æſtiuos qui torret agros hunc Sirius ardens
Suſpicit: Oleniæ pluuialia ſigna capellæ
Fulgebant medio, ſublimis vertice cœli.

Pone ſequebantur ſeptem vicina trioni
Sidera, cæruleos non ingredientia fluctus.
Hæc ego ſublato, gauiſus, in æthera vultu
Aurea templa videns; magni te conditor orbis
Alloquor, effundoq́; preces: pulcherrime rerum
Chriſte decus cœli, vatum qui verus Apollo es,
Tu radijs & luce tua, quibus ardua mundi
Machina completur, noſtris de mentibus atras
Pelle procul tenebras, & puri numinis ignes
Inſere, terrenis quo mens mea libera curis,
Ætherias penetrare domos & ſidera poßit.
Hinc tua quo varijs ſpargantur lumina terris:
Perpetuisq́; ſacræ maneant in honoribus artes:
Reddita vicinis iterum pax aurea regnis
Exultet, bellumq́; tuos vertatur in hoſtes.
Dum loquor, auratum vitreis caput extulit vndis
Phœbus, & ad noſtros referens ſua lumina vultus
Talibus incœpit. Iuuenis gratißime Muſis,
Quod cœlo ſtellisq́; vacas, & ſæpius illas
Aſpicis, aßiduisq́; gemens, petis æthera votis;
Ipſe preces ſtudiumq́; tuum probo, lætus & illud
Exitus, optata dudum cum pace, ſequetur.
Nam quas ſanguineus turbas, quæ prælia Mauors
Excitat; auxilio Veneris, noſtroq́;, retundet
Iupiter, hinc patrijs reddantur vt ocia terris.
Atq; ideo faculis è cœlo illuſtribus ardens

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Aurea ſtella oritur vicinæ mœnibus vrbis,
Aſpectu cuius populi & fulgore ſereno,
Mentis & ætheriæ radijs & luce ſubacti,
Submittent animos, & pax optata redibit.
O igitur felix tam pulchri ſideris ortus!
O multis optata dies! ſalue aurea ſtella,
Salue iterum, non tu pingues vt Sirius agros
Exures: non ſanguineo, vt Mars, imbre rigabis.
Te duce grata ſcholis, templo, patriæq; locisq;
Omnibus alma quies, patulis plaudentibus alis,
Iuſtitia comitante, aderit. Sic optima rerum "
Libertas, gratum cunctis & amabile nomen, "
Cum populis terras, cœlo delapſa, reuiſet.
Vos quoq; Pierides, regum quæ facta per orbem
Spargitis, & memori tranſmittis omnia famæ,
Ocia certa manent, & meta optata laborum.
O vos felices, omniq; ex parte beatos,
Aurea ſtella quibus coram ſpectanda refulget!
Chriſte dator pacis, fons luminis, autor amoris,
Da precor vt multos hæc aurea ſtella per annos
Fulgeat, & patriæ pacis ſacra munera genti
Conſeruet, terramq; nouis ſplendoribus ornet.
Poſt & in ætheria multo fulgentior arce,
Par radijs Venus alma tuis, par lumine Phœbo,
Emicet, æterno nunquam delebilis æuo.

Enco-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Encomium Grammatices.

SILVA IIX.

ET iam tempus adeſt, prima quo grandis Orio
Nocte pedes cœlum ingreditur, magnoq́; lab
Sidera conſcendens, alto ſupereminet ore: (
Phœbus & aduerſa cœli regione morantes
Siſtit equos, noctisq́; umbras producit opacæ;
Lucis & anguſtas cunctando contrahit horas.
Scilicet acris hyems, tremulo venit aſpera greſſu
Nixa pedo, canosq́; fere ſpoliata capillos,
Squalida concutitur. plena niuis vndiq; veſte
Stiria dependens, villis impexa cohæret,
Quacunq; ingreditur, gelidos niue conſerit agro
Eius & afflatu, pallentes arbore frondes
Et folia alta cadunt; canis aſperſa pruinis,
Aut niue tecta latent immenſo gramina campo.
Quin etiam denſæ currenti in flumine cruſtæ
Iam coëunt, nauesq́; prius quod adire ſolebant,
Nunc pedibus mare pandit iter: ſata Caurus adu
Frigore, & in glaciem conuertit ſtagna rigentem.
" Quam ſubito heu menſes alisq́; fugacibus anni
" Auffugiunt! ah quam pulcras male perdimus horas!
Quam ſubito ſubrepit iners & inutilis ætas!
Vere nouo, campi, frondes, & prata virebant,
Mox etiam grauidis tellus canebat ariſtis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ipſaq́; lux blanda ridebat amabilis aura,
Sed breuis hic vigor eſt, & paruo tempore durat.
Nunc ea diffugêre procul. non arbore frondes,
Non herbæ campo apparent, non gramina pratis.
Quodcunq; aſpicias nix eſt, & frigus acerbum.

Non aliter miſeræ mortalis tempora vitæ
Finit homo, puer ore viget, mentisq́; ſagacis
Ingenio, bene corpus habet, membra omnia florent.
Aſt ſubito flos ille perit, non floribus impar
Quos prius inſignes, ſubiti vis effera venti
Deijcit arentes, nec lapſo redditur vnquam
Quod perijt. nonne & pueros, iuuenesq́; virosq́;
Curſibus à tergo inſequitur miſeranda ſenectus?
Atq; inopina manus homini, ſperataq́; nondum
Inijcit, abſumitq́; animi cum corpore vires?
Paulatim lenta donec mors omnia falce
Demetat, & finem rebus mortalibus addat.
O læuas iuuenum mentes! quam talia paucos
Dicta mouent! quam parua cohors florentibus annis
Vtitur vt par eſt, accedentiq́; ſenectæ
Sternit iter prudens, ſeriſq́; viatica canis
Præparat, in ſtudijs & prima ætate laborat.
Sunt quos luxus iners, pronoq́; ignauia vultu
Detineat: ſunt quos Veneris væſana voluptas
Non ſinat optatos virtutis ſcandere colles.
Vina alios, tumido ronchosq́; educere naſo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Poſt calices, nimioq́; iuuat turgeſcere ſomno.
Hos ſapere ante diem, rudimentaq́; & ſpernere pri-
Et ſubito celſas Heliconis tendere ad arces (mo
Præcipitat, nimiumq́; auſos, per ſaxa volutat
» Ardua. ſic Phaëton dum concipit æthera mente,
» Infima contemnens; fluuio perit: Icarus alis
» Non bene compactis dum celſior ire parente
» Nititur æquoreis miſere ſubmergitur vndis.
Ergo mihi teneræ cum ſit formanda iuuentæ
Vox rudis, & Latiæ præcepta ſalubria linguæ
Spreta quidem, vigili tamen enarrare labore
Incipiam: prius inuiſæ præconia dicam
Grammaticæ: puerosq́; omnes iuuenesq́; monebo,
Quæ bona, quos fructus, & quæ mortalibus ars hæc
Dona ferat, quantis & ſit ſudoribus illi
Diſcenda, ex ſtudijs optatos carpere fructus
Qui velit, & docti cognomine dignus haberi.
Vt pauci, quos laudis amor, generoſaq́; virtus
Excitat, egregia cum fruge vigentibus annis
Vtantur, primæq́; artis fundamine iacto,
Paulatim celſas doctrinæ educere turres
Incipiant, vitæq́; decus commune tueri.
Si placet his mecum ſtudijs operata iuuentus
Percipe ſolerti placidè quæ dicimus aure,
Vtq́; ſoles, eadem ſublimi mente reconde.
Muſarum, Phœbiq́; decus, fidiſsima doctrix
Gramma-

Grammatica, unde tuas præſenti carmine laudes
Ordiar? & dignis tua pandam munera verbis?
Tu, licet à tenui tua ſurgat origine virtus,
Pingere dum primasq; notas & grammata iungi
Legitima ratione iubes: tamen inde parentem
Te reliquæ, matremq; artes venerantur, & altè
Extollunt: tibi præclara puer indole florens
Nutrici veluti, primo committitur æuo,
Lactea creſcenti tu præbens vbera nato,
Paſcis & ad frugem tenerum perducis alumnum.

Felicem cuicunq; datum eſt his tempore iuſto
Vberibusq; & lacte frui: non Cynthius illi
Caſtalios hauſtus & pocula ſacra negabit:
Non illum Aönides Parnaßi à culmine montis
Arcebunt vnquam: doctis ſed miſtus ibidem
Virginibus, ducet lepidas ad plectra choreas,
Gaudiaq; & plauſus Muſis præeuntibus edet.

At quicunq; huius non iuſto tempore matris
Vbere nutritus, reliquas contendit ad artes,
Vt ſpurius dubio natus genitore, repulſam
Mox patitur, turpemq; refert cum clade pudorem.
Indignumq; putant talem caſtißima Muſæ
Numina, qui ſacros Phœbo conſcendere colles,
Cultor Apollineæ dici vel debeat artis.

Sic auis anguſtum nidum tenebrasq; peroſa,
Ante diem implumis vaſto ſe credere cœlo,

Cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cum matre inuita cœpit: trepidantibus alis
Luctatur, dubias & vincere nititur auras:
Viribus aſt vento inferior, mouet aëre pennas
Incaßum, ſentitq́; feri mox vulturis vngues,
Flet ramo miſeranda parens, mœſtasq́; querelas
Integrat, & multis latè loca queſtibus implet.
Hic igitur durate animis, & pectore firmo,
O pueri, ventura quibus laus famaq́; curæ eſt.
Hinc decus, hinc veræ laudis dependet origo.
Nec prius ad reliquas ſtudijs audacibus artes,
Tendite fundamenta prius niſi rite locata,
Impoſitæ ſufferre queant bene pondera molis.
Sic faber ædificare domos, aut principis arcem
Si velit, ante alios bene fundamenta labores
Collocat, & nitens ingentia ſaxa reponit,
Arte cauernoſos condenſans fornicis arcus.
His poſitis bene, cemento gypſoq́; columnas
Erigit, auratasq́; trabes longo ordine tendit,
Regali ſurgunt ædes ad ſidera luxu,
Iurgia nec Boreæ tempeſtatesq́; morantur.
Si male ſit fundata domus; labefacta repente
Corruit, horrendumq́; edit concußa fragorem.
Non aliter ſtudioſa cohors fundamina rectè,
Cum poſuit, cupidisq́; labris ſacra vbera ſuxit
Grammaticæ: ſi deinde alias accedat ad artes,
Siue ea de falſo verum ſecernere: ſiue

Et ſa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Et ſapere & culta iubeat bene dicere lingua:
Aut etiam, quæ ſit rebus natura creatis,
Doctrinamue ſacram aut iuris myſteria pandat.
Quicquid id eſt, bene grammatica fundatus in arte
Rectius, & facili perdiſcere cuncta labore
Doctrinæq́; poteſt celſos euadere colles.
Hæc illa eſt, quæ ſicut Atlas ſuſtentat Olympi
Pondera, ſic humeris reliquas bene ſuſtinet artes.

Aſt alij qui non primis conſtanter ab annis
Hac doctrice loqui fido didicere labore:
Iuraq́; verborum ignorant, normamq́; loquendi,
Poſtmodo vel Sophiæ ſacriue volumina Iuris
Aggreßi, vt cœci ignota regione vagantur,
Proficiumq́; nihil, ſtudio licet omnia tentent.
Non aliter tenues captet quis retibus auras,
Semina littoreis mandet vel ſtultus arenis.

Hinc alij minimas mox regrediuntur ad artes,
Pigri alij, ſpretos nolunt perferre labores,
Seq́; libidinibus dedunt ventriq́; voraci:
Deſperant alij, tenuis quibus ære crumena eſt,
Proq́; libris clypeos, & acutæ cuſpidis enſem,
Pro calamis haſtam arripiunt & bella ſequuntur.
Poſthabitis alius, lucroſa negocia, Muſis
Tractat, & immiti vento ſe credit & vndis.
Quærit opes alius nullo ſudore paratas,
Et puer alludit vetulæ, cui nummus in arca

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tinnit, ineſcatas operitq; numiſmate rugas.
Illius imperium, ſæuaſq; vxorius iras
Sentit, & in duro ſecum conuicia lecto
Multa ferens, curis tacitè luctuq; ſeneſcit.
Commentis alius ſine mentis acumine fretus,
Et compilatis ſine rerum pondere verbis,
Et tantum ſapiens alieno ex ore, miſellus
Rus abit, & cœcos inter rex luſcus, ad aras
Et cathedram properat, nudas diſperdere voces
Callidus, immodicuſq; tamen, faſtuq; tumeſcens,
De rebus ſibi propoſitis aliena profatur,
Et ſibi de cunctis rectè dixiſſe videtur.
„ Vſq; adeo admiſſam ſcelerata inſcitia culpam
„ Abnegat, & Sophiæ latitans ſub imagine fallit.
Iidem, pigritiæ aſſuetis quia ferre labores
Haud facile eſt, Baccho indulgent, et pocula vertunt
Pro libris ſcriptiſq; ſacris: aut ocia ſegnes
Semper agunt: miſeram fœdant contagia plebem,
Vnde offenſa graues perfert Eccleſia luctus,

Hæc damna, hæ clades neglectam ſæpe ſequuntur
Grammaticen, teneris quam ſi neglexeris annis,
Sermoniſq; modos nullo cognoueris vſu,
Poſtmodo nec ſacris quæ ſunt conſcripta libellis
Percipere, aut alios poteris cum laude docere:
„ Verba notæ rerum cum ſint, reſq; explicet ipſas
„ Sermo trahens imo deductos pectore ſenſus.

Qui ſi forte rudis fuerit, raucoq́; boatu
Diſſonus, aut ſtupido tibi ſi ſordeſcat in ore
Languidus, ipſe alios quanam ratione mouere,
Pandere vel ſummi poteris myſteria Chriſti,
Fontibus ex ipſis? an non ætate parentum
Relligio, & ſincera fides, præeunte reuixit
Grammatica? quæ ſi voces variasq́; figuras
Perſpicuè proprieq́; aperit, res ipſa neceſſe eſt
Clarius vt pateat, quam ſi dictamine chartas
Commaculans, riuos neglecto fonte ſequaris.

At nunc proh dolor hæc iuuenum væſania mens
Exagitat. ſubito illotis manibusq́; labrisq́; (tes
Artibus inuolitant ſummis, puerile putantes,
Atq; animi rudioris opus ſtupidiq́; morari
Grammaticæ in ſtudio, donec via certa loquendi
Cognita ſit, ſubito alta petunt, nihil ima morantur.
Hinc veterum monimenta iacent contemta, nec illis
Iuſtus habetur honos: diuina poëmata vatum,
Aut ſi quis Latiæ præcepta ſalubria linguæ
Ignaris fido velit enarrare labore:
Parietibus vacuis, & ſurdis carmina ſcamnis
Præcinit, incaſſumq́; ferè fruſtraq́; laborat.
Vſq; adeo Auſoniæ reſtincta eſt gloria linguæ.

Ne tamen hoc ne quis tacitus miretur, & artem
Propterea ſpernat. ſemper pulcherrima paucis "
Cognita ſunt: nihil eſt multis commune, quod vna "

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

» Præclarum eſſe queat: tractant vulgaria multi.
Hinc alios inconcinnis quamplurima verbis
Diſſerere audimus de relligione, pioq́;
Virtutum ſtudio: & verbis audacibus vltro
Iudicium graue de magnis ſibi ſumere rebus,
Liberius multo ſenibus, qui temporis vſu
Sint licet edocti; ſtudio tamen omnia penſant
Peruigili, precibusq́; pijs in vota vocantes
Sæpe Deum, cautis decernunt ſingula verbis.
Illi autem ſubito edocti, pulchrè omnia norunt,
Et quia Grammaticæ ignari, quæcunq; loquuntur
Vera putant, nulloſq́; olim timuere magiſtros,
Qui moderari animos, & mites reddere poſſent:
Indomiti temere inſurgunt, & dogmata fœdè
Corrumpunt, rixaſq́; mouent; & cedere rectis
Dum ſibi turpe putant monitis: pax aurea mundum
Deſerit, & lites de lana ſæpe caprina
Exortæ, inuadunt totas cum gentibus vrbes.
» Vſq; adeo à teneris placidis aſſueſcere pulchrum eſt
» Moribus, & primas perdiſcere gnauiter artes.
Quid tibi cunctarum proprijſſima nomina rerum
Commemorem? qua primus Adam præclarus in arte
Ingenij ſpecimen magni dedit, ipſe creatis
Nomina cum rebus, tacitas pingentia vires
Attribuit, ſummo mundi ſpectante Monarcha.
Nunc ea vis ignota ferè toto exulat orbe,

Quic-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quicquid adhuc supereſt iſta de parte peritus
Grammaticus ſibi deberi cum laude fatetur.
Ille rei vires tacitè, velut alter Adamus
Aſpicit, & cunctis concinna vocabula rebus
Attribuit, proprijsq́; notis quæq; obuia ſignat.
Ille herbas, frutices, arbuſta, legumina, fruges,
Ille domus partes, ille inſtrumenta periti
Artificis, volucresq́; ipſas, & in æquore piſces;
Deniq; doctiloquo pulchrè omnia denotat ore,
Muto alij ſimiles, nec ſe nec cætera norunt.
Illum igitur reliquas Sophiæ quoq; diſcere partes,
Grammatici titulo cupiat qui dignus haberi,
Eſt opus, vt pariter res & data nomina rebus
Nouerit, & facili queat explanare labore.
Adde quod ars eadem, quo quæuis littera ductu
Quotq; quibusúe notis, & dictio quælibet apte
Conſcribi, & docto proferri debeat ore,
Edocet, & vocum pulcrè myſteria pandit.
Quæ contra, dij quam multos delinquere cernas,
Barbaries innata quibus ſimul ore manuq;
Exerit ignauo turpes ſub pectore ſenſus.
Ille notis illegitimis: hic ordine falſo
Vtitur, & certis diſtinguere ſingula membris
Dum neſcit: parit errores, & labitur ipſe,
Omnia confundens tetra & caligne mergens.
Lingua alius peccat, dum producenda ſubinde

Corripit, aut rurſum quæ corripienda, morari
Ore ſinit, raucaq́; aures ſtribiligne lædens,
Excitat ingratis riſus aut tædia verbis.
Et quoniam teneris puerilia ſpreuit ab annis
Grammaticæ præcepta, ſenex ludibria rurſum
Cogitur & merito pueriles ferre cachinnos,
Cum male vel pingit, vel non dicenda profatur.
Quid quod ab hac etiam diuina poëtica manat,
Multiplices quæ cum numeros hinc diſcit, vt apte
Quo quæuis correpta loco, qua parte moretur
Syllaba ſcire queat, Sophiæq́; in puluere ſudat
Gnauiter, Aonidum ſegni mox plebe relicta
Culmen adit, laudesq́; Dei, præclaraq́; facta
Heroum canit, & verbis ad ſidera ſurgit.
Salue igitur dilecta parens, doctißima ſalue
Grammatice: tu carminibus diuina poëſis
Quæ canit, vna potes præſtantis acumine mentis
Percipere, atq; alijs fido enarrare labore.
Te ſine Cimmerijs ſunt omnia plena tenebris,
Nullius & ſtudium cum laude abſoluitur artis.
Derogo nil alijs, meriti tu pondere multum
Præcedis reliquas, cum te ſine, nulla manere
Incolumis, nomenq́; ſuum laudesq́; tueri
Poßit, & egregijs ſua pandere munera verbis.
Principe te quondam certis ſacra biblia ſignis
Edita iam totum ſunt diuulgata per orbem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quodq́; ſenes iuueneſq́; ſacros euoluere libros,
Et poßunt ſummi mentem penetrare parentis,
Munus id omne tuum. tu prima elementa legentem
Grata miniſtra doces. & ne ſacra ſcripta deinceps
Intereant, tu ſola facis, memoriq́; reponis
Indice, qui cuſtos nullo delebilis æuo,
Tam paucis ſignata notis, paucisq́; figuris
Omnia conſeruat ſero ſpectanda nepoti.
Tu quod habet ſcriptas felix Reſpublica leges,
Quod populi frenare animos, punire nocentes,
Et decreta poteſt ſubiectis mittere terris
Cæſar, & abſentes quæ ſint facienda monere,
Tu facis, inuentumq́; tuum, quo pectoris imi
Conſilia, & motus tenui depingere charta
Poßumus, atq; oculis animi proponere ſenſus.
Deniq; quicquid id eſt, miſeræ quod commoda vitæ
Auget, & illius decus ornatumq; tuetur,
Præcipue tibi nos grati debere fatemur,
Te ſine nulla fides, commercia nulla, nec vlli
Contractus aut pacta forent: ius omne periret
Officiumq́; fori: dubias obliuia mentes,
Barbarieſq́; omnem fœdè peruerteret orbem.
Sed mea forte aliquis vero non conſona dicet
Carmina, cum referam dare munera tanta per orbem
Grammaticen; videatq́; illam non cultibus vllis
Ornatam, viliq́; toga, tritaq́; lacerna

Contemptam ſpretamq; vti: cum ſplendida veſtis
Hanc deceat: reliquas artes præ diuite cultu
Fulgentes, hæc cum genitrix eduxerit olim.

Præterea reliquis addictos artibus, amplis
Diuitijs opibusq; frui plerumq; videmus:
Ferre Galenus opes, fuluum dare Bartolus aurum
Dicitur, & ſacra non adeo ieiuna cathedra eſt.
Gramntaticus macer & pallens, vixq; oßibus hæ-
Veſtibus indutus laceris, vacuaq; crumena (rens
Incedit miſer, & nulli miſerabilis. illum
Cum pueris ipſi oderunt perſæpe parentes,
Vixq; ſua, murem quo paſcat, poßidet æde.
Inſuper Auſonij referunt vt carmina vatis,
Felix Grammaticus non eſt, ſed nec fuit vnquam
Nec fiet: vel ſi felix cupit eſſe, relinquat
Grammaticam ſterilem, lucroſæq; inuolet arti.

Sunt ea vera nimis fateor, nec gratia digna
Pro meritis vnquam contemtæ redditur arti.
Sæpius illa ducum celſas euexit ad arces
Diſcipulum, gemmisq; illum decorauit & auro:
Ad ſummos alium placide perduxit honores,
Qui tamen immemores doctæ non præmia matri
" Retribuere vnquam. ſacris hoc tempore Muſis
" Talis habetur honos, ipſorum vt ſemper alumnos
" Non magnæ comitentur opes. Non attamen omnes
Anxia paupertas duro quos pondere preßos

Detinet, in ludo pueris dum grammata tradunt:
Grammaticen culpare velim, ſterilemq́; cathedram,
Sunt meriti quos culpa ſui, ſunt improba vita
Quos premit, & duro cruciatos verbere cædit.
Illi cum teneros ignauè & turpiter annos
Finierint, non immeritas pro crimine pœnas
Deſidiæ luxusq́; ferunt: nulloſq́; labores
In ſtudijs quicunq; tulit, nec fructibus ille
Dignus erit, meritoq́; ſuo miſer eſt & habetur,
Non ea Grammaticæ, quam neſcit, culpa vocanda
Sed neq; Grammatici præclaro nomine dignos (eſt.
Illos eſſe puto, vitæ qui tempus & annos,
Rebus inutilibus, nugisq́; & murmure vano
Traducunt, veterum dum clara poëmata vatum
Euoluunt, neruoſq́; rei vireſq́; latentes
Prætereunt: veluti Latios cum claſſe relicta
Æneas tetigiſſet agros, prior anne ſiniſtro
An dextro, vel vtroq; ſimul pede, littore curuo
Conſtiterit. Siculis vel cum diſcederet oris
Quot quantoſq́; cados illi donarit Aceſtes,
Aut prius inſtructis dederit quæ fercula menſis.
Sunt ea vana nimis, laudeſq́; & nomina vatum
Qui grauiora docent, atq; vtiliora iuuentam
Imminuunt doctis & ſunt indigna magiſtris.

Nec mihi Grammatici ſit nomine dignus haben-
Qui ſtudio, exemplisq́; ſuis vitaq́; decenti (dus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cum nequeat formare animos moreſq́; iuuentæ,
Ipſe rudis, iuſsiſq́; ſuis contrarius ipſe;
Mox ſine iudicio, leuia ob commiſsa, furorem
Induit, & tetros veluti ſæuiret in hoſtes
Ingenuos flagris pueros & verbere cogit
Dura pati, quibus ipſe tamen virtutibus impar,
Aut raro eſt melior. ſtudiorum in limine primo
Hinc puer imprudens, tantæ & dulcedinis expers
Deficit, egregiumq́; animo nihil amplius audet,
Aonideſq́; ipſæ flentes ægræq́; recedunt,
Dum turbam inualidam, tetrico implacabilis ore
Ille ferox terret, ſæuiſq́; immanior vrſis,
Imperio inuiſo gaudet, fœdoq́; labore.

Hoc tamen ingenuos pueros ego carmine laudo
Qui monitis animos vltro ſubmittere gaudent,
Non alios aſinis ſimiles, procedere nunquam
Quos videas, niſi verberibus protrudat agaſo
Ceſsantes, ſemperq́; flagris & fuſtibus inſtet.
Et ſine iudicio plagoſum culpo magiſtrum,
Non alium, pueris qui pœnas irroget æquas,
Et cupiat potius virtutem propter amari,
Quam metui, tantumq́; flagris ſua regna tueri.
Si quis in hoc numero fatis cruciatur acerbis,
Non artem incuſet, propriæ ſed crimina vitæ.
Grammaticam ſi quis diſcat iuuenilibus annis
Gnauiter, & placidè mediocres ferre labores

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Non fugiat (ſi non cupidè nimis alta ſequatur,
Sed media poßit contentus degere ſorte)
Quod ſatis eſt, ſimul & vitæ quas poſtulat vſus
Semper habebit opes, animo quibus ille quieto
Sedatoq́; bonis poterit præſentibus vti,
Fructum percipiens dulcem radicis amaræ. «
Creſcentes comitatur opes metus, & labor ingens, «
Maiorumq́; fames: poſcenti multa, neceſſe eſt «
Multa deeſſe etiam: felix cui numina parca «
Quod ſatis eſt tribuere manu, mentemq́; quietam. «
Magna tenet, quem parua iuuant. petit alter hono- «
Diuitias alij prædasq́; ſequuntur, & amplas (res, «
Inter opes inopes, placidi non munere ſomni «
Vtuntur, metuuntq́; manus & ſpicula furum,
Inuentisq́; timent opibus frugaliter vti.
Conſcendunt alij magnorum limina regum,
Quos rota fortunæ celeri vertigne raptos
Euehit, & ſummo ſublatos vertice ſiſtit.
Cumq́; putant manibus regum ſe corda tenere, «
Sortis & immemores, criſtas & cornua ſumunt: «
Inſtabilis rota fortunæ mox rurſus eosdem «
Deijcit, vt damno deriſi dedecus addant. «

Perpetuos ita dum metuunt ſublimia caſus,
Grammaticus paruis diues cum compare rebus,
Liber ab inuidia viuit, placidamq́; quietem
Lætus agit, tenuiq́; parum quia poßidet arca,

Non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Non timet inſidias: atq; ima ſede locatus
Murmura non venti tempeſtatesq́; moratur,
Sorteq́; contentus propria nihil amplius optat.
Illum admirantur pueri, quibus imperat, illum
Obſeruant, regnoq́; ſuo felicior ipſis
Regibus eſſe, pedum geſtans ſublime, videtur.
Sic breue temp us ea de re me dicere plura
Non ſinit, & pulcram per ſe rem tollere verbis
Non decet. ergo tibi ſi res eſt publica curæ
O puer, aut lacero plorans Eccleſia vultu
Te mouet: aut Sophiæ quidquam ſuſpiria poßunt:
Inuigila ſtudijs, & floreſcentibus annis,
Dum vacat, ingenijq́; valent cum corporis vires,
Vbere Grammatices & puro paſcere lacte.
Nec pudeat mentem paruis intendere rebus,
Quis ſine magna ſuo nequeunt conſtare vigore.
" Dimidium, bene qui cœpit, totius habere
" Dicitur: hic animis opus eſt, hic robore firmo,
" Vt bene cœpta bono claudantur ſingula fine.
Sed tu Chriſte potens, cuius ſine numine nemo
Viuere, nemo poteſt cœptos finire labores
Vtiliter; præſens noſtris in mentibus adſis,
Vt tibi grata, tuas tantum ſpectantia laudes
Diſcamus, factisq́; ipſis vitaq́; probemus,
Et tandem ſupera tecum lætemur in arce.
Nunc quoq; finitimas ſpectant vbi Balthica gentes

Littora,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Littora, dum vario graſſantur bella tumultu,
Armorumq́; ſonus doctarum plectra ſororum
Impedit, & Phœbum pæne obmuteſcere cogit:
Multa quoq; horrendas clades dum ſigna minantur,
Iam ſtrepitus cœli longe, iam murmur Olympo
Miſceri audimus: venti noua prælia tentant,
Atq; inſueta prius: iam ſerpunt vndiq; diræ
Morborum peſtes: de relligione tumultus
Impia gens, odijs & plena cupidine regni
Excitat, vnde graues perfert Eccleſia luctus:
Vndiq; bella ſonant, rauco & Mauortia cantu
Claſſica, militibus terras atq; æquora complent:
Arrige Chriſte tuas miſeris mortalibus aures,
Teutoniæq́; libens iam nunc miſerere ruentis,
Cui, niſi tu fueris, iam triſtia quæq; minantur
Omnia, & exitium miſerabile iam portendunt.
 Ergo iuua, pie Chriſte iuua, miſerere tuorum,
Semper & inuicto turbatas robore mentes
Erige, lucifugi vafro ne dæmonis aſtu
Succumbant. heu quot nobis, quot retia tendit,
Quot laqueos Sathanas! quos nemo euadere, nemo
Euitare poteſt, medio in certamine feſſis
Tu niſi ſuccurras, atq; irrita robora vincas.
Tu fac vt mentes coeant, tu pace ligatos
Conciliaregumq́; animos, Martiſq; furorem
Comprime, quo feſſis ſint otia libera Muſis.

Sic

Sic tibi dulciſonis dicemus carmina linguis.
Sit tibi laus, tibi ſummus honos, tibi gloria. DIXI

Recitatum in Academia
Roſtochienſi Anno 1564.
Idib. Decembris.

EPIGRAMMATVM NATHANIS CHYTRÆI, LIBER PRIMVS.

DE NOMINE FRIDERICI II. *Regis Daniæ, feliciß. & potentiß.*

SVnt tria, rex Friderice, tuum quæ nobile nomen (tis
Imperio ſpondet temporibusq́; tuis:
Pax, honor, & pleno locuples opulentia cornu,
Eſt quibus in toto carius orbe nihil.
Macte animo rex arctoi clarißime mundi,
Hæc tria fac populis ſint diuturna tuis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Aurea perpetuam præſtet concordia pacem
Regno, animo, genti conſilijsq́; tuis.
Hinc virtutis honos, & honeſtas publica regnet,
Sit pudor, & probitas, ſit pietatis amor.
Quin tua cunctarum prouentu diuite rerum
Fiat & æternis gens opulenta bonis.
Sic verè optati de nominis omine, diues
Pacis, honoris, opum, rex Fridericus eris.

DE FRIDERICI II. REGIS; ET SOPHIÆ REGINÆ Daniæ, ſplendidiſs. in Megapolin aduentu.

Dum Varni Roſeas cum coniuge nauigat undas
Magnanimis maior Rex Fridericus auis;
Varnus ouans, tanti dudum præſagus honoris,
Corniger è fluuio conſpiciendus, ait:
Quis nouus atq; adeo excellens me illuminat hoſpes?
Quænam nympha meas aurea ſulcat aquas?
Fallor an arctoi rex florentiſsimus orbis
Compare cum Sophia rex Fridericus adeſt!
Rex Fridericus adeſt, Sophia comitāte, nec unquam
Intrauit noſtras clarior hoſpes aquas.
Non mihi iam Rhenus, plures licet alluat vrbes,
Non mihi ſe turgens conſerat Eridanus.

Sed

Sed neq; dum pompa tali mea flumina fulgent,
Nî iactes reges Tibri vel Arne tuos.
Hic meus, eſt noſtro regum rex optimus æuo,
Et vehitur noſtris altera Pallas aquis.

In honorem eorundem.

VIs ipſum ſpectare Iouem? vis noſſe Mineruam?
En tibi cum Sophia rex Fridericus adeſt.
Rex æquans bonitate Iouem; Regina Mineruam
Fœcundæ exſuperans laude pudicitiæ.
Felices oculos! felix Megalepolis! una
Cui lux dat geminos poſſe videre Deos.

DE VLRICO DVCE MEGAPOLITANO in horto Patauino herbarum inſpectione ſe oblectante.

EVganeo nuper cum Dux Vlricus in horto
Plantarum inſpiceret germina Phœbus ait:
Cur tu quæſo ſacris Princeps cariſſime Muſis
Hac regione mihi conſpiciendus ades?
Tune ille Vlricus, proauis qui regibus ortus,
Mænalia procul hinc me regione colis?
Dignaq; doctiloquis largiris præmia Muſis,
Et claris Muſas qui coluere viris?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Salue gentis honos patriæ, Dux inclyte ſalue.
Tu quoq; tu noſtro munere clarus eris.
Cumq́; adeo celebri plantas ſcruteris in horto,
Et placeant oculis munera noſtra tuis:
Fallor an heroës heros imitatus auitos,
Hac quoq; laude illis te cupis eſſe parem?
Huic olim præſtans animi inuigilabat Achilles,
Deditus huic Hieron Lyſimachusq́; fuit.
Poſteritas hinc grata illos poſt funera laudat,
Nomen & illorum germina certa ferunt.
Fortunate heros, tu nunc eris alter ab illis,
Quos genere æquiparas, exſuperasq́; fide.
Perge modo, doctasq́; libens defende ſorores,
Varnus ubi roſeas en tibi fundit aquas.
Nomine ſic meritoq; tuo ſine fine manente,
Floridius quouis germine germen eris.

Patauij VI. Kal. Aug.
Anno 1566.

DE BVCEPHALO IN CLYpeo Domus Megapolitanæ.

Bucephali caput in clypeo cur inclyte monſtras?
Cum boue præſtanti quid bonitate duci?
Scilicet hæc eadem Cimbrorum gloria Brennus
Regna per Italiæ proſpera ſigna tulit.
Quin eadem Neſtor perituræ ad pergama Troiæ
Signa habuit præſtans mente manuq́; ſenex.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Horum vtriq; animis, & dulcis flumine lingua
Cum par ſis, Herulis gloria prima tuis:
Cur eadem non ſigna tibi Dux optime dentur?
Quæ patriæ indicium nobilitatis habes.
Macte animo princeps, fortem tua dextera Brennum
Neſtoreos ſuperet viuida vita dies.

VDalrico Duci Megap. librum herbarium mittit Patauio.

QVÆ *decerpta tibi Patauino mittimus horto*
Germina, dux facili fronte manuq; cape.
Plantarum hic poteris viuas cognoſcere formas,
Hic poteris oculos paſcere vt ante tuos.
Illa quidem viguere prius, quando ipſe videres
Omnia, nunc arent, tam vigor ille breuis.
At tu ſi ſtudia hæc Muſarum dona foueбis,
Vt facis, & noſti munus id eſſe tuum;
Ambroſiæ in morem fœlix ſine fine vigebis,
Nec poterunt laudes tollere fata tuas.

Ad Petrum Victorium de capta Luſcinia.

L*Vſciniam cepiſſe Lacon captamq; necaſſe*
Fertur, vt hac auidam pelleret ore famem.
At poſtquam plumis exutam denuo vidit,
Vox tantum es, dixit, prætereaq; nihil.

Spartanos hæc facta decent. at tu optime Petre
  Ductor Athenæi Pierijq́; chori,
Cum Philomela tuam nuper penetraßet arachnen.
  Qua tua Romanæ proxima villa viæ eſt:
Tu caput innocuæ demulcens, libera dixti
  Rurſum eſto, ob dulces quos canis vna modos.
Nec mora diductis manibus læta euolat illa,
  Patroniq; ſui facta fidemq́; canit.
Attendunt philomelæ omnes, totumq́; per orbem
  Diſperſæ laudes Petre beate tuas
Diuulgant, quas nec memori quiſquam eximet æuo,
  Donec luſciniæ, carmina donec erunt.
At tu quisquis auem tam blandam lædere tentas,
  Bubonum in tenebris flebile carmen habe.

Florentiæ Idib. Aug.
Anno 66.

Ad Gallum ex Auſonio.

"Dicebam tibi Galle, ſeneſcimus, effugit ætas.
" Vtere flore tui, ſi ſapis, ingenij.
"Spreuiſti: obrepſit non intellecta ſenectus,
" Nec reuocare potes qui periere dies.
"Nunc piget, & quereris, quod non aut iſta vo-
luntas
" Tunc fuit; aut non eſt nunc vigor ille tibi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Quintilium Varum.

QVintilium noſtin Varum? quem maximus ille
Arminius patriæ vindex oppreſsit, an illum
Noſti, inquam, qualis fuerit? Germania nouit
Illa vetus, quæ regnantem & noua iuſsa ferentem,
Et deglubentem indomito quæq; obuia faſtu,
Spernentemq́; hoſtis tacitas ſint pectore vires,
Non tulit, vt mollesq́; Syri, & Phœnicia pubes,
Imperijs aſsueti homines, ad iuſsa parati,
„ Imbellesq́; illum tulerant, ibi regna tenentem.
„ Nam Syriam pauper locupletem ingreſsus, eandem
Expilando inopem, diues, nudamq́; reliquit.
Non tulit hoc inquam Germani martius ardor,
Contemni impatiens, & vinci neſcius olim.
At dux ſi tanti feciſset prouidus hoſtem;
In Syria quanti congeſtum fecerat aurum:
Non iſti ſtragem tumuli loquerentur auitam:
Luppia non clades veteres Amaſisq́; referrent.

Ariſtides.

PAuper Ariſtides ad cenſum egreſsus agendum
Quàm fuit egreſsus pauperior redijt.
Cur igitur ſubito en factus de paupere diues
Eſt Varus Syrij præſes auarus agri?
Pauper Ariſtides patriæ fuit vtilis vni,
At ſibi, non alijs, vtilis iſte fuit.

In

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Harpalum.

Qui deglubebat miſeros, violabat inermes,
Quæſtor erat miſeris Harpalus agricolis,
Inuiſus pueris, ſenibus, ſimul atq; puellis,
Namq; operum exactor vix tolerandus erat.
Subditus huic Damon vicino ſæpe Menalcæ,
Dicebat querulis talia verba modis,
Finiat ô vtinam noſtros mors certa labores,
Vnica nam nobis illa parata quies.
Quin neq; poſt mortis, reſpondit, fata, Menalcas,
Æterni requies certa laboris erit:
Nam grauius ſtygio crucietur vt Harpalus igni,
Ligna ferenda mihi, ligna ferenda tibi.

In Baſsarum.

Vt lapidem iactore canis ſectatur omiſſo,
Ignibus vt ferulam dat puer innocuam:
Baſſarus immodico ſic cum ſe proluit hauſtu,
Quæ placuere prius frangere vitra ſolet.
Vitra nihil meruere: tibi tu rectius ipſi
Frange manus, bibulam vel tibi frange gulam.

Domus ampla & ſplendida

Magna domus, magnos ſumptus, magnoſq; labores "
Ædificanda ſimul, ſimul & reparanda requirit. "
Si pereat; damnum eſt maius: ſi ſplendida duret,
Excitat inuidiam ſtimulis, oculoſq; malignos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vrit, & exitium domino fert ſæpe potenti.
Præ reliquis locuples mihi villa Aurelia teſtis.
,, Qui ſapis ergo tibi, laudato ingentia tecta,
,, Exigua incolito: poteris ſub limine paruo,
,, Et gaudens paruisq; ſodalibus, & lare certo,
,, Libertate frui, & regum præcurrere reges.

Ad Stertinium obæratum.

HIC iaceo ſomni cupidus, pernicibus alis
Aſt oculos refugit perfidus ille meos.
Puluinos mihi quæſo tuos, mihi ſtragula mitte,
In medios ſtertis ſub quibus ipſe dies.
Namq; vbi tu tanti dormis bene debitor æris,
Me dormire etiam non male poſſe puto.

In Villium.

VIllius it toties curto quadrante lauatum,
Et iactat generis nobile ſtemma ſui.
Iactat & acceptam generoſo à Cæſare laurum,
Mirificeq; ſibi ſe celebrando placet.
Interea famulusq; cibis, eget ære crumena,
Non etiam murem quo bene paſcat habet.
,, Quid tibi nobilitas prodeſt iam ſtirpis auitæ?
,, Hic honor eſt, aurum ſi tibi deſit, onus.
,, Nil mihi cum lauro fuluum ſi deficit aurum,
,, Nil mihi cum fama, ſi toleranda fames.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Pſeudolum.

TE ſapere, & cunctis morbis cùm laude mederi
Poſſe putas, quin & Pſeudole dicis idem.
Credo equidem, resq; ipſa docet, te pellere vitam,
Sic ſimul & morbus vitaq; pulſa fugit.
Egregium vero medicum! tua pharmaca præſtant
Mortuus vt nullis poſt egeat medicis.

In Margam.

NVtricem ſeſe iactat templi atq; Lycæi,
Se celebrando ſibi garrula Marga placet.
Non equidem nego, nutricis nec nomina Margæ
Detraho, ſub certa conditione tamen.
Namq; etiam eſt nutrix quæ manſum deuorat ipſa,
Et pueri ſputo labra tenella linit.

In Filium Viti & Vitæ.

VIta tibi mater, pater eſt tibi Vitus, idipſum
Perpetuò iactas, perpetuo repetis.
Vitalemq; iſto ſolum te nomine clamas,
Omina nominibus nam quis ineſſe negct?
Non nego. ſed vitulam potuit quoq; Vita creare,
Et patre de Vito naſci etiam vitulus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Pſeudolum.

„ SInceri candoris amans, & candidus ipſe,
„ Vt bonus eſt, alios ſic putat eſſe bonos.
„ At niger, & tenebris plenus, fraudisq́; doloſæ,
„ Vt malus eſt, omnes ſic putat eſſe malos.
Non tibi, non alijs igitur cum Pſeudole credas.
Eſſe bonus quæſo qua ratione potes?

In Philaſophos.

TRanſibat vicum vendentem thus & odores
Ruſticus, hic ſubito concidit exanimis.
Mirantur iuuenes quibus vrbis aromata curæ,
Vnguentisq́; viri pallida labra linunt.
Nequidquam. riget ille tamen: quem ruſticus alter
Aſpiciens, morbi gnarus & ingenij,
Succerdam arripuit vico quæ forte iacebat,
Arreptamq́; eius naribus applicuit.
Hinc ſubito vires animi vitamq́; recepit,
Tantum apud impuros ſtercora fœda valent.
Credis ab hoc iuuenes multum differre viroſq́;
Præ libris veterum quîs noua quæq́; placent?

Boni colendi vt proſint, mali ne noceant.

Qui quæcunq; petens laqueata palatia ſcandit,
Cogitur ille bonis blandus & eſſe malis.
His equidem, ne quid noceant, quia noxia turba eſt:
Illis vt ſolita pro bonitate iuuent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Romula ſic olim non tantum turba Salutem
Cum Scabie ſæuam ſed coluere Febrim.

In Polyprattum.

CVm te vel minimum nequeas audire monen-
Proq; aris ineas prælia proq; focis, (tem,
In dubium ſi forte aliquis non fictus amicus,
A te facta, tuo motus honore, vocet:
Cum non eſſe velis ſed tantum ſanctus haberi:
Et ſatis eſſe loqui de pietate putes:
Cum tantum tua cuncta probes, tuaq; omnia laudes:
Contemnasq; alios, cœcus amore tui:
Propria cum plenis recites encomia buccis:
Pedoremq; tuum punica mala putes:
Cum faciles pandas aßentatoribus aures:
Et mala virtutum nomine facta tegas:
Qua quæſo ratione aliquis tua facta probarit?
Quomodo non mendax laudibus illa vehet?
Si Chriſto placet ille, ſibi qui diſplicet ipſi, "
Siq; odit mitis corda ſuperba Deus: "
Qua ratione etiam Chriſto ventoſe placebis,
Vſq; adeo placeas cum Polypratte tibi?

In Ennium & ipſius Simiam.

NIL niſi virtutem patulo crepat Ennius ore,
Nil niſi virtutem ſimius iſte crepat.
Quin culices audit tußire, & creſcere gramen,
Vſq; ſagax adeo ſenſus ineſt animo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Interea inuigilare mero, contemnere ſacra,
Cumq́; Deo leges eſſe putare nihil,
Scortari, nugari, alios ſuſpendere naſo,
Et crepitus proprios eſſe putare roſas,
Hæc ſequitur virtus præcepta, hæc gloria certa eſt,
Hinc adeo dociles aſpice diſcipulos.
Cum fatuo grege nil toto te vanius orbe eſt,
Dum facienda mones, & fugienda facis.

In Galbam.

MOuiſti quoties turbas, hoc ebrius egi
Dicis, & vt veniam dem tibi Galba rogas.
Nocte ſuburanas adiſti, hoc ebrius egi
Dicis, & vt veniam dem tibi Galba rogas.
Officium eſt quoties neglectum, hoc ebrius egi
Dicis, & excuſas crimina criminibus.
Quin pudeat dignum baculo caput, improbe Galba,
Criminibusne tegi crimina poſſe putas?
Ebrius es gemina dignus me iudice pœna,
Sobrius hanc nullo te redimente lues.

In Barrum.

IN templo, menſa, & ludo, vis primus haberi,
Deq́; loco rixas ſæpe priore moues.
Fallor an in cœlo, quo vix perueneris unquam,
Barre voles ipſo celſior eſſe Ioue.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Iuuenes manicatos.

CVr bouis à cubitis iuuenum palearia pendent?
Cur referunt manicæ guttur Onocrotali?
Quisq; ſinu fatuum circumfert: optimus ille eſt
Qui ne promineat diſsimulare poteſt.
Hinc videas ſtolidam manicas extendere turbam,
Commodior fatuis vt locus eſſe queat.

In Gaſtricium.

ILlud μηδὲν ἄγαν, ſi quem bene noſse fatemur,
Hunc ego Gaſtricium protinus eſſe puto.
Nam curtum curtis obolis mutare trientem,
Æditno in templis circumeunte ſolet:
Ne nimio fortaſſe ſtipem grauet ære rogantes,
En vrbs munificum Gaſtriciana tuum.

De Trapula ſuſpenſo.

TRapula qui toties mendacia dixit, & auſus
Eſt toties furtis contemerare manum,
Quid faciat quæris? lauat illum Iupiter imbre,
Expoſitum radijs vngit Apollo ſuis.

In Fabianum.

STultorum dicis regem, Fabiane, miniſtrum
Eſſe tuum, quod ſit tardior ingenio:
O te infelicem, ſiquidem modo vera profaris!
O iterum ſerui maxima regna tui!

Stultorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Stultorum rex, immenſo dominatur in orbe,
Et metues famuli tu quoq; ſceptra tui.

De Pæto.

PÆtus adulterij vxorem conuincere certus,
Signa viri cultro ſuſtulit ipſe ſibi,
Vt ſi iterum pareret, certò, ſine iudice, ſcire
Poſſet, eam certi criminis eſſe ream.

De Phrenetico & Medico.

Ægroti capitis iuueni cliſtera ferebat
Callidus herbarum cognitione ſenex.
Æger ad hunc, num ſtulte tuum delirat acumen,
Qui medicum minimè conuenienter agis?
Quando caput cerebrumq; mihi curare volebas,
Cur parti aduerſæ pharmaca quæſo paras?
Nec mora præripiens medico cliſtera trementi,
Illinit hunc capiti temporibusq; ſuis.
Hîc dolet, huic inquit parti medicina paranda eſt,
Quid mihi cum nugis ô medicelle tuis.

In Moſcum pſeudochriſtianum.

Aſſidue cur bella gerat, cur fulminet armis
Moſcus, & vlterius caſtra pedemq; locet
Miramur cauſas? hæc eſt. non incitat vllus
Religionis eum, ſed regionis amor.

In Ciſtophorum.

NOmine Chriſtophori gaudes, Chriſtumq; ſubinde
Ingeminas rebus ſpemq; ducemq; tuis.
Sed

Sed tamen in loculis animus ciſtaq́; moratur,
 Aßidue hanc tecum ſis vbicunq; trahis.
Sic ego cum Chriſtum iactas, intelligo ciſtam,
 Et modo Chriſtophorus ſit mihi Ciſtophorus.

In Lurconem ſcabioſum.

CVR toties tumido tibi puſtula putris in ore
 Naſcatur, mirans, ſcire ſubinde cupis.
Vis dicam? ore voras nimium, nimiumq́; bibendo,
 Exitium cerebro ventriculoq́; paras.
Ergo nec immerito ſcabioſo plecteris ore,
 Membraq́; ſupplicium, quæ meruere, ferunt.

In Lesbiam & Cordiam.

CVR adeo tua diſpliceat mihi Lesbia quæris?
 Plus placet illa ſibi, non placet ergo mihi.
Idem cur adeo placeat mihi Cordia quæris?
 Non placet illa ſibi, plus placet ergo mihi.

In Luciferum.

LVcifer egregie ſi ſe putat omnia ſcire,
 Cur neſcit fatuum ſe miſer eſſe rudem?
“Hoc vnum ignorans, non ſe ſcire omnia dicat,
“ Ille ſapit qui ſe ſcit bene ſcire nihil.

Anima Fœtida.

AD cœnam me ſæpe vocas, ad prandia ſæpe,
 Et me ſæpe tuum limen adire iubes:
Non venio. quæ cauſa rogas? non prandia vito,
 Non ædes, animæ ſtercora vito tuæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Doxoſophum.

DOxoſophus nuper quidam me ſorte rogauit
Barba priorne viro poſteriorúe foret?
Huic ego: barba viro prior extitit horrida dixi,
Nam poſt barbigeras conditus ille capras.

Vinum. Aqua.

Quid mihi uim uini quid Bacchi robora laudas
Roboris & lymphas dicis habere nihil?
Circumagens celeresq́; rotas, lapidemq́; molarem,
Eſt equidem forti fortior vnda mero.

In Lentulum.

LEntule te mecum iactas vixiſſe tot annos,
Intentum ſtudijs, ſed didiciſſe nihil.
An fueris ſtudijs intentus neſcio: dicent
Hoc alijs mores ingeniumq́; tuum.
Me vero immeritum poſthac vt lædere ceſſes,
Hoc ſimile à nobis conuenienter habe.
Vt non omnis ager profert cum fœnore fructum,
Hunc licet agricolæ ſedula dextra colat:
Haud ſecus ingenium fidi non omne magiſtri
Reddere frugiferum cura laborq́; poteſt.

In Euclionem maledicum.

VT tibi ſunt putridi ſcabra rubigine dentes,
Sic video dentes carminis eſſe tui.

Ipſe quidem mordere cupis, ſed robora deſunt.
En faciunt dentes vulnera nulla tui.
Ergo quid allatras alios? te mente canina
Et rabie oſtendas vt tamen eſſe canem.

De Turture & Paſſer- culo.

TVrturis induerat plumas paßerculus, hic ſe
Compare priuatum turturibus queritur.
Lugubresq́; ſonos ſterili decantat in vlmo,
Vt fore ſe viduum tempus in omne probet.
Vix abiere dies aliquot, natura recurrit,
Laſciuoq́; ſalax turtur amore calet.
Mentitus turtur, plumis non corde pudicus,
Fabula turturibus paßeribusq́; fuit.

In Polytropum.

SIlueſtres aſinos cœlo ridente ſereno
Triſtari & queſtus edere rumor ait.
Laſciuire autem ſaltu, & gaudere vicißim,
Per nebulas pluuijs ſi cadat imber aquis.
Tu quoq; lætitiam cum publica gaudia poſcunt,
Triſtis & in tetrica veſte ſeuerus ades.
Lætior es contra nitidaq́; in veſte ſuperbus,
Flebile cum cunctis tempus adeſſe vides.
Si tibi cum ſtolido mens eſt communis onagro,
Quis nam ſilueſtrem te neget eſſe aſinum?

In Rubrium.

TV fidum eſſe negas Rubrium; fidiſsimus ille
Sed tamen arbitrio creditur eſſe meo:
Nam barba rutilisq́; comis cauet ipſe videnti,
Et ſibi, ne pereas, derogat ipſe fidem.

In Chremylum.

RVGOſam faſtidit anum rugoſior ipſe
Chremylus, & queritur fata ſiniſtra tori.
Virgineasq́; comas laudat, ridetq́; puellis,
Neſcius opprobrio talibus eſſe ſenem.
Chremyle, ſi ſapis, ô vetulam non ſperne vietam,
Fex illi placeat, qui bona vina bibit.

Phäeton.

HEI quanto infœlix Phaëton felicior eſſem,
Si non tacta mihi lora paterna forent.
„ Qui petit alta cadit, propria tu in pelle quieſce,
„ Contentus modico qui tenet ima manet.

Turca.

QVotidie cur Turca Iſtri vicinior oris
Aduolat? & nemo qui remoretur adeſt?
„ Pro patria patinas curat, pro limite limen,
„ Pro re communi quisq; ſtudet propriæ.
„ Sic ſenſim patriæ & patinæ, & cum limite limen,
„ Et cum priuatis publica cuncta ruent.

DE

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

De Tiraquello.

Probra Tiraquello ingeminant, doctoq́; bonoq́;,
Namq; quod omnigena cognitione fuit,
Spiritibus tribuunt diuisq́; penatibus illud,
Quorum opera hunc vſum ſubſidioq́; volunt.
Aſt aures præbere mihi ſi vera loquenti
Non graue ſit, qui ſint hi tibi dico lares.
Sobrietas, labor aßiduus, parcißima cura "
Temporis, hæc doctum numina trina creant. "

Bonus Liber.

Vt breuis eſt melior ſublimi gemma coloßo,
Non grauitate quidem ſed bonitate placens:
Egregios ſic arte libros non mole probamus,
Et ſuperat grandem ſæpe epigramma librum.

De nomine Maxæmiliani II. Imp. Auguſti.

Qvis gentem Fabiam, Quintus quam Maximus ille
Cunctando fecit maximam:
Quis gentem Æmyliam, Æmylij quis nomina Pauli
Neſcit, viri integerrimi?
Scilicet Auſonias inter, dum Roma vigeret,
Locum hæ tenuere principem.
Quid diuine tuo dicam de nomine Cæſar?
Quod gentem vtramq; denotat:

Maximus Æmylius Maxæmyliane vocaris,
Fabium quod illum Maximum,
Et ſimul Æmylium virtute animoq́; fideq́;
Veriſq́; vincas laudibus.
Sis felix diuine heros, regeſq́; nepotes
Diu ſuperſtes aſpice.
Quodq́; facis, cumula meritis ingentibus orbem.
Ter optimus, ter maximus.

Ex græco Simonidis epitaphium Archedices.

HIppias illa, ſuo, Græcorum principis, æuo
Archedice his tegitur, filia, pulueribus.
Quæ ſoror, & mater, coniunx & filia regum,
Non tamen elata mente proterua fuit.

In eos qui cœmiteria à porcis vaſtari patiuntur.

CVR ſacra defunctis fœdos hæc area porcos,
Paſcit, & hoc animo cur patiente ferunt?
Credo equidem ſine fine auidas gens ruſtica porcas
Cum voret, illarum porcus hic vltor adeſt.
Porcus edax, qui tot botulos, farcimina, pernas
Vindicat, vt pœnam mortua membra luant.
Si ſapis abſtineas petaſone & carne ſuilla,
Ne roſtro hic moriens effodiare ſuis.

Hermanno

Hermanno Viccio.

VIccius Aonidum cultor, Phœbiq; ſatelles,
Et Muſis fuerat Phœbo & cariſſimus ipſi.
Inuidet hunc illi Venus, & compellat amorem:
I puer, hunc iuuenem tacitis mihi fige ſagittis,
Vt Phœbi oblitus poſthac mea iuſſa ſequatur.
It, redit, & fixum narrat. Venus aurea ridet,
Defeciſſe putans iuuenem: ſed tu acriter inſta,
Et Muſas coniunge nouo ſtudioſus amori,
Victricem vt vincas Venerem, vlciſcaris Amores,
Et tua vel ſero nunquam laus concidat æuo.

In reditum H. Brucæi.

GAudete ô Veneres, nudi gaudete Lepôres,
Gaudete ô Roſeæ pulpita docta ſcholæ.
En iterum Brucæus adeſt, quem Belgia tellus
Hactenus & longæ detinuere moræ.
Hei nimium longæ. interea Muſæq; canoræ,
Et ludi, & ſuaues conticuere ioci.
Interea Herodotus, Xenophon apis attica, ceſſat,
Flaccus, Thucydides, Hippocratesq; ſilent.
Nunc illis ſua vita redit, pulſisq; tenebris
Splendidius ſoles te redeunte nitent.
Salue care meis imo cariſſime Muſis,
Brucæe Aonij gloria magna chori.
Te ſaluo mihi cara ſalus: longo ergo ſuperſtes
Tempore, Chironis ſecula vince ſenis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Neue iterum Flandros olim Batauosq́; reuiſas,
Nectat amor collo vincula grata tuo.

In imaginem Io. Engelſtedij.

IMpleram decimum quater Engelſtedius annum,
Corpore cum tali conſpiciendus eram.
Patria quando meæ ſecreta negocia curæ
Crederet, arctoæ prima corona plagæ.
Chriſte meos quidquid poſthac accedet ad annos,
Fac patriæ & laudi ſeruiat omne tuæ.

In hiſtoriam I. Sleidani.

NOn paucis Sleidane libris dum prælia regum
Geſtaq́; pro vera relligione doces:
Nobile nomen habet virtus pietatis alumna,
Atq; hanc ex animo qui coluere duces.
Vritur impietas, vultum ſuffuſa rubore,
Tot cupiens fraudes tot latuiſſe dolos.
" *Nequidquam. neq; enim rerum pulcherrima virtus*
" *Nec ſcelera æternùm tecta latere queunt:*
Fama volat, totumq́; implet clamoribus orbem,
Durat & in ſeros viua recensq́; dies.
Cui vitam vt tribuis; vitam ſic nactus ab illa,
Hoc opere æternum tu quoq; nomen habes.

De Hieronyma Columnia fæmina lectiſsima.

VNica mens alijs & vates contigit vnus,
Vix potuit vates vnus habere duos.

At tibi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

At tibi diuerſæ cum dia Columnia mentes,
Contigeritq́; ori vox variata tuo:
Quid mirum eſt vni totidem contingere vates?
Ipſa etiam celebres quos celebrata facis.

De eadem.

ORis honore Venus, thalamis & ſtemmate Iuno,
Arte præit reliquas caſta Minerua Deas.
Sed tu fatidicis ſacrata Columnia Muſis,
Singula ſint illis cum data, cuncta tibi:
Cur non vna trium titulo ſis clara Dearum?
Stirpe, animo, facie: Iuno, Minerua Venus.

In Barbatulum.

MAgna petis, cœloq́; tuus ſe ſpiritus æquat,
Vt capiat faſtus vix ſchola tota tuos.
Magna etiam loqueris, magnos tibi ſumis honores,
Quos tibi non homines nec Deus ipſe dedit:
Quem Deus extollit, bene tollitur: at ſimul ipſum ‹‹
Te tolles, manibus ſtulte premere Dei. ‹‹

De Poematis Henrici Huſani, I. C.

VIderat Huſani nuper cum carmina Clio,
Æmula carminibus Vida diſerte tuis:
Mirata ingenium, fœcundæ & flumina venæ
Conticuit primum, mox ſtupefacta refert.
Vſq; adeo hic callens Romani ænigmata Iuris,
Qui potuit ſacris inuigilare libris?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Aut cui Teutonicæ tanta eſt facundia linguæ,
  Excoluit Latias quomodo quæſo Deas?
Huic Phœbus: mirari equidem iam deſine Clio,
  Vix alia fieri quod ratione poteſt.
Nam cuius voluit fidei committere princeps
  Heruleus ſceptri iura decusq́; ſui:
Non modo conſilio, verum & pietate decebat
  Ingeniiq́; alios vincere flore ſui.

In Alexandrum Magnum.

„ Magnus Alexander paruum ſi credidit orbem,
„   Quem ſibi pugnacis ſubdidit enſe manus:
„ An non pro magno minimum ſe iure vocaſſet?
„   Orbe etenim paruo quomodo magnus erat?

In Labronem.

Ne minus aut nimium te laudem Labro rogaſti,
  Laudari nimium quod graue, turpe minus.
Hoc ego ſed medium cum me vix poſſe putarem
  Tangere, nec laudo te, neq; culpo. vale.

Stella Aurea.

Quamprimum emicuit roſeo ſtella aurea Varno
  Orta procul Gothicis aurea ſtella iugis:
Extemplo inſolita micuit Venus aurea luce,
  Cæteraq́; inſolitum ſigna dedere iubar.
Scilicet hac ſtella cœli quoq; ſidera gaudent,
  Ridet ab ætherio Iupiter ipſe polo.

Aëra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Aëra nam veluti rutilante hic lumine complet;
Sic eadem meritis regna propinqua ſuis.

Ioanni Cratoni conſiliario & archiatro Cæſareo.

CVM ſacer Auguſtus Romani ſceptra teneret
Imperij, medica maximus arte fuit
Illuſtris Craterus: nunc maximus Æmylianus
Sceptra eadem ſimili dum bonitate gerit,
Eſt Crato, conſilijs magnam qui Cæſaris aulam
Adiuuat, & morbos eminus eſſe iubet.
Sis felix Crato, quin Cratero felicior ipſo,
Et multum Auguſto temporis adde tuo.
Viuat vt incolumis, ſeroſq; in regna nepotes
Collocet, & Turcæ ſceptra ſubacta premat.
Si pulchrum eſt, tot regna vni ſe credere regi,
Cui regis vita eſt credita, quantus erit?

In Lunas Iacobi Monauij.

OMnia dum tenebras dum noctem cuncta minantur,
Barbarieſq; nouis viribus aucta redit:
Tu mihi præcipuos inter memorande Monaui,
Sedulus hanc contra fortia bella moues.
Et Sophiam ſanctamq; Themin defendis & ornas,
Depromens doctos qui latuere libros.

Ergo è nocturnis argentea Luna tenebris
Vt pæne obſcurans aſtra minora nitet:
Sic virtus nomenq́; tuum quandoq; nitebunt,
Denotat id clypei candida luna tui.

In Nacam.

CVR toties iam ſcripta iterat, chartamq́; ni-
tentem,
Inquinat, vſq; adeo cur ſibi Naca placet?
» Scribendi cacoëthes habet, quare vndiq; plures
» Stultitiæ teſtes expetit eſſe ſuæ.

In eundem.

SOrdet Ariſtoteles, ſordet tibi magnus Homerus,
Sordet item magno cum Cicerone Maro.
At ſapiunt mireq́; probas quos tempore noſtro
Euomit inſulſos gens aſinina libros.
» Non mirum eſt: homini roſa quod pulcherrima præ-
» Præſtat idem cœnum ſpurciciesq́; ſui. (ſtat,

Ad Bartholomæum Clingium Academiæ Roſtochienſis tum Rectorem.

ACciperet quando ſceptrum regale Darius,
Indicio ante alios mane frementis equi:
Mox fragor & tonitru cœlo ſine nube ſereno
Inclyta lætitiæ ſigna dedere ſuæ.
Nunc quoq; ſceptra Scholæ tibi laudatiſsime Clinge
Cum daret vnita Muſicus ordo manu:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Infremuit ſudum tonitruq́; & fulgure cœlum,
Vnde tibi rectè tradita ſceptra patet.
O dilecte Deo, cuius fauet æther honori!
O mihi ſinceri fratris amande loco.
Sis felix, & viue diu, rectoris olympi
Munere, clementi qui tua ſceptra manu
Dirigat, vt Varni Schola te rectore iuuentæ
Floreat, & fauſtos ſentiat ire dies.
Te rectore malos vt debita pœna ſequatur,
Te rectore boni præmia certa ferant.

De Laurea & nobilitate Georgij Fabricij.

FAbricio lauri meritiſsima germina Cæſar
Cum generis dederat nobilitate ſui:
Hoc Deus vt vidit, maiori hic dignus honore eſt,
Quam quibus in mundo condecorantur, ait.
Nec mora cœleſtes illum conſcendere ſedes
Iuſsit, & angelicis plectra ciere modis.
Conſpicuamq́; inter vates geſtare coronam,
Et vera æternùm nobilitate frui.

In Furium.

DIC mihi cur plenis toties conuicia buccis
Euomit, & totis cur maledicta libris
Ingeminat Furius? cur multi imitantur eundem,
Quis niſi rixoſum nil placuiſſe poteſt?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

„ Nil Furio eſt, male ni ſcribat, quod ſcribere poſſit,
„ Nec tibi quod dicat, ni maledicat, habet.

In Fannium Bibulum.

DVM vitam incolumem potando precatur amicis,
Dum patris & ſponſæ nomina ſæpe bibit;
Fannius inſano ſimilis, pallensq́; tremensq́;
Concidit, ut vitæ ſpes quoq; nulla foret.
Ridiculus! qui multa bibens nec profuit illis,
Et ſibi pæne fuit cauſa pudenda necis.

In Nomenclatorem Hadriani Iunij ad Georgium Hanium.

Paruulus hic liber eſt chartæ ſi pondera ſpectes,
Si res; immenſo maius in orbe nihil.
Vix etenim quidquam formoſi machina mundi
Continet amplexu vaſta patensq́; ſuo.
Quod non legitime quærentibus indicet ille,
Hunc tibi do ſtudij motus amore tui.
Quid mihi reddendum quæris? diſce iſta libenter,
Hoc ego vel ſummi muneris inſtar amo.

In Auaros.

„ SEmper eget locuples congeſto pauper in auro,
„ Vtilis & nulli ni moriatur erit.
„ Hinc tenuis tenuem paſcit: qui diues egenum
Subleuet, hoc duro tempore nemo fere eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Recte igitur dictum: quando mendicus egeno
Munera dat, cœli ridet in arce Deus.

In Hannam Moroſopham.

Hanna ſapis nimium, nimium ſapis Hanna, mariti
Eſt ſapere, huic mulier diſcat habere fidem.

Tityrus.

TItyrus exhauſtum tum demum claudit ouile,
Cum lupus amiſsas dilaniauit oues.
Infelix ouium cuſtos! meliusne fuiſset
Principio incolumi claudere ſepta grege?

In Grammatellum.

GRammaticus vis eſſe bonus, vis eſſe diſertus,
Dictaq; mordaci dente ſolœca notas.
Dente notas alios, ipſum te negligis, vrbem
Pro muris cinctam muribus eſſe canens.
Infortunatam quam tu munieris vrbem!
Mures ſi muris æquiparare voles.

Lagenæ ſubmerſæ.

SÆpe mero turgens, ſpumanti & plena falerno
Hic in Cocretico fonte lagena cubo,
Quæq; miniſtra prius Cereris Bacchiq; vocabar,
Nympharum madida nunc gemo tunſa manu:
Scilicet vt quo me toties ſum paſsa repleri
Sobria nunc demum temperet vnda merum.
At tibi ſi quæ cura mei, miſerere iacentis,
Quæ tibi plena mero non odioſa fui.

Sed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sed nil præteritos curas ingrate labores,
Deſerta in gelidis ergo necabor aquis.

Auiculæ blandiſsimæ.

HIc tibi pro cauea tumulus mea ſurgit acanthis
Parua, ſed argutos fingere docta ſonos.
Tu mihi cara quidem volucris, tu blanda fuiſti.
Gutture proceſsit nil niſi dulce tuo.
Sed tamen aſperius ſi te quis forte teneret,
Hunc iterum roſtro pungere cura fuit.
» Sic minimo ſua bilis ineſt: ſic ſpicula melli,
» Floribus & morſum ſedula miſcet apis.
Parua quieſce tamen, mea parua quieſce volucris:
Certatim volucres ad tua buſta volent.
Exſequiasq́; canant: violæ naſcantur ibidem:
Et roſa te folijs contegat orta ſuis.
Eſt eadem natura roſæ, blandiſsima viſu
Floret, & ambroſio replet odore locum.
Sed tamen & ſpinis carpentem pungit acutis,
Vt ſubito læſus retrahat ille manus.
» Sic mala iuncta bonis. blandæ tibi gratia vocis,
Spicula ſed roſtri dura fuere tui.
Non ita dura tamen, quin vox tua dulcior eſſet.
Ergo mihi multum ſæpe gemenda, vale.

Chriſtoph. Philippo Zoto.

COmplures oculos Xenophon apis attica Cyro
Dixit, & innumeras regibus eſſe manus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic procul Arctoum dum Zote moraris ad axem,
Cæſaris & curas regia iuſſa tui:
Cur oculum dextramq; negem te Cæſaris eſſe?
Cur non perpetua te pietate colam?
Quod facio, faciamq; adeo dum vita manebit,
Teſtis erit ſtudij miſſa pagella mei.
Hæc tibi ſerpentes vero pro numine cultos,
Et referet cæſo ſacra peracta capro.
Quæ quia credibile eſt multis ignota tuorum,
En tibi ſunt lectis hic renouata typis.
Parua equidem fateor: ſed tanti hæc parua patroni
Nomine non dubitem magna futura, vale.

Epitaphium noctuæ.

ILla ego noctis auis credentes docta volucres
Fallere, ſub viridi ceſpite tecta cubo:
Aſpectu monſtroſa quidem, ſed callida fraude,
Et domino varijs vtilis eſſe dolis.
Scilicet agreſtes animos, educta benigne,
Exueram, illius paſta ſubinde manu.
Ergo amitis nunc ſumma peto, nunc mobilis inde
Deſilio, varijs inſidiorq; modis.
Dum magnum nunc tollo caput, nunc corpore toto
Contrahor, atq; oculos torqueo terribiles.
Interea volucres omni me ex parte ſalutant,
Miratæ tenebras linquere noctis auem.

Quas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quas ſimul occulto paulatim hæreſcere viſco
Aſpiceres, captas & ſua fata queri.
Nunc eadem me fata premunt: quid profuit olim
Alitibus varijs damna creaſſe dolis?
Cui ſacra ſum Pallas miſeræ quid profuit? ipſa
Cum nequeat ſæuas Parcæ inhibere manus.
Quid tenebris & nocte tegi mihi profuit atra?
Quando vel in tenebris mors obeunda fuit.
» *Diſce meo exemplo, dominos vitare doloſos,*
» *Et nunquam innocuis fraude nocere. Vale.*

In Iberum.

Belgarum in cœnis admirabatur Iberus
Delicias, artem, pocula, vitra, merum.
Ergo unde ingenia atq; artes regionibus iſtis
Sint, vbi mos vinis inuigilare, rogat.
Huic Belga: ingenium exacuens & nobile vinum
Nos bibimus: fatuæ potor Iberus aquæ eſt.
Non artes mirare igitur, non mentis acumen,
Sunt vbi cœlifluo pocula plena mero.
Non mirare tuam ſtupido cum pectore mentem,
Quod bibis, id tecum bos aſinusq; bibunt.

In Polyphemum.

Potor aquæ es, panemq; domi parciſſimus atrum,
Ex iure heſterno trux Polypheme voras.

At ſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

At ſi quando ſedes aliena ad prandia fucus,
Largus es, & lauto præbibis ore merum.
Importunè alios etiam clamoribus vrges,
Vtq; bibant faſtu, voce, minisq; iubes.
De proprio largire mero Polypheme, domiq;
Prandens vel ventrem rumpe bibendo tuum.

Doctor: Auditor.

Nemo docere poteſt, niſi ſit qui præbeat aurem:
Et niſi quis doceat; diſcere nemo poteſt.
Excitat auditor ſtudium, doctorq; fidelis,
Frigente alterius friget vterq; fide.

Lectori.

SI quis forte putet noſtro ſe carmine pungi, “
Agnoſcens maculas conſcius ipſe ſuas: “
Det veniam melior: licuit ſemperq; licebit “
Parcere perſonis dicere de vitijs. “

EPI-

EPIGRAMMA-TVM NATHANIS CHYTRÆI, LIBER SECVNDVS.

VOTVM GENETHLIA-cum pro ILL. CHRISTIANO *Filio primo potentiſs. Regis Danorum* *FRIDERICI II.*

PRodijt in Danaûm nuper ſtirps ma-
ſcula regno,
Marte ſata, & caſto plantata in
Palladis aruo:
Stirps Marti dilecta patri, matriq;
Mineruæ:
Stirps Danaum ſpes et columen: quam fertilis æther
Imbribus & largis & viui fonte caloris
Sic vegetam faciat, foliorumq́; ornet honore,
Vt patulis diffuſa olim pulcherrima ramis,
Et caput auricomum extollens, & brachia pandens,
Optati foueat populos ſub tegminis vmbra,
Audiat & dulces philomelæ in vertice cantus,
Confugiumq́; auibus cunctisq́; animalibus aſtet,
Sic impacta ſolo, ſic omni vredine maior,

Sic tu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic tunica, duræ ſic corticis obſita cruſtis,
Sic celſis erecta comis, vt lædere nemo
Vel velit, aut poßit tam pulcram euellere plantam.

DE VDALRICO
eiusdem ſereniß. Regis
FRIDERICI II.
filio altero.

NOmen aui patrij ductum de nomine Chriſti
Primus habet, tanto dignus honore nepos.
Materni iam nomen aui datur Vdalrici,
Inclyte filiolo rex Friderice tuo.
Fallor an? ille prior mores quoq; reddet auitos,
Vt cumulet meritis regna paterna ſuis.
Fallor an? iſte alter diues cui gratia nomen
Nunc dat, aui alterius dulcis imago venit.
Fallor an? & quondam iunget ſe tertius illis,
Qui referat genium rex Friderice tuum.
Felices Danaos, veterum quando ora parentum
In tribus his cernent eſſe renata ſibi!

Omen ex ill. Princip. Megap.
ſplendidiſs. in vrbem ſuam
Roſtochium ingreſſu.

TRiſtis erat cœli facies ventiq; niuales
Omnia turbabant obuia, frigus erat.

Sub tamen aduentum veſtrum ſine nube ſerenus
Sol micuit, gelidæ nec cecidere niues.
O ſaluete duces, quorum ſol gaudet honore,
En veſtro inſolitum lumine lumen habens.
O cari ſuperis, quibus aduentantibus, vrbi
Lux redit, & Boreæ murmura pulſa cadunt.
O fauſtum, nullumq́; diu felicius omen,
Ipſe ratum è cœlo quod Deus eſſe probat.

Ad ill. Chriſtophorum ſemptem-uiri Palatini. F. Rectorem Acad. Heidelbergenſis.

Pingitur egregia facie formoſus Apollo;
Dux quoq; Chriſtophorus frontis honore micat.
Dulce canit, citharamq́; manu bene pulſat Apollo;
Et bene Chriſtophorus voce lyraq́; canit.
Spicula ſæpe manu gladios, & vibrat Apollo;
Chriſtophorus telis, dux, gladijſq́; valet.
Aonidas rector defendit Apollo ſorores;
Hæc quoq; Chriſtophori maxima cura ducis.
Neccarides Muſæ tali gaudete patrono,
Nonne præeſt veſtris alter Apollo iugis?

In Sciolum.

Quodcunq; argutum doctis lepidumq́; putatur,
Id fatuum ſciolus frigidulumq́; vocat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quod vero inſulſum doctis faſtidia mouit,
Id ſciolus laudat mirificeq; probat.
Quæ ſit cauſa rogas? non omnibus omnia rident. "
Vlcus amant muſcæ, germina floris apes. "

In Violettam.

NObile de violis te nomen habere putabam,
Cognita quando oculis es Violetta meis.
Sed poſtquam ingenium ſenſi fandiq́; leporem,
Ardenteſq́; oculos, cyprigenaſq́; manus.
Cedite iam violæ dixi, violentius vror,
Quam violæ aut florum germina ferre queant.
Vis tibi maior ineſt, & noſtris viribus impar,
Sic Violenta mihi, non Violetta, vale.

In Gryllum ignauum & ſcabioſum.

SEgnis erat Gryllus, ſaxiq́; immobilis inſtar,
Mandibula excepta deniq; totus iners.
Viderat hoc Scabies; Gryllumq́; vt redderet acrem,
Pruritu huic vexat membra manuſq́; ſuo.
Mox ille euigilans vngues in vulnera ſtringit,
Et quod agat ſemper nunc ſcabioſus habet.

In Batrachum.

COnſpexiſſe aſinum Batrachus ſe pernegat ullum,
Non aſinos patriæ dicit ineſſe ſuæ.
Vix equidem credo, quin cum ſe viderit ipſum
In ſpeculo toties, dicere vera nego.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

De I. Cæſ. Scaligero viro incomparabili.

Romani caput eloquij ſi Tullius olim
Miratus eſt, quod Roſcio
Spectante auderet quiſquam hiſtrio membra moue
Scenam impudens aut ingredi: (re
Quis non Scaligero miretur Cæſare viuo
Quemquam edidiſſe quidpiam?
Cum nil prodierit, cuius non ilico mente
Næuos acuta viderit,
Hic genus humanum ingenio ſuperauerat vnus,
Vt ſol minora ſidera.
Scribite iam indocti doctiq; poëmata; cenſor
Par Cæſari non corriget.

In tres Petros nobiliſs. Italiæ, Galliæ, & Germaniæ poetas.

Carmine quid poſſint Itali, & cum Teutone Galli,
Scire cupis; ternos aſpice quæſo Petros.
Italia Angelium, Ronſardum Gallia, ſuaue
Lotichij ingenium Teutonis ora tulit.

Carolo Vthenhouio, C. F.

Te mortalem equidem clari genuere parentes,
O decus & Scaldis Carole fama tui

Aſt ego pro letho vitæ immortalis honores
Promitti ſtatuo culte poëta tibi.
Nam ſi vita tibi nihil eſt, quod nomine pandis,
Non video poßis qua ratione mori.

In lilia P. Meliſsi Schedij, Franci.

CVR dederit Cæſar tibi lilia cana Meliße,
Quæ ferres clypeo conſpicienda, rogas?
Pabula ſunt flores apibus, ſunt gloria florum
Lilia, ſunt culti lilia ſidus agri.
Florilegas ergo inter apes cum prima voceris,
Gutture de cuius mellea nata mele;
Quid mage conueniens iſto tibi flore dedißet?
O magnum arguti Cæſaris ingenium!

In Meliſſum celibem.

SPirantem Charites, fundentem mella Melißum,
Quid mirum viduo poße cubare toro?
Nam Veneres qui corde fouet, fonteſq́; leporum,
Sophroſyneńq; ſacra ſobrietate colit;
Cur ille alterius Veneris ſuccumbere flammis,
Cur vellet Cyprio ſubdere colla iugo?

Meliſo proco.

FLoribus è cunctis laudabas ſola Meliße
Lilia, dum viduo viuere dulce fuit.
Lilia carpebas ſolummodò, dulcia fingens
Carmina, & ambroſio melle venuſta mele:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Et tamen vſq; adeo lepidis ſchediaſmata Muſis,
Et Phœbo & doctis complacuere viris;
Nil vt amabilius, nil doctius eſſe putarent,
Mirantes genium clare Meliße tuum.
Quid fiet, cum iam ſponſus coniuxq́; Roſinæ
Puniceis carpes lilia mixta roſis?

Roſinæ Meliſsi.

Vt roſa ſola roſam; ſimilem ſic candida florem
Lilia producunt, blanda Roſina, ſibi.
Purpureo roſa flore placet, delectat odore;
Lilia candiduli floris odore placent.
Pulcrior ille hoc eſt, hic flos quoq; pulcrior illo.
Dicas floriferi ſidus vtrumq; ſoli.
Si ſolis igitur vis hæc, & tanta ſeorſim
Gratia; quæ gemini gloria floris erit?
Quando maritabunt roſeos ſibi lilia flores,
Aut nubent nitidis lilia cana roſis?

Vtriqꝫ.

Sola Roſina roſas, plantabat ſola Melißus
Lilia, flore ſui diues vterq; ſoli.
Sed iam liligero coniuncta Roſina Melißo,
Mellifluis pariet lilia compta roſis.

Ioanni Alberto principi Megap. illuſtriſſo.

Ioannes Alberte ducum dux optime, librum
Quem damus auguſta ſuſcipe quæſo manu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Non infecta quidem canimus, nec diſſona vero,
Sed tamen arbitrio ſubijcienda tuo.
Si tibi diſpliceant, nec nobis illa placebunt,
Sin placeant, alijs non placitura, placent.

Bartholomæo Clingio.

QVæſitus toties cum non videare, tibiq́;
Iam ſacra ſit præſto Bartholomæe dies.
En hæc vincla tibi communi nomine mitto,
Vt nobis hodie ſis maneasq́; domi
Nam tecum cœnare libet, miſſamq́; cathenam
Suauiter affuſo diſſoluiſſe mero.

In Garrulum.

GArrule quid blateras? quid magni oracula Tulli
Conſpuis, aut ſummum carpis Ariſtotelem?
Qui nec habes quæ ſcripſerunt duo lumina mundi,
Neutrius aut linguam barbarus ipſe tenes.
Quin tua lingua leuis non digna eſt lambere merdas,
Tantorum aut etiam lingere ſputa virum.

In eundem.

QVi Lalagus male ſane alijs paulo ante fuiſti,
Tam ſubito es nobis quomodo Longolius?
Noctua tam ſubito facta eſt num forſan acanthis?
Auritusúe aſinus tam cito factus equus?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Friderico Stipitio.

CVR truncum Friderice vocas te candidus ipſum?
Cum tibi det tales blanda Thalia modos.
Crede mihi fundunt ſi talia carmina trunci;
Vix nemora et volucres quo celebrentur habent.

De Iudæo baptiſato.

VEnerat Auſonias quondam Iudæus ad arces,
Baptiſmi cupidus Chriſticolæq; gregis.
Hic mores Sodomæ inueniens, vitamq; Gomorræ,
Certum, ait, eſt, verum gens colit iſta Deum:
Gens verum colit iſta Deum; miſeratio cuius
Et bonitas vatum tot celebrata libris.
Nullus enim poſſet reliquorum credo Deorum
Cernere tam placidis fanda nefanda oculis.

Stomachus.

SI doctrina nocet, doctiſq; incommodat ipſis;
Præmia doctorum, quod fit, ſi intercipit amens
Faſtus, & infami tincta ignorantia fuco;
Certe equidem Muſis tantum tribuiſſe pudendum eſt,
Eſt pudor ingenium tanto excoluiſſe labore.

In Lollium.

Cum caput vſq; adeo graue ſit tibi ruſtice Lolli,
Vt læuæ accerſat fulcra pudenda manus;
Sunt tibi qui nimia doctrinæ mole grauari
Affirment cerebrum, dædaleumq; caput:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sunt quoq; ſtultitiæ qui id credant pondere preſsum,
  Nutare & fulcri quærere iugis opem.
Vtri ego ſubſcribam quæris? petit ardua virtus, "
  Ignea vis animo multa tenentis ineſt. "
It peſsum & prono cadit ignorantia vultu, "
  Hinc vtrum ſapiens ſis fatuusúe vides.

In veredum Io. Poſthij poetæ cl.

(veredo
QVid ſibi vult cornu? quid eques? properante
  Quid ſcriptum in clypei margine, tolle mo-
Fallor an ingenuum deſignant iſta poëtam, (ras.
  Qui cupiat Muſas labe carere ſuas.
Neſcit adulari vates bonus; acer idipſum,
  Vel regem excutiens tergore, neſcit equus.
Cornicen in latebris cælari neſcit opacis;
  Neſcit idem vatis non tumulanda chelys.
Vrget opus ſonipes, cœptisq́; laboribus inſtat;
  Pergit & ad metam ſedula Muſa ſuam.
Scilicet iſta tuos Poſthi clariſsime mores,
  Ingenijq́; notant vimq́; decusq́; tui.
Sis felix, noſtriq́; nouum cape pignus amoris,
  Iure etiam patrium propter amande ſolum.
Nam me vitiferos ſpectans Mencingia colles,
  Te Germershemium non procul inde tulit.
Sis felix, nec te quatiat, nec ſternat euntem,
  Sed tuus optato tramite currat equus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Batrachum.

BAtrachus aſsiduè faciles in carmine Muſas
Iactat, ab his, quidquid iam meditetur habet.
Sed tu cum iactat Muſas intellige muſcas,
Carmen cum iactat; crimen id eſſe puta.
Eius enim in cerebro magno circum agmine muſcæ
Nidificant, fœdum pectora crimen olent.

Germania degenerans.

Quid ſibi uult quā cernis anus macilenta tremensq́ue
Cœca oculos, vultum pallida, cana comas,
Ferali ingluuie ptiſanam quæ ſorbet, vt ægrum,
Quod Libitina vocat poſtuma, corpus alat.
Hæc illa eſt veteri amiſſo Germania flore,
Elumbis macie, turpis, inermis, iners.
Nulla pericla videns, quamuis ſint proxima, quam-
Omnia perniciem mox ruitura trahant. (uis
Luxuriæ interea indulget Bacchoq́; gulæq́;,
Fortiter vt reliquæ dilapidentur opes.
O miſeram patriæ faciem! ô miſeranda, veternum
Aufferet ex oculis quæ medicina tuis?

Ioanni Caſelio.

ÆGroto quam ſponte dares, da iure timenti
Ægrotare tuo veniam non durus amico,
Poſt tot continuas epulas qui horrore febrili
Cogitur admonitus dubijs abſiſtere cœnis,

Paruula

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Paruula ni magno comitata dolore voluptas
Sit potior, vitamq́; gulæ poſtponere præſtet.
Quod mihi Socraticas noſti interdicere chartas.

Henrico Buſchio conſuli Sundinio.

DVM faſces curamq́; ſui tibi patria mandat
Clare vir ingenio, clare vir eloquio;
Gratulor ex animo veteri haud ingratus amico
Iſtud honorificæ conditionis onus.
Atq; idem votis ſinceri pectoris opto,
Vt tibi qui confert munera tanta Deus:
Idem reſtituat firmi tibi corporis artus,
Par oneri impoſito conſul vt eſſe queas.
Efficiat rata vota Deus, ſic morbus honori
Cedet, & in patriæ commoda ſoſpes eris.
Soſpes eris, meritisq́; tuos cumulabis amicos,
Et fies populi fida columna tui.

ΑΕΡΟΒΑΤΕΙΝ.

DEſine mirari quod rapta per aëra quondam
Iuerit inſolitis Iphigenia vijs.
Me quoq; ſublimis raptauit in aëra currus,
Oſtia dum Varni nuper adire iuuat.
Tunc equidem vitrea ſublatus in æthera lamna
Suſtinui aëreas ire redire vias.
Nam cœlumq́; ſolumq́; inter rota tracta volabat,
Vngula ne terram tangere poßet equi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ficta putas? frontemq́; trahis? nil verius iſtis.
Vana licet quiuis dicta fuiſſe putet.
Tunc etenim Varnus ferratos vitreus orbes
Conſtrictus glacie grande ferebat onus.

In poemata C. S.

FLaminio fuerat Ieſu tabeſcere amore
Res omnium dulciſſima:
Molliculis idem numeris cantabat Ieſum
Suæ ſalutis vindicem:
Eſt tibi Caſpar idem ſtudium, ſimilisq́; facultas
Ieſum ſonantis barbiti,
Ergo quod ille Italis fuit, id dulciſſime Caſpar
Natali eris Germaniæ.

In Philporattum.

OFficium tibi mandatum Philopratte requirit
Vt doceas pueros prima elementa rudes.
Hoc tu neglecto tota diſcurris in vrbe,
Et tibi vel ſummus res aliena labor.
Nunc hic nunc alibi mutatis ſedibus hæres,
Sic fraudata ſuo flore iuuenta perit.
Quæſo quid inſanis? an vbi tibi plurima mandat
Et Deus & ratio muneris ampla tui,
Tu facies minimum? ſed nil vbi mandat, ibidem
Plurima tu facies proficiesq́; nihil?
Propria quin curans aliena negocia linquis,
Hic ſatis & nimium quod mediteris habes.

Epigram.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ad Filios Filiasq; clariſsimi herois, Petri à Mencingen.

SCripſerit ut patris breuiter mea Muſa labores,
Cernitis ô patriæ fulcra futura domus.
Dignior ille quidem maiori laude fuißet,
Virtutis propter nomina clara ſuæ.
Sed me plura viæ prohibent, & nauſea ponti,
Æſtas tota quibus pænè peracta fuit.
Et patris immenſo cùm laus celebretur in orbe,
Carminis & noſtræ nil quoq; laudis eget.
Nunc quoq; veſtra breui celebrabo nomina verſu,
Congrua cùm rebus ſint ea ſæpe ſuis.
Vos ea quæ ſcribam placido cognoſcite vultu,
Et facite vt ratio nominis apta monet.
Sic eritis magno ſimiles virtute parenti,
Sic abauis eritis ſic atauiſq; pares.
Nomina non fruſtrà cunctis ſunt indita rebus, "
Nomine de proprio quilibet omen habet. "

Ioanni Philippo.

TV ſenior, tibi me eſt æquum parere Philippe,
Tu Mencingiacæ prima columna domus.
Tu quæ te deceant ſine me monitore videbis,
De virtute tua nec dubitare queo.
Nec moneo, ſed pauca tamen, quæ nobile nomen
Admonet, eſſe tibi commemoranda puto.

Propter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Propter Ioannis nomen tibi gratia Chriſti
Cara ſit, & Chriſti ſit tibi grata domus.
Sic carus gratusq́; Deo, tua ſceptra viciſſim,
Et patrias læta mente tenebis opes.
Sic animoſus eques, magnus ſic iure Philippus.
Sic eris & patriæ gratia grata tuæ.
„ Nobilis excellens, & eques laudabilis ille eſt.
„ Qui virtute Deo, carus & eſt populo.

Friderico.

PAcifico Salomona pium qui nomine regem,
Voce licet patria, mî Friderice, refers:
Fac illi ſtudio pacis, fac mente ſagaci,
Vt ſimilis, domui ſis noua fama tuæ.
„ Pace nihil melius, nihil eſt optatius orbi,
„ Splendidus inferior pace triumphus erit.
Hanc venerare libens, hanc imo dilige corde.
Nullius illa tibi cauſa doloris erit.
„ Res etiam paruas augens concordia ſeruat,
„ Diſſidijs magnæ dilapidantur opes.

Burcardo.

TV Burcarde etiam, ſi vox tibi promptior eſſet,
Ingenio poſſes nobilis eſſe tuo.
Sed rerum ſummo placuit quodcunq; parenti,
Fortiter & placidè nos tolerare decet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Annæ Benedictæ.

ANna notat miſeram, ſed cùm Benedicta voceris,
Anna quid hoc melius nomine, quidue prius?
Non eſt ille miſer, mundo licet eſſe putetur, “
Quem dolor & Chriſti crux benedicta beant. “
Talis & in ſummis poterit gaudere periclis,
Fortior, impoſitum quo magis urget onus.
Cernis ut annoſam florere cacumine quercum,
Stirps caua cui flammis ſemiperuſta patet.
Magnanima aduerſis ſic & patientia rebus “
Floret, & è damnis nobile robur habet. “
Quisquis es aduerſis noli ſuccumbere rebus, “
Cùm mala pertuleris maxima, magnus eris. “
Crux benedicta bona eſt: mala, quam malefacta “
merentur,
Præparat ad cœlum crux benedicta viam. “
Ergo piè quicunq; cupis traducere vitam, “
Diſce pati, & Chriſto fidere, diſce mori. “
Anna decens annis, forma, vultuq; venuſto,
Te gemini ratio nominis iſta monet.
Tu ſimilis matri vero pietatis amore,
Anna annos multos, ſed benedicta, vale.

Bernardo.

TE quoq; care puer, duro qui forſan ab urſo
Nomen habes, memorem nominis eſſe decet:
Viribus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Viribus ille valens, animoſo robore pollet,
  Quærit & in celſis aurea mella iugis.
Ille ſolet natam lambendo effingere prolem,
  Vt rudis in formam maſsa decenter eat:
Sic Bernarde amplam cùm ſis dimiſsus in urbem,
  Qua iungunt vitreas Rhenus & Ellus aquas,
Ingenium ſtudijs, & honeſtis moribus orna,
  Vt redeas patriæ cultus in arua tuæ.
Hoc tamen ut fiat, nullo frangâre labore,
  Ardua virtutis nec bene trita via eſt.
Quin etiam celſos Muſas habitare receſsus,
  Carminibus vates edocuêre ſuis:
» Scilicet ignaui procul his arcentur ab oris,
»   Et tantum aſsiduis culmina ſumma patent.
Huc contende libens, hîc ſe tibi vera voluptas
  Offeret, & ſtudijs digna corona tuis.
Illa corona fauos & mel dulcedine vincet,
  Illa dabit canis gaudia vera tuis.
Et ſpem cùm genitrix de te conceperit amplam,
  Suggerat & ſtudijs ocia grata bonis:
Nos etiam multum de te ſperemus, & olim
  Patria ſit frenis ſubijcienda tuis:
Care puer vigila, nec votum falle parentis,
  Perge ſed inceptam continuare viam.
Ingenium tibi præclarum natura Deusq;
  Contulit, hoc utens munere magnus eris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hoc votis ego ſinceri tibi pectoris opto,
Optat id ex animo patria tota, vale.

Eliſabethæ.

ELiſabetha tuum nomen quid pluribus ornem?
Paruula quæ Chriſti morte recepta domo es.
Vnde tuus patriæ tumulus vicinior vrnæ
Cernitur, & formæ dulcis imago tuæ.
Aſt animus ſuperas altè delatus ad arces,
Cum patre cœlicolis gaudet ineſſe choris.
Illius ante pedes iam paruula ludis, & illi
Vt prius in terris iam quoq; grata places.
Felix qui tenero moriens extinguitur æuo "
Ne cumulet pœnas in ſua damna graues. "

Philippo Erardo.

CVltor honeſtatis conſtans, et amator equorum
Diceris, ingenuos nomen vtrumq; decet.
Sic tamen vt firma nectatur vtrumq; cathena,
Nec primum alterius deſtituatur ope.
Ergo ſacræ pietatis honos, conſtantia, virtus,
Inprimisq́; Dei ſit tibi carus honos.
Et ſi forte ſalus patriæ, officiumúe requirat,
Vectus equo, forti pectore bella gere.
Victor & exuto redeas ſpectabilis hoſte,
Cingat vt egregium pulchra corona caput.
Pro Chriſto & patria belli perferre labores, "
Eſt decus, & priſcæ nobilitatis honos. "

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Georgio.

AGricolam iubet eſſe tuum te nomen, vt illi
Sis ſimilis vitæ conditione tuæ.
Agricolas defende, tuis da iura colonis,
Vt decet in dura ſudet arator humo.
Sic tibi múnificæ complebunt horrea meſſes,
Sic Cereris grato fœnore lætus eris.
„ Agricola toto nihil eſt felicius orbe,
„ Hæc olim regum cura ducumq́; fuit.

Vuilhelmo Petro.

PAruule defunctum referas cum nomine patrem
Petre, tuo ſimilem te decet eſſe patri.
Vt fuit ille grauis, petra & conſtantior alta;
Sic eris & conſtans, ſic eris ipſe grauis.
„ Nil leuitate magis præclaro dedecet ortos
„ Sanguine, magnanimis diſplicet illa viris.

Hannæ.

HAnna tibi pulcrum donauit gratia nomen
Et Charites formæ contribuere decus.
Det Deus vt multos viuas feliciter annos,
Sic Charis & patriæ lux eris Hanna tuæ.
Quin & grata Deo, miſeræ poſt tempora vitæ,
Et viues ſuperis grata puella choris.

De ce-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

De cerebro hominis ad cerebroſum.

COncauitas capitis tota eſt repleta cerebro,
Quod phyſici monſtrant corpora ſecta ma-
Vix ceruo maius cerebrum natura, vel vrſo, (nu.
Vix vitulo tribuit cornigeroq́; boui.
Si placet ipſe vide: teq́; ipſo iudice diſces,
Quam magno in cerebro nil habeas cerebri.

Echo.

NYmpha repercuſſa repetens data carmina voce,
Dic quid proficimus diuitijs? vitijs.
Qui paſcit gentes, vrbes, & regna, laborum
Præmia numne refert certa colonus? onus.
Quid Bibulo fiet qui multos opprimit, & quem
Salſos iam piſces mandere tædet? edet.
Qui cumulabat opes miſere violando miſellos,
Quomodo priuatus poſtmodo deget? eget.

Echo.

N~~Vſquam tuta fides, qui credit fallitur~~: ergo
Num mihi nympha ~~voles dicere fide~~? vide.
Hactenus in viduo conſumpſi tempora lecto,
An mihi nupta datur ſat generoſa? roſa.
Anne etiam ingratos alo nunc præceptor alumnos,
Vt mihi ſit pietas exitialis? alis.
Quis caput huic noxæ, quis damni ſignifer? i fer.
Non erit hoc ipſis exanimale? male.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Echo.

TAntum equitare queunt cur nati regibus? ecquis
Eſt regi & miſeris omnibus æquus? equus.
Num natiua tui quæſo vox gutturis? vris.
Queisnam conueniet lingua Thraſonis? ὄνοις.
Quis nouus hic verborum opifex orator? arator.
Miles num fœlix eſt veteranus? anus.
Quæ cito vita fugit numquid reuocabitur? itur.
Sic volat à Borea concita nauis; auis.
Ergo vale tandem reſonans è vallibus Echo,
Nil tua ſentiſcant gaudia tabis. abis?

In Querculum.

CImmerijs fuerat tenebris obſcurior iſte
Querculus, ad ripas Sequana flaue tuas,
Hic vbi rauciſono replebat pulpita faſtu,
Barbariæ è media fece petita ſonans.
Clarior at fuerat Phœbeo lumine Cladus,
Dulciſono miros cum daret ore ſonos.
Omnia culta loquens Muſarum è fontibus hauſta,
Et Ciceroneis æmula ſæpe libris.
Sed nunc quando iacet crudeli cæde peremptus,
Inſultat tanto Querculus iſte viro.
Querculus obſcuris obſcurior omnibus vnus,
Scilicet hoc optat clarior eſſe modo.
Nec male res cedit, ſiquidem te Quercule noßet
Nemo, niſi Cladi Cerberus ille fores.

In eundem.

QVis tibi dictauit tam craſſos Quercule verſus?
Et ſerræ & follis qui referunt ſtrepitum:
Non equidem Muſæ, non Muſis ductor Apollo,
Nam ſonte à puro te procul ire iubent:
Sed chorus Eumenidum, bubo, triſtisq; Megæra,
Scribenti inſulſos accinuere ſonos.

In eundem.

AVdet vt exanimi lepus inſultare leoni;
Herculis extincti nanus vt ora petit:
Sic Cladi manes male nato Quercule verſu
Conſpuis, in vita qui tibi terror erat.
Cui non auderes rediuiuo dicere ſalue,
Aut oculos ſaltem ſuſtinuiſſe viri.
Quercule ſtulte tace: non ſunt tua carmina tanti
Vt poſſint tantum dedecorare decus.

In eundem.

QVerculus Aonias ſapientum octauus ad arces
Tendebat celeri, ſpe præeunte, gradu.
Aſpicit hunc miſerans obliquo lumine Phœbus,
Infamiq; videns carmina facta modo,
Exſpuit, illorumq; timens contagia, furcam
Arripit, impurum præcipitatq; ſenem.
Ille gemit, tantisq; miſer, quia decidit auſis,
Cum nequeat ſuperis carmina digna loqui;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Euomit in manes mendoſo opprobria verſu,
O vere ſtygijs digne poëta choris.

Epitaphium eiuſdem Querculi.

QVerculus in Ramum qui tot conuicia dixit,
Hic querno in ramo turpe putreſcit onus.

In Chryſum.

AVreolus fueras rebusq; & nomine quondam,
Quando erat officio congrua Muſa ſuo:
At nunc infami manes cum voce laceſſas,
Perfidaq; Antiochi carmine facta probes:
Nequaquam Aureolus poſthac cenſeberis vlli.
Dignior auriti nomen habere Phrygis.

In coniugium Crotali & Lalages.

GArrulus eſt Crotalus, Lalage cui contigit uxor
Garrula, quò videas iungere fata pares.
Quid cenſes? an non tali de matre diſertos
Producet natos ille loquax Crotalus?
Non nego. de Crotalo mera quin crepitacula naſci,
Ex tam multiloqua coniuge poſſe puto.

In Lollium Salinatorem.

FOns ſalis in patria Lolli eſt quem prædicat ipſe,
Quando ſalinarum de ſtrue multa crepat.
Sed ſi hominis mores, ſi vultum, verbaq; ſpectes,
Non eſt in toto corpore mica ſalis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ænigma ex vernaculo.

ARbor ineſt ſiluis duodenis ardua ramis:
Ramus habet nidos triginta quilibet: oua
Bis duodena cuiq; iacent nido indita: circum
Quinquaginta duæq́; ſolent cantare volucres:
Has mures gemini, hic albus, niger ille, viciſsim
Arrodunt, & dente fero conſumere tentant.
Sed mures volucreſq́; ſimul, cumq́; arbore nidos,
Accelerans feles, vltrici deuorat ore.
O ſuperi, quantis ſunt omnia plena periclis!
Tutus ab inſidijs huius quis felis abibit?

Ænigma è græco.

E ſiluis natiq́; duo, totidemq́; parentes
Tres referunt ceruos: quiuis ſed ceperat vnum.

In Quantulum.

EST mihi laus ſuperis, mens ſano in corpore ſana,
Membra lacertoſis ſunt bene firma toris.
Tu leuior pluma, & digito vix ligneus vno
Altior, & coſtas cui numerare licet,
Me pinguem craſsumq́; vocas, an Quantule neſcis
Me craſso ingenium craſsius eſſe tuum.

Ioanni Scogardio, conſil. regio.

CUm tua ſint Phœbo doctiſq́; exculta camœnis
Pectora, quæ duræ nil feritatis habent:
Quid mirum ſtudioſa cohors ſi grata viciſsim
Suſpicit & paſsim te celebrare ſtudet?

In quorum numero non eſt poſtremus habendus
  Quem modo litterulas has tibi ferre vides.
Tu linguas arteſq; bonas & dilige Muſas,
  Quod facis, & doctos perge fouere viros.
Sic nomen laudeſq; tuas nulla obruet ætas,
„ Quæ venit à Muſis gloria certa venit.

Ad Muſas pro venia.

VErſiculos cuidam paucos pro tempore feci,
  Hoc mihi qui dignus viſus honore fuit.
Nunc video vanum, tumidum, vacuumq; pudoris
  Et veſtri oſorem perniciemq; chori.
Dedecus is iuueni credit componere verſum,
  Ingorans numeros, carmina, metra, pedes.
Dedecus ille ſeni Muſis incumbere iactat,
  Et tamen ornari verſibus ipſe cupit.
Peccaui fateor: faciles ignoſcite Muſæ,
  Ne dicar caſtas proſtituiſſe Deas.
At tu, quisquis eras, à nobis poſcere carmen
  Deſine, qui nunquam carmine digna facis.
Te canat Eumenidumq; chorus, triſtiſq; Megæra:
  Pieridum nunquam poſtmodo carmen eris.

Porcius.

BAſia naſutæ cupiens libare puellæ
  Porcius: iſta vetat baſia naſus ait.
Illa ſub hæc. ergo aduerſæ da baſia parti,
  Impediens à qua baſia naſus abeſt.

Theo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Teophilo Kentmanno.

PHillyrides Chiron magni præceptor Achillis
Æſonidæq́; olim Phœbigenæq́; fuit.
Sed tibi Fabricius vir magnus & optimus idem
Contigit, is multo te meliora docet.
Te meliora docet pater inclytus arte medendi,
Sit parere tibi ſummus vtriq; labor,
Sic olim virtute patri, pietate magiſtro
Par eris, & cœli carus in arce Deo.
Iuſticiaq́; noua cœlo ſpectabilis alto,
Phillyriden vinces lucis honore tuum.

In Coruinum.

SI titulum, nomenq́; noui Coruine magiſtri
Conſenſu vnanimi dat ſchola noſtra tibi:
Quod Sophiæ & Muſis ſolerti mente vacares,
Et ſtudijs eſſet conſona vita tuis.
Quæ Deus in cœlis olim tibi præmia reddet?
Qui populos etiam de pietate doces.
Crede mihi, quanto ſacra ſunt potiora profanis;
Tanto tunc etiam laus tua maior erit.

Lingua.

LIngua bonum quo non aliud præſtantius vllum,
Lingua malum quo non aliud damnoſius vllum.

Cœculus & Lynceus.

TE deſioculo minus videre
Dicis Cœcule. quis enim negarit?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quin defioculum videre plura
Quam Lynceus geminis ſagax ocellis
Auſim dicere. quis & hoc negabit?
Huic Lynceus oculis duobus vnum,
Ille vno videt huic duos ocellos.

Senex & Puella,
Iuuenis & Vetula,

SITne rogas melius vetulam ſi ducat ephebus,
Aut nubat tremulo ſi noua-nupta ſeni?
Quæſtio digna quidem; cuius me ſoluere nodum
Si iubeas, à me talia dicta feres.
Hoc illo eſt melius. vetulæ nam iunctus ephebus
Hei miſer in ſterili ſolus arabit agro.
At ſenior teneram ducens ætate puellam,
Multorum iuuenum ſentiet auxilium.

Paſiphae.

PAſiphaë potius formoſo nubere tauro
Quam voluit licito regis amore frui;
Credis ab hac ſtolidas multum differre puellas,
Quæ ſtolidos doctis præpoſuere viris?

Chronologia.

ORdine geſtarum diſponere tempora rerum
Et mundi varias arte notare plagas,
Eſt geminos geſtis affingere rebus ocellos,
Et nautis media pandere nocte polum.

Totius hiſtoriæ liber hic tibi lumina præfert,
Si libet ambiguas hoc duce carpe vias.

Aliud.

SI quis in hiſtorijs ignarus temporis erret,
Nec loca peruideat res vbi geſta fuit.
Cœcus in ignota miſere is regione vagatur,
Ceu nauta in vaſto nocte ſilente mari.
Hiſtoriæ liber hic certum tibi pandit ocellum,
Qui velut ambiguæ ſit cynoſura rati.

ΣΟΦΟΙ ΑΣΟΦΟΙ.

PVlſare innocuam matrem, maledicta parenti
Ingerere, & domino fraude nocere ſuo,
Sæpe impune licet, punit quoq; nemo, ſed vltro
Mercedem fures, quam mereantur, habent.
Qua ratione etenim non illos dixero fures?
Qui præſtant operas fraude doloq́; ſuas:
Immenſus quorum numerus, quos nemo coërcet,
Nemo pollicitum cogit ad officium.
Sed ſeruum ſi mendacem, turpemq́;, malumq́;
Officij mulctes pro ratione tui;
Tunc tibi vel lites certæ, vel pœna parata eſt,
Quam ſubito nullo te redimente lues.
Egregias vero leges, legumq́; patronos! «
Si malefacta iuuant, & benefacta nocent. «

Orion.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Orion.

CErnitur Orion magni pars maxima cœli
Mane ſub auſtrali luce micante plaga.
Rex fuit is, ſummiq; auidus ſcrutator Olympi,
Illius hinc ſidus nobile nomen habet.
Hic patre quo natus, cur ſit ſublatus in aſtra,
Dulciſono nobis carmine Naſo refert.
Cui placet, id mecum placido cognoſcere vultu,
Adueniat ſolitos cum dabit hora ſonos.

In Prophorum.

TV ſolus iuuiſti omnes, tibi debita ſoli
Gratia, quæ meritis par nequit eſſe tu[illegible]
Non equidem inuideo, miror magis, omnia ſol[illegible]
Velle hominem, & ſummo plus quoq; poſſe D[illegible]

In carmina Meliſei.

NVper ut hæc pietas Meliſei carmina vidi[illegible]
Hæc ait eſt nutu vena probanda me[illegible]
Scribite vos alij Veneres & furta poëtæ,
Hæc mihi præ veſtris carmina ſacra placent.
Carmina quæ recitant diuini encomia verbi.
Laude nihil toto dignius orbe fuit.

In Aſterien viuam & ſtellas contemplantem e græco.

SVſpicis Aſterie ſtellas mea: cœlum utinam ſ[illegible]
Pluribus vt videam te mea lux oculis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Auſterien defunctam.

ASterie viuens viuis fuit alter eous,
Mortua defunctis heſperus alter erit.

In Currucam.

CVM curruca ſedes alienæ ad pabula cœnæ
Ne ſis poſtremus cautio ſumma tibi eſt.
Poſthabitis igitur quibus hi debentur honores
Vel primis etiam proximus eſſe cupis.
Et voti compos, ſummo tibi iure videris
Maximus, & vano vanus honore tumes.
Tunc etiam cum quemq; domum uocat hora, priores
Inter es, & domino porrigis ante manum
Quàm reliqui poßint. hæc eſt tua gloria ſumma,
Hic tibi ſummus honos, hac tibi laude places.
Cum vero eſt tandem ventum extra limina portæ,
Poſtremo in tenebris vis miſer ire loco.
Tunc vrges alios, alieno intentus honori:
Tum vis neglectis ante placere viris.
Sed quem ſpreuiſti cœlo lucenteq́ ſereno,
Egregios inter conſpicuosq; viros.
Is curruca tuos nil noctu curat honores,
Quin prior in tenebris ſis tenebroſe tuis.

In Pſeudo aſtronomum.

TE cœlum cœliq; vias & ſidera noſſe,
Te ſimulas acie mentis adire polum.

Sed

Sed tamen ingluuie ſemper diſtentus anhelas,
Rarius & nihil eſt ſobrietate tibi.
Numne igitur cœno immerſus profitebere cœlum?
Cum ſis gaſtronomus, numne eris aſtronomus?

In imaginem P. Meliſsi.

SI faciem tibi noſſe libet vultumq; Meliſſi,
Mellifero cuius nectare vena fluit:
Hic ille eſt. frontemne vides ſine nube ſerenam,
Quæq; ſupercilio lumina blanda carent?
Hoc caput, hæc frons eſt, dudum cui laurea Cæſar
Aonio impoſuit ſerta iubente choro.
Hoc caput, hoc cerebrum, quo princeps illa ſororum
Calliope ſedem gaudet habere ſuam.
Hi vigiles placidiq; oculi, quibus ipſa venuſtas
Emicat, & blando lumine grata charis.
Hæc labra hyblæos late ſpirantia flores,
De quibus ipſa fauos attica fingit apis.
Hoc pectus plenum fidei, pietatis, amoris,
Atq; adeo caſtæ ſobrietatis amans.
Quisquis es, huic iuueni felicia cuncta precare,
Nec pigeat votis ſollicitare Deum,
Seruet vt alueolos, & amantes mella meliſſas,
Aq; ſuis fucos arceat ipſe fauis.

Inſcri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Inſcriptio ſtatuæ Giganteæ Herculis, in curia Bononienſi talis eſt.

HÆc finxit nouus ora mi Prometheus,
Alcides vocor, heus abite monſtra.

Reſponſio auctoris.

NEc finxit faciem tibi hanc Prometheus
Monſtroſam nouus, illa cum deorum
Non ſit effigies, vetus Prometheus
Cui vultus ſimiles creaſſe fertur.
Alcides neq; tu lapis vocaris
Immotus, rigidus, tacens, tricorpor.
Sed nec iure homines vocare monſtra
Monſtroſus potes ipſe ſaxeusq́;,
Vel monſtri ſoboles, vel ipſe monſtrum.

In Codrum.

DEdicat ipſe ſibi quare ſua carmina Codrus?
Se magis in toto diligit orbe nihil.

In Coccium parodia ex Catullo.

FArcula dicebat, ſi quando fercula vellet
Dicere, & herculeum Coccius harculeum.
Et tum mirificè ſperabat ſe eſſe locutum,
Cum quantum poterat dixerat harculeus.
Contra ſi barbam cupiebat dicere, berbam
Protulit, huic parcus deniq; percus erat.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hoc tandem extincto requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc ſuauiter & grauiter.
Nec ſibi pro verbis metuebant varba deinceps,
Nec ſibi pro ſertis ſarta ferenda putant.
Ætarnos neq; ſarmones hos eſſe futuros,
Cum ſubito affertur nuncius horribilis:
Cerbereos rictus, poſtquam illuc Coccius iſſet,
Iam non Cerbereos, ſed fore Carbereos.

In eundem.

LIſia dicebat, cum dicere Liuia vellet
Coccius, huic victus robore, fictus erat.
Idem mirificè credebat ſe eſſe locutum,
Pro vitulo quando protulerat fitulum.
Culpabant omnes, ſibi ſed ſoli iſte placebat
Coccius, & ſolito ſtat loquiturq; modo,
Infelix, nam collectis ex fœnore nummis
Dum ſibi ſe vicum velle parare putat;
In ſolidum expoſitis nummis, ex arbore ficum
Pro vico accepit, ſtultus & ingemuit.

In Batrachum.

Quidquid agit Sturnus, quidquid meditatur, idipſum
Batrachus vt furax Simia rurſus agit.
Nec tamen eſt, quamuis exoptet Sturnus haberi,
Ni forte in ſimiles incidat ille ſui.
Sed nec erit Sturnus, vel cum cenſebitur eſſe,
Æquabit vaſtum tum quoq; rana bouem.

In Ro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Roſas, aquilam, & manum claui-
geram, inſignia Conradi
Albini.

VT volucrum regina Ioui ſacer ales habetur,
Vtq; roſam florum ſceptra tenere putant:
Gens tua ſic patrijs dudum ſeſe extulit oris,
Et primas inter nomina prima tulit.
Felices Albine roſas, aquilamq; volantem,
Quas tegit æthereæ claua ſuprema manus.

In eadem.

MVſarum eximios irati & Martis alumnos
Quis dubitet gentem ſæpe tuliſſe tuam?
Cum triplices Albine roſas, clauamq; trinodem
Oſtentet clypei picta tabella tui.
Scilicet herculeos deſignat claua labores,
Quos tulit armata gens tua clara manu.
At roſa Muſarum ſacris addicta corollis
Aonidas pariter vos coluiſſe notat.
Artibus his veros vobis Iouis ales honores
Contulit, hinc vobis Cæſaris aura fauet.
Tu felix Albine roſis, complectere Muſas,
Quod facis, Herculeis arma relinque viris.

In Auarum.

MOrbo animæ curiſq; leuat te quando ſacerdos
Huic das vel minimo quod minus eſt obulo:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Si corpus curat medicus; paulo amplius addit,
    Sic tamen vt ſordes arguat ille tuas.
Sed nummi ſi cauſa agitur, ſi fœnora poſcunt,
    Cauſidicis imples largus vtramq; manum.
Hos tibi patronos offendere cautio prima eſt,
    Cernitur hinc animæ quæ tibi cura tuæ.

In Tabulas Laurentij Pancali. I.C.

ORdine fiſſarum titulos diſtinguere rerum,
    Multaq; pauciloquis ſignificare notis,
Eſt clara obſcuris adiungere lumina rebus,
    Et nautis media pandere nocte polum.
Dignum opus egregijs iuuenum doctoribus, inde
    Ad quos vtilitas non operoſa redit;
Inprimis tractent ſi ſacri ænigmata iuris,
    Quæ tali nunquam luce carere queunt.
Hoc tibi dum ſtudio, & gratis breuitate tabellis
    Commodat ingenij Pancalus arte ſui,
Pancalus haud ſegnis legum iuriſq; patronus,
    Pancalus Aſtrææ cura decuſq; ſuæ:
„ Vtere dum fas eſt hac commoditate iuuentus.
„ Nulla tibi hiberno frigore meßis erit.

In Hillum.

CVR toties excandeſcit, clamatq;, ſalitq;,
    Cum nulla aut ſaltem friuola cauſa ſubeſt!

Moroſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Moroſè vſq; adeo cur ſeruis imperat Hillus?
Imperat, & ſemper flagra minasq́; crepat?
Vis dicam? à teneris nulli vnquam ſeruijt annis.
Liber & arbitrio vixit vbiq; ſuo.
Hinc ſerui affectum ignorat, fidoq́; miniſtro
Quam graue ſit rixas, iurgia, probra, pati.
Ergo mali ignarus, miſeris ignoſcere neſcit,
Semper & ad domini munus ineptus erit.

In Luſciniam Steph. Præt.

Luſciniam Stephanus ueris dum laudibus ornat,
Vocis & argutæ vimq́; modosq́; docet;
Attendunt philomelæ omnes, laudamq́; viciſſim
Nomina præconis iudiciumq́; ſui.
Illius hinc laudes memori nemo eximet æuo,
Donec luſciniæ, carmina donec erunt.
At tu luſciniæ qui ingratus honoribus obſtas,
Bubonum in tenebris flebile carmen habe.

In Micropſychum.

CVm tibi nemo pares referat, te iudice, grates,
Ingratos omnes & fore & eſſe refers.
Hoc ais, hoc repetis, pleno ipſo ingratior ore,
Inculcans meriti pondera mira tui.
Odi equidem ingratos fœdo cane peius & angue.
Neſcio ſed gratus quis queat eſſe tibi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cum ſis ipſe etenim meritorum præco tuorum,
    Quis facere aßiduè quod facis ipſe velit?

In Catonem.

HVnc quoque neruoſa magnum breuitate libellum
Accipe care puer, quæq; huic adiuncta leguntur
Imbibe mortali præcepta ſalubria vitæ,
Atq; eadem ſemper generoſis exprime factis,
Maiores imitando tuos, quos inclyta virtus,
Virtus fortuna comitante, ad culmina rerum
Extulit, & vera fecit clareſcere fama.
Sic catus, & carus ſuperis, matriq; tuiſq;
Omnibus, eximia multorum laude frueris,
Implebiſq; tuos placidè & feliciter annos,

In Catecheſin ad B. à Mencingen.

CLara eſt nobilibus laus eſſe parentibus ortum,
    Clarior è ſtudijs ingenioq; venit.
Quæ duo ſi pietas ornet, clarißima laudum
    Cenſeri hæc merito nobilitaſq; poteſt.
De tribus ingenioſe puer tibi contigit unum,
    Alteriuſq; tibi ſemina iacta virent.
Quod ſupereſt liber iſte docet, tu ſedulus illum
    Imbibe, ſic ſpecimen nobilitatis eris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

MENSES ANNI

Ianuarius.

IAnus amat victum tepidum, gratoſq; liquores,
Qui bene iam puro ſanguine corpus alant.
Vena nocet tum ſecta tibi, ſed balnea proſunt,
Et labor, & dulcis, ſi ſit honeſta, Venus.

Februarius.

FEbris nomen habens, & lenta febre timendus,
Scindendam venam pollicis eſſe monet.
Idem vitat olus rigidum, volucresq; paluſtres,
Pharmacaq; & calidi flumina fontis amat.

Martius.

DVlcia Mars acriq; tamen condita ſapore
Diligit, humores nam ciet ille graues.
Iam puris te paſce cibis, & pharmaca linque,
Quin etiam venæ ſectio ſæpe nocet.

Aprilis.

VT terræ vires, aperit ſic corpus Aprilis,
Noſtraq; ſunt multis peruia membra poris.
Humores nimios, vinum, venterq; ſolutus,
Et labor, & Cypris, venaq; ſecta leuat.

Maius.

MAio flaua tumet bilis, iam dulcibus uti
Conuenit, et liquidis, ſit moderata Venus,
Nec labor immodicus: multum iam balnea proſunt,
Pharmacaq;, & modico vena cruore fluens.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Iunius.

IVnius ex animo triſtes expellere curas,
Lætitia & mentes exhilarare iubet.
Ergo fuge humori quæ ſunt contraria viuo,
Veſcere lactucis, pharmaca nulla bibe.

Iulius.

OMnia nunc ardent, nunc eſt calidiſsimus an-
Vita igitur Cypriæ, feruida ſacra deæ, (nus.
Intactæ maneant venæ, fuge balnea & æſtus,
Et tibi ſit ſomni parca breuiſq; quies.

Auguſtus.

AVguſtus Venerem, ſomnos, & reijcit eſcas
Immodicas, atra corpora bile tument.
Tu liquidis gelidiſq; vtens ſalſiſq;, cauebis
Pharmaca, aquas gelidas, nec tibi vena fluet.

September.

SEptember vinum redolens, & aromata eurat,
Tum tibi de fœto palmite poma nitent.
Lacte capræ preſſo nunc veſcere, pharmaca ſume
Si ſit opus, venas ſcinde cruore graues.

October.

NObilis aucupio, vinis, plagiſq; ferarum
October, volucres, vina feraſq; refert.
Hæc cape, ſed modicè, membra exerceto labore,
Veſcere acetoſis, nec prohibenda venus.

Nouember.

BAlnea iam raro, Veneris ſed gaudia nunquam
Expedient, ſubito ni cupis eſſe ſenex.
Iam ſtomacho mulſam, iam gingiber vtile credunt,
Condîtum aëreo ſi tibi melle fluat.

December.

CVm ſudore laua ieiunus menſe Decembri,
Ante focum calidis vtere, membra moue.
Defende & frigus cerebro, capitisq; cruore
Vena fluat, ſpiret cinnama grata calix.

In Ciconiam, ſtellam & coronam, inſignia Matthæi Ammanni.

AMmanni è clypeo ſerpente ciconia veſcens
Proſpicit, huic ſtellæ ſub pede flamma mi(cat.
Fulgida ſed galeam gemmis auroq; corona
Integit. hæc quæris quid ſibi ſigna velint?
Vt pietatis amans regna ciconia fertur;
Ammannum decorat ſic pietatis amor.
Hæc facit vt dirum latitans ſub melle venenum
Serpentisq; dolos non tolerare queat,
Oderit & ranas turpi quæ voce coaxant,
Fonticulis peſtes optime Chriſte tuis.
Illius hinc veluti fulgebunt ſidus honores,
Eximiumq; teget viua corona caput.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In candorem poetarum.

DEridentt aliqui, cum candida pectora vates,
Se laude tollunt mutua.
Quos ego ridendos iterum vel iure putarim,
Et improbandos maximè.
Namq; aliàs cum plena malis ſint omnia rixis,
Certare cur non Gratijs,
Proq; odijs augere fidem iam quisq; laboret,
Et mitigare vulnera?
Certè quantum odio præſtat concordia, tantum hic
Poëta præſtat cæteris.

Ioachimo von der Luhe, Mareſcalco Megap.

CVm norim Ioachime bonas clariſsime Muſas
Quo ſtudio, quantaq; fide tuearis & ornes;
Quippe quibus ſis ipſe olim nutricibus vſus:
Norim etiam quantum poßis, & regia coniunx
Quanti te faciat merito: hos offerre libellos
Præ reliquis tibi iam volui, paucisq; rogare
Vt dominæ exhibeas, ſi quando videbitur illa
Et curis vacua, & placido non nubila vultu.
Tu dominæ molles aditus, tu tempora fandi
Optima nouiſti: tu tenuia munera verbis
Exornare potes. quod ſi id re feceris ipſa;
Et memorem & gratum dices aliquando Chytræum.

In Meliſmata Georgij Harminij ad ampliſs. ſenatum Lubecenſem.

MVſica dulce Dei donum eſt, ſi conſona Muſis
Lætificis cantet verba pudica modis.
Inprimiſq; Dei laudes ad ſidera tollens,
Harmonia penetret cor animumq; graui.
Hoc ipſum Harminius ſacro dum carmine præſtat,
Dumq; ſono, ingenio, iudicioq; placet:
Melle magis mellita mele dum deniq; fundit,
E priſcis artem reſtituitq; libris:
An non dignus erit Muſis patrona Lubeca,
Quem placida excipias munificaq; manu?

In Cenſorem.

LAbragoram pungis quod morem induxerit o-
Vtendi curtis primus in vrbe togis. (lim,
Et quam grande nefas, quantum ſit dedecus illud,
Cenſoris repetis cum grauitate Iouis.
Sed tibi tam celebrata Ceres holoſerica primo
Cum faſtu induerit quod tegumenta, taces:
Cum tamen hoc multo ſit pernicioſius vrbi,
Serica iam quæuis eſſe puella cupit.
Hoc loculos magis extenuat, quam curta lacerna,
In veſtem ſumptus quæ vetat eſſe graues.
Ergo alios ſi forte cupis reprendere Cenſor,
An tua ſint primo crimine pura vide.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Andriam Terentij.

NAtum bonis quid filium parentibus
Commendet atq; amabilem reddat bonis,
Te Diderice Pamphili mores monent
Faciles, modeſti, continentes, commodi,
Perferre qui patiq; poßet omnium
Mores: parentibus libens ſe dedere:
Maioribusq́; promptus obſequi ſuis:
Æqualiumq́; aduerſus eſſe nemini:
Nec faſtuosè ſe infimis præponere:
Corrigere culpam, non eam defendere.
Dum facis idipſum iuuenis ornatißime,
Erisq; ſemper, & vocabere Pamphilus.

In Eunuchum.

MOres Thraſonis & Gnathonis en tibi
Viuo colore pingit hæc Comœdia:
Quamq; ille ſit inflatus, arrogans, iners;
Hic vanus, audax, perfidusq; & impudens,
Verbis amicus ſubdolis vel maximus;
Factis ſed ipſis hoſtis inimicißimus,
Docet venuſtè. quin ibidem Thaïdis
Poßint doloſæ quid, videtur, lacrymæ.
Bernarde iuuenis optime & clarißime,
Parentibusq; nate nobilißimis,

Odiſse peſtes ſemper has cautus ſtude.
Peſtes iuuentæ ſunt Gnatho, Thaïs, Thraſo.

In Heautontimorumenon.

NAtum inſcius tractare recte & commodè,
Vehemens in utramq; partem Menedemus ni-
Aut largitate nimia aut parſimonia eſt. (mis.
At ſcire ſe vnum qui arbitratur omnia,
Oculatus eſt foris, domi cœcus Chremes.
Malam, procacem, ſumptuoſam Bacchidem
Amat proteruè diſsolutus Clitipho.
Bona, pudica, continente, ſobria
Vxore gaudet & potitur Clinia.
Si non moleſtum eſt, Otho nobiliſsime,
Percurre mecum hanc vitæ imaginem libens,
Antiphila ſic tua tuq; læti viuite,
Recteq; natos educate & commodè.

In Adelphos.

NIL lenitate melius & clementia,
Conuicijs, clamore, iurgio nihil
Nocentius, viuendo docet hic Mitio:
Vſuq; doctus probat idipſum Demea.
Ex vtriusq; deniq; liberis patet,
Quod qui putantur optimi ſint peſsimi;

Qui peſſimi, ſint ſæpius vel optimi:
Diuerſa tantum pollet educatio,
Coacta tantum differunt ſpontaneis.
Nicolae patris optimi fili optime,
Quod facis, in ipſo flore vitæ hæc imbibe,
Sequens ſequenda, non ſequenda reſpuens.

In Hecyram.

QVid in familijs pæne fiat omnibus
Inter ſoceros, generos, nurus, ſocrus, ſenes,
Tum coniuges, & liberos, & ſeruulos,
Depingit hæc ſcitiſſimè Comœdia.
Iners manu, lingua fortis garrula
Hic ſeruus eſt: ſunt diſſoluti liberi:
Sunt ſuſpicaces & ſenes & coniuges:
Et matris hic & filij par eſt amor:
Relligio velum crimini prætenditur:
Suſpicio amicos ſeparat iunctiſſimos.
Conrade fili patris integerrimi,
Hæc ipſa diſcens, nonne eris prudentior?

In Phormionem.

" *SI tempus vnquam fuit, eritúe poſtmodum,*
" *Quo pro ſapientia melius audacia*
" *Vti queas; id hercule hoc noſtro queas.*
" *Cum nil ſit aliud ſapere iam, quam noxiam*
" *Velare falſæ cautionis tegmine,*
" *Fucumq́; factis improbis obducere.*

In quò magiſter eſt, & artifex vafer,
Leuis, doloſus, impudensq́; Phormio,
Qui fabulæ huius principem tenet locum.
Bartolde, legum antiſtitis fili optime,
Hos Phormiones ſi modeſtus oderis,
Eris patronus iuris integerrimus.

In Diſcolum.

QVando noces alijs verbis factisúe malignis,
Immemorem ſubito quemlibet eſſe cupis.
Si memor eſt aliquis; niger eſt, ingratus & effrons,
Indignusq́; tua dirus amicicia.
At te vel verbo ſi quisquam offenderit vno,
Tum clamas miris conquererisq́; modis.
Singula tum repetis, ſcribisq́; in marmore cordis,
Nulla dies animis eximit illa tuis.
Inconcinnè equidem. nam cum cupiasq́; velisq́;
Ignoſci vlceribus tuberibusq́; tuis;
Verrucas cur alterius tolerare recuſas?
Fallor an, es nimio cœcus amore tui?

Samueli Caloandro compatri mittit phaſeolos.

ACcipe delitias arcti, niſi deſpicis, horti,
Ad palum eductos lupulorum more phaſe-
Quos quia Virgilius viles quandoq; vocauit, (los,
Quale ſit hoc munus non te quantumq́; latebit.

Si tamen

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Si tamen hos, ſiliquæ detractis undique fibris,
Cultellus tranſuerſa ſecet, iuriq; recenti
Et pingui, pipere affuſo, ſimul incoquat; illos
Delicias dices lauto non vile palato.

Colax.

QVod teneros regum natos plerumq; videmus
Degeneres, cauſa eſt, ſi tibi noſse libet.
Turpis adulator, puerum hunc, cum lacte, veneno
Imbuit, & cœco perdit amore ſui.
Huic omnes ſe ſubmittunt, & ſæpius ante
Quam ſit homo, magnus creditur eſſe deus.
Qui deus eſt, iam nec melior nec maior haberi
Poſtulat, alterius nec ſibi quærit opem.

ΧΑΡΙΣ ΑΧΑΡΙΣ.

SVnt benefactores, veterem qui prorſus amicum
Cui bene quid faciunt, ſemper egere volunt.
A nutu ipſorum ſolo quo pendeat ille,
Quo ſine nil tentet, quo ſine nil faciat.
Ergo ſupercilium tollunt graue, quin nec amari
Sed metuī cupiunt, & ſua laude vehi.
Si non cuncta probes, ſi ſputum lingere nolis;
Ingrati ſubito flebile nomen habes.
Hos tu ne bene quid faciant tibi forte caueto,
Hos Charitum tanquam probra pudenda fuge.
Ex æquo ingenuos cum libertate ſodales,
Vera loqui natos, qui tolerare nequit,

Qui premit imperio, dominari aſsuetus, amicos,
Aut meritum inculcat, peſtis amiciciæ eſt.

In quartum Georgicorum.

HActenus aruorum cultus, vlmiq́; labores
Vitiferæ, curamq́; boum, celeriſq́; caballi
Hauſimus effigiem diuini è fonte Maronis.
Vltimus eſt apibus labor impendendus: earum
Vt mores, regna, alueolos, examina, cellas,
Magnanimosq́; duces, populos, & prælia noris.
Suſpicienda equidem leuium miracula rerum;
Me duce carpe viam, poſtremamq́; aſpice partem
Admirandi operis: nec quæ traduntur in illo
Intellecta prius quam ſint, neglecta relinque.
Crede mihi ambroſios ſpirant hic omnia flores,
Mellifluosq́; fauos, & amantes mella meliſsas,
Quas imitare libens, ignauos deſpice fucos.

Nicolao Notbrechto.

Quod populum uincas, quod cuncta pericula fran-(gas.
Conueniens rebus nomen et omen habes.
Voce etenim populum veræ pietatis amore
Imbuis & vincis melleus ore tuum.
Inſidias Sathanæ mundiq́; pericula pridem
Fregiſti, & franges corda mouente Deo.
Sis felix victor populi, ruptorq́; pericli,
Perpetuoq́; tui nominis omen habe.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

D. Ioanni Cyriaco Libero Baroni Polhemio & Vuartemburgio.

MEnſis hic eſt Iani, primi tibi nominis auctor
    Qui fuit, inſignis nobilitate Baro.
Cyriaco in faſtis locus eſt, quando anteit Idus
    Vnica, quæ tibi nunc eſt hodierna dies.
Sic igitur menſis ſimul & ratione diei
    Hæc generoſe Baro vincla iocoſa ſubis:
Vincla iocoſa equidem, ſed non ſoluenda, priusquam
    Sint ſemel affuſo colliquefacta mero.

In Hamartuſium.

SI tua peccatum eſt ſubſtantia: nil niſi labes
    Eſt ſi naturæ fabrica tota tuæ:
Vſq; adeo & ſentis ſi tu hæc tua damna, dolesq;,
    Atq; alios eadem noße venena doces;
Qui fit vt in patrijs te nemo ſuperbior oris
    Viuat, & in vitij ſic ſibi labe placens?
Qui fit ſat magnos nemo vt tibi præſtet honores?
    Cunctaq; ſint meritis inferiora tuis?
Credo equidem, nec vana fides re ſponte loquente,
    Quod non ſis verbis credulus ipſe tuis.
Nam verè ex animo mala ſi cordi inſita noßes,
    Non eſſent faſtus tot documenta tui.

In ima-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In imaginem Eſaiæ Hofmanni.

Eſaias Hofmannus Halæ florentis alumnus
Hac facie nobis conſpiciendus erat.
Cum Ducis Herulei Iuris legumq́; peritus,
Annos vixiſſet ſenaq́; luſtra duos.

In imaginem Catharinæ Goldſteniæ.

Eſaiæ Hofmanni Catharina optabilis vxor,
Vrbis Halæ gentis Chryſolithæq́; decus
Sic oculos pulcrasq́; genas ſic ora ferebat,
Dinumerans annos quinaq; luſtra duos.

Dn. Carolo Dancæo Regis Gallorum in Dania legato.

Accipe delicias non magni ſuauiter horti,
Lecta tibi noſtra paucula mala manu.
Mala boni memorisq́; animi vix ſenſile ſignum,
Qui tamen ingenua te pietate colit.
Quæ ſi grata tuo fuerint quandoq; palato,
Sæpius vt magnis parua placere ſolent:
Non mihi dic vllas tibi quas ego debeo grates,
Sed ſaltem haud pigeat te meminiſſe mei.
Namq; ego vel cineres inter tumuliq́; fauillas
Non vnquam potero non memor eſſe tui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In poemata Henrici Huſani V. CL. ad S. P. Q. Luneburgenſem.

HÆc ſunt ô proceres Huſani carmina veſtri,
Inclyta Sionijs Aonijsq; modis.
Ecquis enim non Sionios hinc ducat odores?
Si ſacra de ſacris carmina rebus amet.
Quis non Aoniæ latices hinc hauriat undæ?
Si modo Caſtalijs labra rigarit aquis.
Accipite ergo bonis animis, vultuq; ſereno,
Quod Pietas vobis, Muſaq; mittit opus.
Sic prope qui veſtræ mons calcifer imminet vrbi
Sionijs certans ſurgat ad aſtra iugis.
Sic qui prouentu patriam ſalis vbere ditat,
Æternùm Aonias fons quoq; fundat aquas.

Poëtaſtro cuidam.

CArminis auctori toties quid carmina mittis?
Pro numeris ſperas munera numnè tuis?
Cum mihi ſint numeri plures quam mittere poßis,
Nulla ego pro numeris munera reddo tuis.

In domum muſculoſam.

CVm pæne inſtantem minitantur tecta ruinam,
Tum tacitè emigrans muſculus omnis abit.
Vna etiam ſecum telam amolitur arachne,
Nulla ruinoſa conſpicienda domo.

Bellè igitur tantas hic texit aranea telas,
Hic minor & maior mus ſua regna tenent.
Indicio illorum cautus quia præuidet hoſpes,
Inſtet quod domui nulla ruina ſuæ.

In Labragoram.

En tibi Labragoram fraudis nummiq; miniſtrum,
Patronum furti, cædis, adulterij.
Quin ſcelus haud vllum eſt, quod non defendere iu-(ris
Labragoras titulo iuſtitiæq; queat.
Sic torquere igitur norit cum cerea iura;
Haud legum doctor, ſed mihi tortor erit.

In Polyphemum.

INuidia Polypheme premi te liuide clamas
Doctrina à magnis eloquioq; viris.
Cum tamen inuidiam quod vel nani excitet, inſit
Nil animo, linguæ, vulticuloq; tuo.
Nil etiam generi, nil vaſto in corpore membris,
Nil opibus, domui, criminibusq; tuis.
Per me quippe licet, perq; omnes credo licebit,
Vt ſine riuali te & tua ſola ames.
Deſine quapropter, qui te ſcire omnia credis,
Poſthac falſidico talibus ore queri.
Aut exclamabunt docti, ô graue dedecus! omnes,
Ignotam tibi vim nominis inuidiæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ripſaſpis.

EX bello incolumis rediens Ripſaſpis, ad aram
Cur ſua ſuſpendat calceamenta, rogas?
Non clypeum aut galeam, partæ monimenta ſalutis?
Qui mos ſeruati militis ante fuit:
Defendêre pedes illum, non arma vel enſis,
Nec clypeum aut galeam rettulit ille ſuam.
Ergo in defectu reliquorum, hæc dona videnti
Virtutis voluit ſigna referre ſuæ.

In Birrum.

GAudete ô Bauij, miſeri gaudete Batylli,
Qui veſtra obſcuret nomina Birrus adeſt.

In Lycum.

FAta redempturum cæſi ſe mille coronis
Clamabat Fabij, turgidus ore Lycus,
Hoc impune videns fieri. nunc illius uxor
Cum pueris miſerè pauper inopsq; ſedet.
Nec micam ſalis à tanto ſperare patrono
Ægra fame, & macie ſeminecata poteſt.
Tot nummis Lyce nil opus eſt iam morte peremptis,
Quin viuis potius ſit tua larga manus.

In Reges N. Reuſneri.

REgibus antiquis tantos dum præſtat honores
Reuſnerus, Clarij gloria certa chori:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dignus erat, cui certarent dare munera reges,
Præconi tanquam ſigniferoq́; ſuo.
Sed licet hoc nunquam fiat, (nam tempore noſtro
Rara venit Muſis gratia, rarus honos)
Ille tamen ſibi ſic peperit memorabile nomen,
Claraq́; tot vetuit nomina nocte premi.

In Vulpeculam.

BLanditur vulpes, ſed non ego credulus illi,
Peßimus eſt ſimulans ſe malus eſſe bonum.

In Diſſolutum.

NAturam expellas furca tamen vſq; recurret,
Exclamas, quoties non facienda facis.
Si tibi natiuum eſt ſceleratam viuere vitam,
Ocia ſectari, fanda nefanda loqui:
Et mihi natiuum eſt reprendere talia, teq;
Ni vitia emendes poſtmodo nolle pati.

Etymon pecuniæ.

QVod pecudum inducat pecuina pecunia mores,
Eſt brutum à bruto nomen adepta pecu.

Compedes aureæ.

AVlicus exoſam toties ne deſerat aulam,
Aurea vincla quibus detineatur habet.
Auro etiam muto vis maxima perſuadendi eſt, "
Tum quoq; quod loquitur plurima quando tacet. "

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Meſſalam.

LAurigerum ſe ſæpe vocat Meßala poëtam,
Mirificeq; ſibi dum crepat iſta placet.
Aſt ego, cum dicit lauros, intelligo laruas,
Audio Bœotum quando poëta canit.
Quin betam potius. tanti nam carmine vatis
Nil magis inſulſum, nil magis inſipidum.

Viuendum.

VIta breuis, curæ innumeræ. quid gaudia differs
Dat tibi tam parca quæ breuis hora manu?

Adulatori.

LAudari nimium, nimis eſt graue. deſine quæſo
Laudibus immodicè nos onerare tuis.

Rana crepans.

Rana boui certat, ſed nondum rupta. quid obſtat?
Diſrumpenda breui rupta putanda tibi eſt.

Diſcidium amicorum.

NON viuit, fido quisquis priuatur amico,
Dimidium ſiquidem perdidit ille ſui.

In Galateum Io. Caſæ.

QVisquis es, exiguum quamuis ne ſperne libellum,
Tu quoq; quod fugias quodq; ſequaris habet.

In colle-

In colloquia Scholaſtica Maturini Corderij.

QVid puerum bene moratum, ſermone latinum,
Et vero faciat corde animoq́; pium:
Prudentem quid dedeceat deceatue magiſtrum
Melliflua liber hic cum grauitate monet.
Qui ſi acri ſtudio ſæpe euoluetur vtrisq;,
Non labor hic expers vtilitatis erit.

D. BVGSLAVO Pomeraniæ Duci opt. & illuſtriſsimo, de libello conſolatorio.

EN tibi tam carum princeps Bugslaue libellum,
Excuſum nitidis in tua vota typis.
Cum conſorte pia quo felix vtere, Chriſti
Et patriæ flagrans totus amore tuæ.
Sic verè Bugslauus eris, qui numinis inſtar
Sit robur populi confugiumq́; ſui.

Henrico Belouio viro nobiliſs°, & Mareſcalco Regio.

ACcipe Burenij et noſtros quos mitto libellos,
Magne vir, & regis dextera fida tui.
Quos volo non alia nobis mercede rependi,
Quam iuuet vt faſtos vox tua fida meos.
Sicubi ſe dederit felix occaſio, vt illos
Commendare nota de meliore queas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Non deerit ſtudio huic Caâſa optimus ille patronus
Varniadum, & ſtudijs anchora ſacra meis.
Nec faſtos regi indecores regnoq; futuros,
Indicio poterit Iulius eſſe meus.
Quem ſi oculis vnum videat rex inclytus æquis,
Non operi poterit non bonus eſſe meo.
Quod ſi ſpes nulla eſt, vanumq; inſumo laborem,
Id quoq; ſi ſcribes, muneris inſtar erit.

In Lyciſſam.

INfanti dare quod nequeat læſo vbere mammam,
Sollicita eſt miris torua Lyciſſa modis,
Nutricum incuſans vitam, moresq; pudendos,
Quos puerum non vult imbibere ante diem.
Eſto animo bene compoſito mea quæſo Lyciſſa,
Nil cauſæ eſt tantum cur doluiſſe velis.
Nam nulla eſt mulier, lupa nulla, nec vlla leæna,
Cuius lac poſſit plus nocuiſſe tuo.

In Raſos.

CVr caluos per ſe Monachos quandoq; futuros,
Raſura caluos reddere Papa ſinit?
Caluitij cauſam nouit pater ipſe phalanthus,
Eunuchum & caluum quid vetet eſſe, videt.
Quocirca ut melius monachorum furta premantur,
Sponte quod hinc fieret, iam fieri arte iubet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Zoilum.

CArmina quid rodis non intellecta Sabelli?
Optima tene vnum ſcribere poße putas?
Quę tibi nulla placent alijs fortaſſe placebunt,
His præiudicio ne grauis eſto tuo.

In inſignia cœnaculi Samuelis Caloandri.

IStam cum venit Samuel Caloander in vrbem,
Hæc rerum facies hic ſtatus vrbis erat.
Paſtores populo hi præerant, ludoq; magiſtri,
Hos vrbs, hos habuit curia celſa patres.
Chriſte tua defende vrbem bonitate, nec illam
Moribus à priſcis degenerare ſine.

In male ſibi conſcium.

VT canis in reliquo mordax grege verbere læſus
Latrando eſt index vulneris ipſe ſui:
Sic qui ſe excuſat non accuſatus, eundem
Quid dubitas dicti criminis eſſe reum?

Epilogus.

HIc quoq; ſi pungi noſtro te carmine credis,
Conſcia mens damnet quod tua facta, doces.
Hanc igitur non me accuſa: ſi viceris iſta
Iudice: nil hic quod lædere poßit, erit.
Sed neq; carminibus tibi tantam aſperſero labem;
Quantam ipſi proprijs tu tibi criminibus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

NATHANIS CHYTRÆI
VARIORVM ITINERVM LIBER,

auctus & recognitus.

AD ILLVSTRISS. PRINcipes, D. Iohannem Fridericum, D. Bugiſlaum, D. Erneſtum Ludouicum, FRS. Stettini & Pomeraniæ Principes, dominos clementiſs.

VT Deus ætheria ſapiens & iuſtus in arce,
Eſt clemens ſimul, & victa placabilis ira:
Sic Princeps bonus, æterni qui regis imago eſt,
Illiusq́; vices ſubiecto ſuſtinet orbe,
Virtutum radijs in mundo fulget ijsdem.
Ille Dei munus, terræ admirabilis, heros
Sidereus micat, & ſceptri fulgore coruſci
Eminet: illum omnes cum relligione verentur,
Agnoſcuntq́; ducem, & faciles lætiq́; ſequuntur.

Ille

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ille manu pacem placida, legesq́; tuetur:
Armataq́; idem bellum, ſæuosq́; tumultus,
Affectu cohibet patrio. quo ſoſpite, ſoſpes
Gens ſubiecta manet: tenerosq́; educere natos
Læta poteſt, veræq́; ſuos pietatis amore
Imbuit, & vitæ ſpecimen proponit honeſtæ.
Hinc quandoq; bonos ſperat ſibi patria ciues:
Templa vigent: florent ſegetes: mare, flumina ri-
Lætitia exultant Muſæ: pax aurea regnat: (dent:
Prælia communes, ſi ſint, vertuntur in hoſtes.

O te felicem, Pomerania, terq́; beatam!
Cui tales virtute duces ſator optimus orbis,
Eximios multosq́; dedit. quid clarius illo
Munere, quo toto nihil eſt optatius orbe?
Quis veſtri patris, ô claræ ſacra lumina gentis,
Materni qui nomen aui mentemq́; Philippi
Rettulit, immenſo laudes ignorat in orbe?
Facta Bratislai, Barnimi encomia magni
Quem lateant? an magnanimi quis neſcit Erici
Sceptra? quater denos quibus inuictiſsimus annos
Danorum imperium tenuit, Sueonumq́;? quis unquã
Virtutes proaui vt par eſt, deſcriberet? hic eſt
Ille Bugislaus, qui præſtantiſsimis armis,
Virtutem comitante ducem felice laborum
Succeſsu, erexit patriam, priſcoq́; vigori
Reſtituit, ſero princeps memorabilis æuo.

Ecquid

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ecquid vbi auditis, veſtrorum ſplendida patrum
Nomina, victriceſq; manus, exemplaq; vitæ,
Sentitis tacitas generoſo in pectore flammas?
Naturæ ſtimulos magnæ, & ſplendoris auiti,
Macte animi virtute, pares maioribus olim
Sic eritis, quorum fauſto veſtigia greſſu
Vos cum laude ſequi, varijs iam rumor in oris
„ Spargitur. vt celſis nocturna in turribus ardens
„ Flamma latere nequit: ſic lethi neſcia virtus
„ Emicat, & magnum radios diffundit in orbem:
„ Sollicitoq; ſui multos accendit amore.
In quorum numero non me poſtrema tenere,
Teſtis erit tenuis, vobis quem mito, libellus,
Egregij bonitate duces. deſcripſimus illo,
Anglorum, Galliſq; procul, regniſq; vetuſtis
Italiæ, & reliquas paſſim quæ viſa per vrbes.
Quæ quia vos illis ipſi ſpectaſtis in oris:
Atq; his plura quidem (quis enim ſe conferat illis?
Cuncta quibus recluſa patent, paſſimq; per orbem
Quos omnes merito faciles dignantur honore.)
Non ingrata eadem vobis fore miſſa putaui.
Si placet ergo meis faciles dare verſibus aures,
Audijt e cathedra noſtrum quos ante Lyceum:
Accipite hæc, fortiq; manu defendite, veſtro
Tuta patrocinio ſi ſint, nihil amplius optant.

ITER PARISIENSE.

AD veteres iam nunc operas, ſolitosq́; labores
Cùm redeam, mediterq́; nouis exordia cœ-
Vt mos eſt, vſusq́; ſcholæ, tempusq́; requirit: (ptis,
Curriculum tibi docta meum recitabo iuuentus,
Fortunamq́; viæ, Belgas, regnumq́; Britannum
Dum peragro, Gallosq́; adeo, gentesq́; remotas
Italiæ, patriæq́; meæ dum tecta reuiſo.
Vos, ſi iuſta peto, facilem ſermonibus aurem,
O iuuenes adhibete meis, iuuenumq́; magiſtri,
Doctores patresq́; ſcholæ. faſtigia rerum
Summa ſequar: breuitas cùm temporis omnia vobis
Commemorare vetet, nec opus ſit ſingula dici.
Tempus erat, dux ſigniferi cùm portitor Helles
Lampade Phœbea candens, aperire rigentes
Incipiebat agros, & prata virentia lætis
Graminibus, ſiluasq́; comis veſtire tenellis,
Quando iter ingrederer, ſocijs comitatus amicis,
Supremoq́; vale dicto, curruq́; receptus,
Cum gemitu tales effudi ad ſidera voces.
Longum iter incipio, nec quo me fata reducant
Tempore, quæq́; meos maneat fortuna labores,
Præuideo: dux Chriſte, meos tu dirige greſſus.
Vos quoq; Varniades quondam mea gaudia Muſæ,
Si vos mente pia colui: proſtratus in vmbra
Arboris, ad veſtras ſi quando carmina ripas

Cantaui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cantaui meditans: veſtros ſi fidus honores
Aſſerui quandoq;, meas audite querelas,
Rectoremq́; poli precibus placate profuſis,
Soſpes vt ignotis vitam traducere terris,
Mente valens, ſaluiſq; queam cum corpore rebus.
Tunc ego corde pio vobis, quas debeo grates,
Perſoluam, & veſtras quæ ripas quercus inumbrat,
Quercus amata mihi, & noſtræ non inſcia vocis,
Hunc gladium, leueſq́; ocreas, poſitumq́; galerum,
Pro reditu voti ſuſpenſum munus habebit.

Doberanum.

Dum loquor antiquis Doberanum nobile tumbis
Heroum procerumq́;, domus Megapyrgia quondam
Ex ſe quos genitos patrijs hîc intulit vrnis,
Templaq́; cernuntur Bernardi ſacra cucullo
Quondam, nunc ſummi laudes reſonantia Chriſti.
Nos ducibus, qui nunc Herulos Henetoſq́; gubernant
Ioanni Alberto, quo non præſtantior alter
Doctrina: & fratri Vlrico virtute fideq́;
Eximio, optantes longæui Neſtoris annos

Viſmaria.

Pergimus vlterius, Viſmari donec in vrbe
Siſtimur, Oceanus portum qua Balthicus ambit.
Et nocte optata recreamus membra quiete.
Mane nouo, dum templa vrbis & cætera luſtro.
Hoſpes, vt humano cunctis affabilis ore eſt,
Commemorat factum horrendum, vicinia cuius
Conſcia ſit, quanam dæmon ratione puellam

Obſcenam, & Veneri petulantius indulgentem,
Sub iuuenis ſpecie, in tenues auexerit auras,
Præcipitemq; iterum fœda impuraq; palude
Merſerit, exanimem pæne, incertamq; ſalutis.
I nunc obſcœnis iterum te pollue furtis.
Poſtera lux Gryphisq; molam, Vuagriæq; vetuſtæ Gryphiswaldia
Flumen Vachneſiam, Trauoq; adiuncta Lubecæ
Mœnia conſpicienda dedit. non pulchrior illa
Splendidiorue urbs eſt, quæ ſit mihi nota ſub axe
Arctoo, ſiue exſtructas certo ordine ſedes,
Naturamúe loci ſpectes, amplumúe ſenatum.
Seu tibi diuitiæ, repletum & mercibus æquor
Omnigenis, vallumq; altum, foſſæq; profundæ,
Aut placeant horti, & cœlo minitantia tecta.
Lucibus hîc tribus exactis, cum pergere cœpi,
Me cauto iubet ire gradu gens ruſtica, quendam
Hoc referens cecidiſſe loco, à prædone peremptum,
Egregium iuuenem, reditum cum ad tecta pararet
Patria, quæ longis abſens non uiderat annis.
Venimus hinc cinctam lacubusq; et flumine Mollam. Molla.
Scurra ubi, cui ſpeculum fulgens, & noctua nomen
Attribuére, humili recubat tumulatus in urna.
Illius impuras noſtro quoq; tempore nugas,
Obſcenosq; ſales, Charitum non munere tinctos,
Vulgus amat, ſtulta ut ſtultos laudare videmus.
Curru ibi conducto mediæ ſub tempora noctis
Euehimur.

Euehimur, notum aurigis loca namq; per illa
Sic iter eſt, & equi toties triuere viarum
Curriculum, vt nil luce egeant, aut ſidera curent:
Dum tamen egreßis trepidante tonitrua cœlo
Miſcentur; ſonituq; horrendo & fulgure, ſtßi
Conſternantur equi, & contranituntur habenis.
Aßuetasq; vias fremitu impatiente relinquunt:
Vectores vtrinq; timent, curruq; ruente,
Ne fracto temone cadat, lapſuq; rotarum
Crusúe pedemúe gemat læſum; ſe quisq; tueri
Nititur, & trepido ad ſaltum ſe præparat auſu.
Sed Deus abſterſis nebulis, & murmure pulſo,
Mox faciem cœlo placidam dedit; ipſaq; nubes
Paulatim roſeis pellens aurora quadrigis
Prodijt, hinc facili curſu via tota peracta eſt.
Ad rapidi donec ripam peruenimus Albis:
Lunæburgum Quo rate traiecto, celebratæ ad mœnia Lunæ
Peruigili nocte, & madido ſimul imbre grauati
Venimus, excelſus dictæ mons imminet vrbi,
Caſtellumq; ſuper, quo nulli accedere præter
Patritios vigilesq; licet, qui nocte dieq;
Illic è ſpecula veluti confinia luſtrant
„ Arua, nec optato tradunt ſua lumina ſomno,
„ Vt tutus poßit dormire per oppida ciuis.
Illius in montis radice, ligonibus vncis
Materiam calcis fodiunt, quam ſi ignis adurat,
Fabri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Fabriliſq; manus qua par eſt præparet arte;
Conſtringit lateres, & ſaxa ingentia nectit.
Templorum hinc tantas ad ſidera ſurgere moles,
Et procerum vaſtas muniri cernimus ædes.
Hoc miræ rationis opus, quod protinus ignes,
Calx nondum macerata, parum ſi infuderis vndæ,
Concipiat flagrans; oleiq; aſpergine vires
Exuat igniferas: oleum cum nutriat ignes;
Sitq; nihil liquida flammis odioſius vnda.
Vidimus hic etiam veteri ſub tegmine fontem
Antiquum, certo quem temporis interuallo
Salſus aquæ riuus terræ per viſcera labens
Implet, vt Arctoïs donet ſua munera terris.
Hoc vbi ſenſerunt curæ quibus illa, repente
Ad fontem accurrunt, & nudi membra labores
Incipiunt. alij ſuprema in parte locati,
Funibus affixam demittunt deſuper vrnam:
Demiſſam complent alij: rurſum ille repletam
Extrahit: hic alio effundit, vacuamq; remittit,
Incumbens vicibus certis operi atq; quieti.

Parte alia tectos nigra fuligine poſtes,
Diſtinctiſq; caſis, quadrata & plumbea vaſa
Conſpicias, quæ cum ſalſus compleuerit humor,
Vectus eò de fonte canalibus: additur ignis,
Quo percocta coit feruens ſalſugo, nitetq;,
Concreſcitq; niui ſimilis, tandemq; ſub æſtu

Sal ſit, aromaticis magis utile condimentis.
Viſitur hic etiam tabula imo condita templo,
Puro auro gemmisq; grauis, iucundaq; uiſu,
Supremum pulcris decorans altare figuris.
Nec procul hinc pagus quondā vrbs ampliſſima (Ro-
Mœnia cum nondum deſignauiſſet aratro [ma
Bardowicu Romulus) aſpicitur Bardi cognomine uici
Nobilis, & uitreo quem paruulus Elmena lambit
Flumine, nunc ueteres tantummodo parua ruinas,
Et pro diuitijs amplis, & diuite cenſu,
Monſtrat olus, cæpas, hortos, camposq; feraces,
Percipit unde ſuos ſterilis uicinia fructus.
His ita luſtratis, exorta luce ſequenti,
Per uada perq; uias, rapidus quas Albis inundat,
Hamburgum Tendimus Hamburgam, celeri quam tangere curru
Nox uetuit. uicino igitur deſcendere pago
Compulſi, ingredimur quæſitas hoſpitis ædes,
Milite ubi ebriolo & ſcurris tectum omne ſonabat,
Clamore abſentes feriunt dum fortiter hoſtes,
Ignaui ſi res manibus peragenda fuiſſet,
Euacuare magis cyathos & pocula prompti.
Proximus ætherios, cum ſol dimouerat ignes,
Ingreſſi Hamburgæ celſas cum mœnibus arces,
Templaq; turritasq; ædes, populoſaq; tecta,
Muſarumq; domos amplas, puerosq; frequentes
Vidimus, & plenas diuerſis mercibus ædes.

Hoc mirum Oceanus certis quod turbidus horis,
Luna prout vario radiorum lumine ſulget,
Nunc propere metam egrediens exæſtuat, Albi
Se muſcens, nautisq́; vias & lintra pandens:
Nunc iterum refluus limoſos deſerit alueos,
Accedens vicibus certis iterumq́; recedens.
Huius dum cauſas æſtus inquirere conor,
Exoritur ſubitus nautarum clamor ad Albim
Iam creuiße vndas; diſceßurosq́; repente
Accelerare iubent. orti cum lumine ſolis
Ergo ratem ingredior; ſed flabra remittere venti
Quamprimum inciperent, mox nautæ incumbere re-
Ordine quemq́; iubent, ad Stadæ mœnia donec (mis Stada.
Remigio feßi, iam deficientibus vndis
Appulimus. ſordes propter limumq́; marinum
Vix nauim egreßi, potu recreare ciboq́;
Se incipiunt comites, mox indulgere quieti.
Hinc nos aurigæ, petulans genus, ire paratos
Detinuere diu, precium dum grandius vrgent.
Sed tandem ad veteres Vordenſis præſulis arces Vorde
Nos duxere tamen, curru properante per arua.
Hic duris epuiis paſti, ſcamnoq́; cubantes,
Dum rixas auriga mouet, nubesq́; repente
Fulminaq́; pluuiasq́; cient, cœlumq́; remugit,
Duximus inſomnem crebra inter iurgia noctem.

Nondum exortus erat fons luminis auricomus ſol,

Cum queruli aurigæ curru trepidante leuati.
Inter arenoſos ſaltus, & luſtra ferarum,
Et ſparſas hinc inde caſas, deſertaq; teſqua
„ Euehimur pluuia madidi. ſed vindicis ira
„ Iudiciumq; Dei ſceleratos omnibus horis
„ Inuenit, vt malè parta iterum male perdita plorent.
Improbus auriga, iniuſtum qui nocte priori
Rixando precium multis extorſerat horis,
Inq; peregrinos fuerat plus ſæuior æquo;
Perdit equum, pede luxato cui crura dolebant,
Nequidquam plorans, ſero & medicamina tentans.
Ipſe etenim quia pactus erat de tempore certo,
Quo niſi Bremenſi vectos non ſiſteret vrbe,
Mercedem acciperet nullam: properare coactus,
Diſiuncto exanimi, reliquos vrgere flagello
Incipit acer equos, ad propugnacula donec
Brema. Ventum erat, & Bremæ vicina fluenta Viſurgis.
Murorum hîc gyros amplos, vaſtumq; Rolandum
Munitaſq; arces, & ſplendida templa videntes,
Ingentemq; rotam, quæ fluminis impete mota,
Mirando inuento, vicinos vndiq; fontes
Implet, aquis tacitè ſubterlabentibus vrbem:
Diximus ô quanto meliori ſorte vigeres
Brema, tuos adeò ſi non diſcordia ciues
Vexaſſet pridem, multas quæ perdidit vrbes!
Proximus ad medium, cum ſol peruenerat axem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ponte Viſurgi tuo Bremenſiq́; vrbe relicta,
Ad Delmorſtani Comitis contendimus arcem Delmorst
Munitam egregiè: nec abeſt procul inde ferarum
Saltibus & ludis varijs accommodus hortus,
Arboribus denſus, ſepto & circumdatus alto.
Vix hoc præterito, rubicundum igneſcere cœlum
Incipit, & pluuias tempeſtateſq́; minari,
Vicinæ ergo caſæ maleolentia tecta ſubimus.
Cunctorum hic hoſpes quorum indiget vſus inanis,
Nil atrum præter panem, tenuemq́; liquorem
Vi Cereris vacuum, multum tamen ante rogatus,
Appoſuit vultu toruo. Sub tempora noctis
Corpora demeßo condentes ſtramine, laßi
Ieiuniq́; ægrè lucem exſpectauimus ortam.
Inde paludoſos & iuncis vndiq; denſos
Ingreßi campos, ſuperatoq́; aggere, tandem
Arcem antiquam vrbi iunctam, comitumq́; vetuſtas
Aldemburgorum ſedes acceßimus, vnde Aldenburg
Inclyta Danorum regum deſcendit origo.
Poſtera lux oriens quamprimum affulſerat orbi,
Sarcinulis curru meum ſocijſq́; leuatis,
Per vada, Phryſiacas tendo nouus hoſpes ad oras.
Interea crebræq́; arces, foßæq́; profundæ,
Viſaq́; ſanguineis tormenta accommoda bellis,
Et binæ Comitum ſedes, quarum altera meta eſt
Aldemburgiacæ regionis; at altera Phryſis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Grata domus, belli oſtendens monimenta peracti.
Hinc Amaſis fluxu nobis ventiſq; ſecundis,
Embda. Felici Embdanæ curſu ratis appulit vrbi,
Vrbi olim pago, at noſtris quæ clarior annis
Emerſit, magniſq; opibus domibuſq; venuſtis,
Æquiparare poteſt vrbes & vincere multas,
Hoc illi merces, maris & vicinia præſtant,
Hîc quoq; quod lunæ refluit ratione fluitq;.
Phryſia. Hîc comes Eöi lateris quem Phryſia iactat,
Extruit egregias medijs in fluctibus arces,
Atq; ſepulturas maiorum impenſius ornat.
Quid fluuios pingueſq; lacus, hortoſq; feraces
Commemorem? latè quibus vndiq; cingitur Embda;
Iſtis tota ferè cum Phryſia pinguis abundet.
Inprimis illas ſunt paſcua læta per oras,
Menſibus æſtiuis: nam pinguia prata quotannis
Occupat excreſcens ſæuum mare, totaq; pæne
Phryſia tecta latet ſub aquis, hiemalibus anni
Partibus, aut glacie niuibuſq; adoperta rigatur:
Æſtate vt lætis redeant ſua dona caballis,
Armentiſq; boum nunquam ſua pabula deſint.
Mane tumens cum rurſum Amaſin cõpleuerat æſtus,
Soluimus & vehimur, primo nos veſpere donec
A viridi introitu (ſic aiunt) nomine dicta
Vrbs clara excepit, cuius ſi mœnia latè
Circumeas, planis lætiſsima paſcua campis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vndiq; conſpicies ; ſed ſi te torreat æſtus,
Arboreaſq́; vmbras quæras gratoſq́; receßus;
Non illis tibi ſæpe locis vel ſilua vel vmbræ
Occurrent, licet hortorum ſit copia maior:
Tanta eſt planities, nemorum tam rara propago.
Illis vt vituli pingues paſcuntur in aruis,
Prægrandeſq́; boues prata ut mugitibus implent;
Templa ſacerdotum ſic & reſonare boatu,
Atq; cucullig eræ videas clamore cateruæ.

Phryſonum egreßi fines, Suollaq́; relicta,
Ad prius auriferi cornu inſuperabile Rheni
(Nunc Iſulam veteri mutato nomine dicunt)
Venimus, excreſcens illic qui limite rupto
Vaſtat agros, ſtrataſq́; vias & compita ſoluit.
Hac dum per ſegetes in aquis hinc inde natantes,
Triſtis eo, vanoſq́; anni deploro labores:
En illis etiam vicina Dauentria ripis Daventriã.
Oſtentare domos & turres incipit altas.
Hîc ſchola grata fuit, qua tot docuiſſe ſciebam
Egregios virtute viros, celebreſq́; magiſtros,
Murmelium, doctumq́; Hegium, clarũq́; Rodolphum
In varijs quorum celebrantur nomina terris.

Hinc per Menapios, Iſulæ iam ponte relicto,
Ruraq́; martigenis quandoq́; habitata Sicambris,
Et Batauos penè immerſos acceßimus vndis.
Scilicet hos ingens ſua poſt diuortia Rhenus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ambit, & obliquo penetrans hinc inde meatu,
Cuncta madere facit tractu concluſa paluſtri.
Hinc tellus rara, & pondus ceu ſentiat, ictu,
Impulſuq; pedum tremit, ac ſubſidit anhela,
Et ſuſpenſa natanſq; velut concuſſa vacillat,
Terram hanc non terrā ut merito quis dixerit olim.
Nec malè quòd caua ſit Germanum nomen adepta
Clara locis illis, plano Amersfortia campo (eſt.
Cernitur. hinc hortos, & ſiluas inter, amœnas
Sacrificûm ſedes Vltraiectina ſubimus
Mœnia, pars Rheni ſecto quæ perfluit amne.
Fortia cum vaſtis hic propugnacula foſſis
Viſuntur, belli & veteris monimenta tumultus.
Paſcua per, riuoſq; inter, properante caballo,
Mane nouo lautum perreximus Amſterodamum,
Diuitijs, turbaq; hominum, varijſq; ſuperbam
Mercibus, & medijs fundatam in fluctib. vrbem.
Nocte iterum pulſa, Harlemum contendimus, illic
Iunius Aonio decus indelebile fonti,
Omnigenis hominum morbis cum laude medetur,
Qui mitis, faciliq; bonis affabilis ore,
Multa mihi oſtendit propenſi ſigna fauoris:
Diuerſoſq; libros, & carmina docta volenti
Conſpicienda dedit, numeris arguta ſonoris,
Vir bonus & longæ vita digniſſimus æui.
Mox pagus, multas ſuperans ſplendoribus vrbes,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ingenioq́; ſui vatis, Muſiſq́; Secundi
Nobilis, Haga ſubit. denſum nemus imminet illi,
Cui vicina domus, proceres vbi, turbaq́; iuris
Conſcia, delatas aptè decidere cauſas,
Hollandæq́; ſolet lites componere gentis.
Quiſquis es, armatus tecta hæc accedere noli,
Iuſtitiæ hîc domus eſt, à qua vis exulat omnis.

Venimus hinc Delphos, iſtis regionibus vrbem
Egregiam longamq́;. illinc mox Roterodamum Roterodam
Nauicula auecti, paucis exponimur horis:
Eſt ibi parua domus, magnus qua natus Eraſmus.

Hîc recreati epulis, vento de nocte ſecundo
Dordracum ſero appulimus. dein mane Vahalis
Siue Moſæ potius (tot enim iam cornua Rheni
Nominibus gaudent) tranſiuimus oſtia, per quæ
Flumineæ æquoreis miſcentur fluctibus vndæ.
Olim hic terra fuit curſu peragenda pedeſtri,
Quæ iam tecta mari, naues & vela requirit,
Vſq; adeo miſeris nihil eſt durabile terris.

Tungrorum hîc veteres monſtrare Brabantia ſe- Brabantia
Incipit, vt Buſcum primo deuenimus: inde (des
Rixoſum genus aurigæ, per compita, rhedis
Nos curſu trepidante vehunt, Antuerpia donec, Antverpia
Hic vbi nauigera Scaldis ſe proluit vnda,
Oſtentare procul nitidas ditiſſima turres
Inciperet, vallumq́; altum, foſſasq́; profundas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hîc homines varijs mundi regionibus ortos,
Hiſpanos, Italos, Gallos, cultosq́; Britannos,
Omnigenasq́; orbis merces, artesq́; per vrbem
Omnimodas, ſtudiumq́; lucri, populiq́; labores,
Miratiq́; domum inprimis, quam tempore ciues
Exiguo, magnis ſed ſumptibus extruxerunt:
Viſum eſt hîc aliquot ſpeculando inſumere luces.
Flaminij tandem docti mitisq́; patroni
Auxilio adiutus, quo non humanior alter,
Nec melior, cultas Gallorum accedere terras
Conſtitui. Prima ergo die Mechlinia diues
Nos lauta excepit menſa, gratoq́; cubili.
Oſtenditq́; locum, reliquis vbi iura Brabantis
Dant proceres, plenamq́; ipſam pictoribus vrbem.
Poſtera Muſarum ſedem, collegiaq́; ampla
Louanij aſpicienda dedit, numerumq́; frequentem
Doctorum et iuuenum, Phœbi qui caſtra ſequuntur.
Quòd ſi relligio & pietas ibi purior eſſet:
Nec nugis nodisq́; ſuis ſacra ſcripta ſophiſtæ
Polluerent: dij quot medicos legumq́; peritos,
Et ſophiam magno ſtudio linguasq́; docentes
Gratum audire foret! fontis quin Delia riuos
» Vinceret Aonij: ferme ſed triſtia lætis,
» Fœtida odoratis, miſcentur ſordida pulcris.
Finibus excedens Grudijs, mox imbre cadente
Proceſſi madidus, primo me veſpere donec

Excepit

Excepit Bruxella, ſacras vbi Cæſaris arces Bruxella.
Vidimus, adiunctoſq; hortos muro vndiq; cinctos,
Tam magno ſpacio, vt ſiluas & luſtra ferarum,
Vitiferoſq; vna colles, fonteſq; lacuſq;,
Prataq; contineant. multas hic vndiq; damas,
Capreolos, leporeſq; leues, ceruoſq; fugaces,
Diuerſi & generis volucres, plantaſq; tenellas,
Cretenſiſq; nouum ſpecimen videas Labirynthi.
Hac olim magni moderator Carolus orbis
Sede libens vixit: proceres hîc vndiq; multi
Confluxere olim, pacem auxiliumue petentes.
His duce Flaminio viſis, qui commodè ibidem
Tunc Bruxellæ aderat: blando ſocer illius ore
Me vocat ad lautæ Schetus conuiuia menſæ,
Schetus Appollinei cultor tutelaq; fontis,
Cæſarei præſes fiſci, tituloq; Baronis
Clarior: hic & Cubelio præſente, viriſq;
Nobilibus placidè acceptus, quin inſuper auctus
Munere, mox reliquam viſu quæ digna per vrbem,
Veſalij imprimis ædes acceßimus amplas,
Auraicæq; ducis palatia ſplendida: quin &
Iuſticiæ ſuprema domus regionibus illis,
Ex qua non fas eſt vltra procedere lites,
Spectata eſt, vicina foro. tribus inter amicos
Luciferis hic exactis, cùm pergere cœpi,
Hannoniæ tetigi fines, vbi Gallica lingua Hannonia.

Auditur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Auditur primo, intento diſcenda labore.
Venimus et Bergas, vrbem amplam: hinc Neruia pu-
Et poſt Atrebatûm fines, Arteſia viſa eſt: (bes
Ad Samarobrinæ (Cameracum hoc tempore dicunt)
Donec nos veteres duxit lux altera turres,
Deſeßos longaq́; via, ſolisq́; calore.
Iulius hîc olim hiberno ſua caſtra locauit
Tempore, conuentusq́; egit. non magna Papamæ;
Sed munita benè, oſtendit lux proxima nobis
Mœnia, ſub noctem donec vicina Peronæ
Hoſpitium Ancra dedit miſerum, durumq́; cubile.
Inde Picardorum ſegetes, camposq́; feraces,
Et ſimul Ambianum, Somiæ quod flumina findunt,
Conſpicienda dedit celſi faſtigia templi,
Mirificis ornata modis. fulgente ſarißa
Hîc chlamydem ſecuiße tuam Martine putaris,
Factus & armato præſtans è milite doctor.
Quin cum Fernelio, clarus quoq; Siluius olim
Editus hac patria eſt, Muſarum hîc fontis, at ille
Fama Machaoniæ princeps & maximus artis.
Mox à Bellouacis & Claro monte relicti,
Nocte Dionyſio ſacram ſuperauimus vrbem,
Hîc vbi Francorum veteres longo ordine regum
Cernuntur ſtatuæ & tumuli, de marmore partim,
Partim alabaſtrite exſculpti, titulisq́; notati.
Hîc Dagobertus, opes illam qui primus in ædem

Contulit, & tantæ poſuit fundamina molis,
Coniunctaq; iacet Ludouicus filius vrna.
Quem prope Martellus, tuus et cum coniuge Bertha
Carole Magne parens Pipinus, & inclytus olim,
Rex Capetus, reliquiq; cubant, veteresq; nouiq;
Francigenæ qui ſceptra domus regniq; tulerunt,
Hîc quoq; theſaurus gemmis auroq; relucens,
Hic regis ſceptrum, hic gladius, fulgensq; corona,
Pluraq; cernuntur, quàm noſtro vt ſingula dici
Carmine deſcribiue queant: opulentia regni
Hinc Franci, & veterum penſatur gloria regum.
Quin animalis opes rari, à quo nomen adeptum eſt,
Octo pedes altum, præacuto cuſpide cornu
Tortile conſpicitur, fuluo precioſius auro.
Æde ferè media Chriſti pendentis imago
Ex auro ſolido & puro, & crux aurea, mole
Dependet magna. tua quin caluaria ibidem,
Sancte Dionyſi, aſpicitur, circumdata cruſtis
Aureolis, & beryllis fulgente pheretro.
Hæc vbi viſa forent, epulisq; meroq; refectis,
Exoptata diu ſe monſtrat Sequana nobis.
Nec procul hinc, celebris ſummæ mons adiacet urbi,
Caſtellumq; ſuper retinens à Martyre nomen:
Ex quo ſpectandam ſe magna Lutetia præbet:
Vrbs orbi ſimilis, toto & celeberrima mundo.
Huc nouus hoſpes ego ſolito cùm more venirem,

Nominis

Nominis inquirens cauſas, vetereſq; colonos:
Quidam ait, hic locus eſt, martyr Dionyſius olim
Quo gladio caput abſciſſum, mox ſuſtulit ipſe,
Geſtauitq; vlnis procul hinc, vbi nobile templum
Alter ab vrbe lapis cenſu prædiuite iactat.
Hæc credat quicunq; volet. mea gaudia Muſæ
Sequanides, doctiq; viri, celebreſq; magiſtri
Æternum ſaluete mihi, palatia fauſto
Sint mihi veſtra gradu, pedibus nec tacta ſiniſtris,
Fas mihi vobiſcum multos ſit viuere menſes,
Doctrinaq; frui veſtra, verbiſq; diſertis,
Lutetia metropolis Franciæ. Muſarum ſedes regina Lutetia ſalue:
Francigenæ tu metropolis pulcherrima gentis,
Hoſpitio regem grato regiſq; miniſtros
Excipis, & reliquas das iura ſuprema per vrbes.
Quis ciues populoſa tuos? quis condita iuſſu
Carole magne tuo, doctis collegia Muſis?
Aut iuuenes numerare queat, legumq; peritos
Cauſidicos? recitare loci quis commoda poſſit?
Ipſe bipartito rapidus te Sequana curſu
Diuidit, & gemino circumdatur Inſula tractu,
Inſula mirandis adeò quæ pontibus vrbi
Iungitur, ut niſi præmonitus, dignoſcere pontes
A vicis nequeas reliquis, ſic omnia miris
Ædificata modis; ſic ceu tellure locatæ
Stant vtrinq; domus, gemmis auroq; repletæ.

Sequana

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sequana ſed tacitis has ſubterlabitur vndis.
Omnibus in magnæ ſtrepitum quid partibus vrbis?
Obſtanteſq; adeo turbas, greſſuſq; morantem,
Sint completa licet totis habitacula vicis,
Commemorem? obſtupui fateor, quando omnia vidi
Totis plena foris, & proclamata ſubinde
Hic quæcunq; velis cornu tam diuite fundi.
Quæ ſi cuncta canam, quot habet Sorbona ſophiſtas,
Aut citius Monachos totam numerabo per vrbem.
Clarorum tibi quid recitem monimenta virorum?
Lombardi, Sacrobuſci, doctiq; Budæi,
Atq; Cominæi tumulos, quos optimus ille
Turnebus quoq; ſuprema eſt iam morte ſecutus.
Viuit adhuc Ramus, viuit Lambinus, & auro
Auratus melior: viuit Ronſardus, & artis
Pæoniæ Duretus honor: Guillonius ipſe
Atq; Molinæus viuunt, audire voluptas
Quos mihi ſumma fuit, rebus verbiſq; potentes.

ITER ANGLICVM.

SEd iam tempus adeſt, ſiccos quo Sirius ardens
Vrit agros, cathedræq; ſilent, Muſæq; quieſcunt,
At non vlla quies nobis, ſed adire Britannos,
Oceani bibulas vltra refluentis arenas,
Iam placet. interea populoſa Lutetia, multum Lutetia discessit
Cara vale, breue tempus erit, tua quando reuiſam

Limina,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Limina, ſi curſum ſuperi reditumq́; ſecundent.
  Egreßis urbem, primo pulcherrima ſeſe
Planicies nobis offert, quam Sequana gyris
Dißecat, ut ſerpens ſeſe ſurſum atq; deorſum
Inuoluens. hos, & montem traiecimus altum,
Vnde procul ſiluæ & ſaltus ſpectantur amœni,
Oſtentatq́; humiles ibi villa Argentea turres,
Veſtis ubi Chriſti, (ſi fas eſt credere pagi
Sacrificis) capſæ, per vitrum, incluſa videtur.
Hanc ſumpta mercede mihi ſocijsq́; ſacerdos
Dum monſtrat, certis verbis & ritibus utens,
Procubuit prius, hanc panni reuerenter adorans
Particulam. pons hinc Iſaræ ſuperatus, ad illum
Sunt Nordmannorum & Francæ confinia gentis.
Hoſpitis hic & equos macros, & ephippia duro
Ex ligno fabricata, amplo conduximus ære,
Et miſerandi equites multa de nocte profecti,
Luce ſequenti ægrè concluſam montibus urbem
Rothomagum aßequimur: celeri qua Sequana curſu
Alluit Aulercos veteres, fluuialibus undis,
Oceani ſubiturus aquas, fluctusq́; marinos.
Præſulis hîc ſedes ſummi eſt, interq́; ſenatus
Septem illos celebres Gallis, non infimus, (ipſi
Parlamenta vocant) cunctas decidere cauſas,
Præſes ubi, proceresq́; ſolent, legumq́; periti,
Quorum ubi conſueto dicta eſt ſententia ritu,
Appellare

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Appellare licet nulli, lis clauditur omnis.
Templa ibi luſtrantes olim pulcherrima, diuûm
Et veteres aras, deturbataſq́; videmus
Sanctorum ſtatuas, flammaq́; ardente crematas.
Dant ſignum obducti nigra fuligne poſtes,
Atraq́; diſiecti fumo laquearia templi.
Viſitur hîc Campani æris vaſtiſsima moles
Excelſa in turri, latè ex qua cernere poſsis
Monteſq́; fluuioſq́; omnes regionis amœnæ,
Cui niſi dulce merum & vites natura negaſset,
Non facilè adiunctis cultiſsima cederet agris.
Ex pomis tamen atq; pyris ſilueſtribus, illic
Potio conficitur vini defectibus apta.

Rothomago ad Claræ primò deuenimus amnem,
Oceani tandem ſcopuloſo in litore, Diepam
Vidimus. hic olim Danos habitaſse colonos,
Scripta docent, nomenq́; vrbis denunciat illud.
Hîc nos aduerſis tenuit nox altera ventis,
Neptuno donec, placidiſq́; fauentibus auſtris,
Mota ratis, fixo pandebat lintea malo.
Protinus Oceano in vaſto, lux altera, duris,
Sub dio, in tranſtris, piceiſq́; rudentibus acta eſt.
Dum circum aſpicimus nil cœlum præter & vndas.
Interea varijs fallebant tempora læti
Nautæ exercitijs, hic vnco piſcibus hamo,
Hîc talo ſocij loculis, nummiſq́; ſtruebat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Inſidias cautus: multis cantare placebat:
Stertebant alij: ſed tu mea cura Lucreti,
Sancte pater vatum regio quos Romula iactat,
Tædia tu curaſq; tua mihi voce leuabas.
Imprudens tamen in certum me penè periclum
Conieci. hoc viuit capiturq; ſub æquore piſcis,
Qui ſimul ac ſentit manibus ſua terga teneri,
Ilicet ex pinnis virus emittit acutis,
Seq; venenatis pungens vlciſcitur armis.
Talem penè manu attigeram, dum captus ab hamo
Penderet: niſi nautarum clamore fuiſſem
Præmonitus. rediens tandem ſol tertius, oras
Optatas, Angloſq; dedit contingere portus.
Contigimus, ſed vectigal mox grande coacti
Præfectis numerare loci, cùm nauita dudum
Nos etiam haud paruo iurans emunxerat auro,
» Diximus: ô miſeram Phœbi turbæq; ſororum,
» O ſortem infauſtam! quæ veſtris ſemper alumnis
» Sunt data iura olim, non iam ſunt perdita tantum:
» Sed ſpolijs etiam veſtris diteſcere multi
» Per fas perq; nefas, ſæpe ignorantibus ipſis
» Principibus ducibuſq; ſolent: hæc gloria Phœbi
» Doctiloqui, hic honor eſt Muſis, ſine munere quarum
» Nil tamen in toto geritur laudabile mundo.
Oppidulum primo conſpectum in littore nobis
Eſt Rya, quo pranſi lautè, viſiſq; Britannis

Moribus,

Moribus, & facie pulchra, vultuq́; ſuperbis
Virginibus, menſæ ſolito quæ more miniſtrant,
Pergimus à medio cùm ſol deſcenderet axe.
Mane nouo lux orta iterum cùm cederet orbe,
Sero Londinum, admiſſo properante veredo,
Sed primo Tameſis traiecto ponte ſubimus,
Ponte graui merce omnigena, domibusq́; venuſtis.
Inſula tota aliàs plenis eſt fertilis agris,
Argentóq́; auroq́; ſimul, ſtannoq́; nitenti,
Siluoſisq́; iugis & lætis bobus abundat.
Non æſtus nocet hic pecori, non frigora pomis.
Quin & oues (hæc terra lupos quia neſcit edaces)
Incuſtoditæ per pabula læta vagantur.
Pannorum hinc tantæ moles, & pondera lanæ.
Quid tibi cõmemoremue canes, pinguesq́; caballos?
Quidue canum prædam lepores, pinguemq́; ferinã?
Quid fontes, magnis aut iunctos arcibus hortos
Lauriferos, nitidè cultos? libanotida multis
Arboribus tibi quid ſimilem, quid cætera laudem?
Quæ breuitas differre aliò me temporis vrget.
Nam niſi Bacchus eas priuaſſet vitibus oras,
(Illi cocta Ceres quamuis hac parte medetur)
Cuncta fere, humanæ quæ vitæ poſtulat vſus,
Finibus ipſa ſuis non miſſa aliunde teneret.
Hæc tamen Arctois laus eſt æterna Britannis.
Quòd poſt Pannonicis vaſtatum incurſibus orbem

Illa bonas artes, & Graiæ munera linguæ,
Stellarumq; vias, & magni ſidera cœli
Obſeruans, iterum turbatis intulit oris.
Quin ſe relligio multum debere Britannis
Seruata, & latè circum diſperſa fatetur.
Quis nomen Bonfride tuum, quis munera neſcit?
Te duce Germanis pietas ſe vera fidesq;
Inſinuans, cœpit ritus abolere profanos.
Quid non Alcuino facunda Lutetia debes?
Inſtaurare bonas ibi qui fœliciter artes,
Barbariemq; procul ſolus depellere cœpit.
Quid tibi diuinumq; Bedam? doctiſsimus olim
Tam varias vnus benè qui cognouerat artes:
Quid Morum Homfridumq; tibi, quos Anglia noſtra
Protulit ætate, aut reliquos laudare neceſſe eſt?
Quorum fama manet nullo delebilis æuo.
Londinum tamen ante alias caput extulit vrbes,
Quæ Lunæ falcatæ inſtar, longo ordine ripas
Ad Tameſis ſeſe incuruat. qua mergitur vndis
Sol abiens, celſas reginæ vidimus arces,
Et tumulos regum miro ſplendore nitentes,
Magnifico in templo: reges vbi more coronam
Antiquo accipiunt, certaq; in ſede locantur.
Linacer in Pauli poſuit ſua corpora templo,
Elogijs ornata nouis. Si cætera luſtres,
Saxonas inuenies ſculptos, vrnasq; vetuſtas,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Qui fuerint dubito: nonne illos eſſe putandum eſt?
Anglia qui ſtirpe ſati, vicere Britannos,
A quibus & ſolitum retinet tota inſula nomen,
Ecberti auſpicijs, primus ſe dicere regem
Anglorum, veteri extincto qui nomine cœpit,
Carolus imperij Magnus cùm ſceptra teneret.
Vrbis ad Eoas arx cernitur ardua partes,
Cuius ad introitum geminos ſpectare leones,
Ignotisq; licet diuerſa animalia formis.
Innumeris arx ipſa armis terraq; mariq;
Vtilibus, plena eſt: hîc tot tormenta, tot haſtæ,
Spicula tot, tot frena ſimul, tot ephippia cernas
Vno vt plura loco non toto exiſtere mundo
Arma putes, Venetûm ſi non conſpexeris arma.
Oppoſita in Tameſis ripa, longa area, paruis
Diſtincta aſpicitur tectis, vbi magna canum vis
Vrſorumq; alitur diuerſarumq; ferarum,
Quæ canibus commiſſæ Anglis, ſpectacula præbent,
Hoſpitibusq; nouis, vincti dum prælia miſcent,
Luctantes aut vngue fero, vel dentibus vncis.
Totius aſt vrbis quàm ſit precioſa ſupellex:
Parietibus quàm ſint ſtoreæ, pictiq; tapetes
Inducti egregiè: vt iuncis herbisq; vireſcant (ctus:
Strata pauimenta: atq; hominum quam muudus ami-
Omnia quid numerare refert? en Cynthius ipſe
Nos vocat ad reliquas, ſolito iam clarior, vrbes:

Sublimes in equis igitur, crebroq́; relictis
Pontibus, ad Tameſin, varijs qui ambagibus errat,
Tot campos, ſiluas, tot regia tecta, tot hortos
Artifici dextra excultos, tot vidimus arces,
Vt nunc Auſonio Tameſis cum Tibride certet.

Hac tamen ante alias arx Hamptencurtia laude
Dignior eſt: quin digna etiam vicinior illi,
Quam quia non habeat ſimilem, laudare Britanni
Sæpe ſolent, nulliq́; parem cognomine dicunt.
Viſa vtraq; ſatis, Vuindſoram acceſsimus, aulæ
Tunc proceres vbi regina præſente manebant,
Sceptra Caledoniæ, quæ nunc feliciter oræ
Nympha tenet, ſexum ſtudijs linguæq́; nitore
Exuperans, nihil eſt illo qua pulchrius orbe.
Arx antiqua quidem, ſed ſaltus inter amœnos
Et valles in monte iacet, vicinia circum
Vnde omnis, nemora & ſiluæ, fluuijq́; videntur:
Hic vt oues capreæ cicures damæq́; gregatim
Immenſo numero ſiluas & prata pererrant,
Quin & in effoſsis habitare cuniculus antris
Aſsuetus, prodire ſolet campisq́; vagari.

Reginæ ut ſedem celſamq́; reliquimus aulam,
Poſt pluuias ingens cœlo comparuit arcus,
Arcus habens varios aduerſo ſole colores.
Nos ſerò Oxoniam ſtellis deuenimus ortis.
Hac olim Aonides ſedem gratosq́; receſsus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cum doctis habuiſſe viris, collegia multa
Egregiaéq; domus, horti & teſtantur amœni,
Qui requiem et gratas præbent meditantib. umbras.
Hoc rex Alfredus Muſas dignatus honore eſt.

Inde reuertenti Roffenſis præſulis ædes,
Et celebris Thomæ interitu Cantuaria, quin &
Regnalde tuæ viſa eſt inſcriptio tumbæ.

Oppidulo tandem quarta poſt deniq; luce
Dauerno excipimur, gemini qua ianua ponti
Faucibus anguſtis, lateq; frementibus vndis,
Gallorum Anglorumq́; vetat concurrere terras.
Hîc quoq; vectigal poſtquam numerauimus, auro
Emuncti, nauem ingredimur: ſed & æquora venti
Turbabant, bimarisq́; loci violentia morbum
Et capiti, cerebroq́; ſimul, ſtomachoq́; ciebat:
Iccius, auroræ donec ſe tempore, portus
Oſtendit, fortiq; manu munita Caleti
Mœnia, depulſis à Gallo erepta Britannis.

Proxima rore graues cùm lux ſiccauerat herbas,
Oſtentare procul munita Bolonia turres
Excelſasq́; arces cœpit: pars vrbis in alto
Monte ſita eſt, ima pars altera condita valle,
Vndiq; præſidijs magno munita labore.

Poſtmodò Monſtrelum, Lambini patria, monti
Inſita, Bellouacûmq́; fuit gens obuia nobis.
Atque ita per Morinos (quos terræ ignara vetuſtas

Extremos hominum dixit) queruloſq; Picardos
Ingredimur, donec quarto cum ſole reuerſos,
Sequanis adductis ſaluere Lutetia Muſis
Nos iubet: ô iterum, populoſa Lutetia, ſalue,
Tu requiem noſtriſq; refers ſolatia curis.
Sed patriam decimo quia nunquam vidimus anno,
Quamprimùm tumidas vindemia colliget vuas,
Linquere te rurſum certo compellor amore.

ITER AVGVSTANVM.

HOc vbi tempus erat, primo nos veſpere Melda
Suſcipit. hinc virides quà Matrona proluit her-
Sequana flaue tuis trepidās ſe iungere lymphis: (bas
Vitiferos inter colles, & amœna fluenta,
Vidimus excelſas Condei principis arces.
Hinc laceros inter pagos, ſiluaſq; profecti,
Hoſpitijſq; vſi miſeris tres ordine ſoles,
Dehinc Vertodunum celebratam præſulis vrbem,
Hîc vbi fertilibus floret Lotharingia campis,
Pocula guſtantes muſto repleta, ſubimus.
Inde per horrendos iter eſt infame receſſus,
Siluarumq; ſpecus, vbi cautus ſæpe viator
Occubuit, ſæpe arboreis hîc arida ramis
Lurida vel triſti dependent corpora tabo.
Horrore ingemui fateor, ſed munere liber

Angelico,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Angelico, tamen euaſi. lux poſtera, pontem
Clara Moſella tuum, qua ſe Metenſia tollunt
Mœnia, præſidijſq́; minax educitur agger,
Monſtrauitq́; ſuis plenam cuſtodibus vrbem.
Clare Moſella alios inter non vltimus amnes,
Saxeus educto quem pons amplectitur arcu,
Salue amnis, ſalue, Auſonij te carmina vatis
Egregijs cecinere modis, tu mœnia, Treuir
Quæ colit, & Metim, Selna comitante peragras:
Olim aquilæ, nunc liligero quæ ſubdita regi,
Gallica Teutonicis immiſcet verba loquelis.
Nec procul inde tui diſtant Germania fines,
Auſtraſiæq́; plagæ. Saro Lutraq́; relicto,
Vangionum ſedes veteres, vrbemq́; ſubimus,
Quam circum dulciſq́; meri, frugumq́; feracem
Planiciem, celeris tangunt quam cornua Rheni,
Quædam etiam vidi veterum monimenta Quiri- (tum.
Inde ad iuſticiæ ſedem Spirenſia ventum
Mœnia, Rhenus vbi Nemetum præterfluit vrbem,
Hîc ſi ſumma ſacri ſubeas penetralia templi,
Sex ibi Cæſaribus cernes extructa ſepulchra,
Quattuor hoc vno diuiſo in marmora verſu:
Filius hîc, pater hîc, auus hîc, proauus iacet iſthic.
Namq; ibi Conradus, tres & qui nomine gaudent
Henrici, imperio fuerant velut ordine functi,
Sic quoq; vicinis vna tumulantur in vrnis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hinc per dulce virens, ad pabula læta, ſalictum
Eſt iter in Rhenum: cymba ſi viceris illum,
Non procul hinc locus eſt, pingues ubi fertilis agros,
Cultaq́; vitiferos aperit Graigoia colles,
Graiorum veteres quos incoluiſſe nepotes
Et nomen, Graiusq́; monet qui perfluit amnis.
Hic ego vitales tetigi puer editus auras,
Spectat ubi grauidas circum Mencingia vites,
Piſcoſosq́; lacus, & iunctas montibus arces.
Ergo aliquot cupidis luces coniunctus amicis,
Cùm lacrymas patris tumulo, titulumq́; dediſſem.
Proxima cura fuit patriæ vicina videre
Oppida, magnificasq́; domos. ad mœnia Brettæ
Saltus ibi breuis eſt, doctiſſimus ille Melanthon
Qua genitus paruæ magnum decus attulit vrbi.
Capnio nec procul hinc triplicis noua gloria linguæ
Prodijt im lucem, Phœbo cariſſimus infans.
  Hinc quoq; Muſarum celebres, quas Neccarus ar-
Alluit, Heidelberga tuam, claræq; Tubingæ, (ceſ-
Cura videre fuit, doctosq́; audire voluptas.
Nec ſtudijs inſuaue meis regionibus illis
Hibernare fuit: nec præſtantiſſimus ille
Ciſnerus me vulgari complexus amore eſt,
Compluresq́; alij. primo cum vere quietem
Rumpo iterum, Blauusq́; Iſtro qua confluit, Vlmam
Auguſtamq́; peto, ter maximus Æmilianus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Imperijq́; duces, & clari nominis vrbes,
Et proceres vbi de magnis tum rebus agebant.
Omnia magnifico licet hîc ſplendore niterent,
Admiranda modis inſignibus, omnia pulcra:
Attamen è cunctis nil vidi illuſtrius, ipſo
Cæſare, quando Duces inter, ſummiq́; ſenatum
Imperij, incedit roſeo ſpectabilis ore.
Aßurgunt circum proceres, & iußa capeſſunt,
Miranturq́; omnes diuinæ frontis honorem.
Non ſecus ignito volitante per æthera curru
Diffundit iubar auricomum ſol aureus ipſe,
Illum præcedunt, perq́; interualla ſequuntur,
Lucifer è reliquis longè pulcherrimus aſtris,
Conſilioq́; valens Cyllenius, aurea Phœbe,
Nec procul à ſolio regis Mars enſifer aſtat,
Vicinusq́; patri ſceptro ſpectabilis alto
Iuppiter, hos reliquæ cœli quas orbita ſtellæ
Continet, innumeræ cingunt, regemq; ſalutant,
Ipſe loco medius, radijs procul omnia complet:
Sic etiam pulchros inter pulcherrimus ibat
Arbiter imperij, feßis ſpes maxima rebus.
Sed ſi ſemideos, terrarum lumina, reges,
Legatosq́; orbis varia regione profectos,
Si luxum, turbas, ſpectacula, prandia, pompas,
Siue vrbem celebrare velim, ſiue vrbis alumnos
Hencelium, pluresq́; alios, vox deſeret ipſa,

Et prius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Et prius heſperijs Phœbus ſeſe inferet undis.
Nec decet anguſto tantarum pondera rerum
Deterere ingenio: melius tacuiſſe videtur,
Quàm dixiſſe parum, tantæq; incongrua moli.

ITER VENETVM.

ADria iam curæ eſt. Lycio ergo ponte relicto
Incipit adiunctos monſtrare Bauaria campos,
Atq; urbs in clypeo Monachum quæ pingit inertem,
Pulchra foro, domibus, vicis, arce, aggere, templis,
Iſara ſpumiferis, quam præterlabitur undis.
Hac quoq; luſtrata poſtquam diſceſſimus urbe,
Paulatim, niuibus latè candentibus Alpes,
Impoſitæq; olim ventoſis Alpibus arces
Apparent: illiſq; oriens è montibus Oenus,
Suaciacos æris legulos, pleno alluit amne,
Amne metallifero circum qui monte ſuperbit.
Contigimus celebres hinc Oeni in valle ſalinas,
Atq; Tyrolenſis fulgentes præſidis arces,
Oenipontis habet quà non ignobile nomen,
Vrbs, ſemper nebulis & iniquis horrida nimbis,
Sed tectis tamen aureolis, & nobilis aula:
Quin templo inprimis, puro quod marmore fulget
Sex & viginti magnis ex ære coloſſis,
Auſtriacæ proceresq; domus, regesq; videndos
Exhibet auguſtis procero in corpore membris.

Poſter

Poſtera nubiferi faſtigia Pyrenæi,
Conſpicienda dedit, magno aſcendenda, ſed inde
Maiori, prono pede, deſcendenda labore,
Hîc vbi victus erat, vallis quod Telnia gignit
Dulce merum, feßi ſicco guſtauimus ore.
Brixina mox veteres abſentis Præſulis arces,
Imáq; frugiferos monſtrat Bozenia campos,
Panis vbi longè pulcherrimus, optima vina.
Iamq́; dies iterumq́; dies geminauerat ortum,
Ad ripas Atheſis, tumidas è gutture ſtrumas,
Vidimus agricolis pleno cum tubere naſci,
Inflatæ veſicæ inſtar, mox inde Tridentum
Venimus, Italicæ quæ prima vrbs ianua terræ
Imminet, Auſoniæ commiſcens Norica linguæ.
Hîc magni è varijs acciti partibus orbis
Conuenêre patres, reuocare in priſtina ſectæ
Relligionis opus, nulla cum fruge volentes.
Hanc vbi depreßa concluſam valle reliqui,
Feltria Cæſareis niuium damnata rigore
Verſibus, intrata eſt: hîc ſe ſubducere montes
Incipiunt, molliq; iugum demittere cliuo.
Nunc iterum planis circum vndiq; libera campis
Lumina ferre queo. nam totis octo diebus,
Nil ſcopulos præter, fuſasq́; è cautibus vndas,
Excelſasq́; niues è valle uidere licebat.
Hinc nos Taruiſium piſcoſi ad flumina Sili,

Atq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Atq; vbi nautarum iam ſunt magalia, Meſtrum,
Vrbs olim præclara capit. ſæuo Adria fluctu
Æſtuat hîc, Venetas procul inde per æquora turres
Oſtentans, medijq; ſitas in fluctibus arces.
Quas ubi contigimus: magni miracula mundi
Quis complere neget ſic ſtructas, diximus, ædes?
Armipotens regina maris, cultiſsima ſalue,
Salue orbis magni emporium, ditiſsima cenſu,
Tu poſtquam Latijs vrbs Romula concidit aruis,
Altera Roma velut vaſtis caput exeris undis.
Vt de Cecropijs olim certauit Athenis;
Sic docta Neptunus adhuc cum Pallade certat,
Vrbs utri Venetûm cedat. mare mercibus ille
Omnigenis, præbetq; ſuas habitantibus undas:
Eximios virtute viros, belloq; togaq;
Illa dat, & ſocias defendit Gorgone Muſas.
Quis nomen Muſure tuum? quis nobilis Aldi
Prela nouosq; typos? quis clari encomia Bembi
Neſcit, & Hermoleum? dictus qui Barbarus olim,
Barbariem tamen Italicis procul expulit oris.
Cui non Naugerius? cui non Egnatius ille,
Aut Contarenus facundo cognitus ore eſt?
Docta Minerua quibus ſua iura tuetur alumnis.
Quos ego, dum reliqui merces mirantur, & vrbis
Splendorem attoniti, vero compulſus amore
Suſpicio, venerorq; libens, atq; effero laude.

Iamq;

Iamq́; tenebamus riuum qui dicitur altum,
Is longè mediam porrectus diuidit urbem,
Et quaſcunq; domos, quæcunq; palatia circum
Aſpicias, ſic ſunt extructa, vt regia dicas
Omnia, Dalmatico ſic atria marmore fulgent,
Tectaq́; regifico ſurgunt ad ſidera luxu.
Quid tibi coniferumq́; Ducem, proceresq́; ſenatus
Purpureos, ſenioq́; graues? quid templa per vrbem
Splendida, quidue ædem diuoq́; palatia Marco
Sacra canam? quid qui toto celeberrimus orbe eſt
Theſaurum ingentem, templo qui conditur illo?
Quis cunctas numerabit opes, mercesq́; per vrbem
Omnigenas, varijs huc quæ mittuntur ab oris.
Quid fora? quid nauale tibi? quo tanta ſupellex
Nautica, & omnimodus Martis quæ poſtulat vſus,
Arma latent, galeæ, pilæ, tormenta, ſariſſæ,
(Vt vidi obſtupui) tales tantæq́; triremes,
Vt nemo meminiſſe queat, numerumq́; referre.

Quòd tibi ſi Græcos placeat cognoſcere ritus,
Templa pete, Argolici tractant ubi ſacra miniſtri,
Et linguam agnoſces veterum, Græcosq́; videbis,
Concurſu totum magno complere ſacellum.
Si placeat varios hominum cognoſcere cultus,
Area longa patet, ſancto contermina Marco,
Celſus ubi Adriacas Venetus leo deſpicit vndas.
Hîc circum gentes cunctis è partibus orbis,

Æthio-

Æthiopas, Turcos, Sclauos, Arabesq́;, Syrosq́;
Inueniesq́; Cypri, Cretæ, Macedûmq́; colonos,
Innumerosq́; alios, uaria regione profectos:
Sæpè etiam nec uiſa prius, nec cognita cernes.
Quæ ſi cuncta velim tenui deſcribere verſu,
Hîc omnes citius nautas, celeresq́; phaſelos,
Et ſimul Adriaci piſces numeraro profundi.
Nil tamen in tanta uiſum mihi carius urbe,
Quàm patriæ decus, & ſpecimen uirtutis auitæ,
Magnus Vdalricus, clypeo cui fulget aperto
Bucephali facies, quam Mænalis urſa ueretur,
Dux Henetus, Venetam cœptis felicibus urbem
Italiæq́; plagas illo qui tempore luſtrans,
In ſe oculos animosq́; hominum conuerterat omnes,
Auguſta virtute grauis, vultusq́; nitore.
Hinc ego Muranum, uaſto iacet inſula ponto,
Remigio cymbaq́; peto, fulgente camino
Vaſa ubi cum uitreis fiunt criſtallina gemmis,
Gemmis quæ ueris etiam certare uidentur,
Inſidiæ loculis tantæ mummisq́; ſtruuntur.
Hinc Adriæ qua Medoacus ſe turbidus infert,
Prouehimur, benè uelata de nocte carina,
Donec mane nouo Patauini Antenoris urbem,
Euganeosq́; procul colles ſpectare liceret.
Salue urbs doctiloquis ſedes aptißima Muſis.
Magna loco, ſpacioſa foro, placidißima cœli
Tempe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Temperie, muroq; triplex, latiſsima foſsis,
Et magnis celebrata viris. hac Liuius ille
Hiſtoriæ pater eſt genitus, ſeruantur eodem
Illius oſsa loco, ſtatuis, tituloq; ſuperbo,
Hîc vbi iuncta foro, nullis fulcita columnis
Plumbea marmorei pulchrè ſtant tecta palatI:
Hîc etiam Paulus iuris legumq; peritus,
Et ſtatuas alij meruerunt vrbis alumni.
Hæc etiam ValerI patria eſt, qui Iaſona laudat,
Hæc patria Aſconio & Stellæ, Prætoris in arce
Effigies quorum & titulos ſpectare licebit,
Atria Romanum referunt vbi picta ſenatum.
Hîc quoq; ſuprema Longoli conderis vrna,
Inſcripſitq; tuæ Bembus tria carmina tumbæ.
Te iuuenem rapuere deæ, fatalia nentes "
Stamina, cùm ſcirent moriturum tempore nullo, "
Longoli, tibi ſi canos ſeniumq; dediſſent. "
Hortus in hac etiam medicorum nobilis vrbe
Viſitur, arboribus, raris & conſitus herbis.
Hîc hebenum lotonq; ſimul, viridemq; papyrum,
Hîc moly, hîc adianta vides, mollesq; hiacynthos.
Nec dictamnus abeſt fixis medicina capellis. (tas,
Quò feror? immenſum eſt omnes perſtringere plan-
Quas ego dum celebri video nouus hoſpes in horto;
Signa rubeſcebant æſtiui feruida cancri,
Sirius & calidis minitari cœperat agris:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Robortelli igitur Muſis, uociq́; diſertæ
Deditus, hîc aliquot uolui ſubſiſtere menſes,
Vinceret ardentes dum lenior aura calores.
Interea fontes Aponi, thermasq́; ſalubres,
Viſimus & crebro doctorum tecta virorum.

ITER ROMANVM I.

VIrginis in dextra ſed iam uindemitor ala
Exoriens, fore maturas mox indicat uuas,
Optatumq́; refert rabido lenimen in æſtu.
Euganei montes igitur cariq́; ſodales,
Vrbs Patauina mihi fido quos pectore iunxit,
Iam me Roma vocat, benè perpetuumq́; ualete.
Digreſsis tenuem ſe Bacchylionis ad amnem
Frugiferos inter tollit Vicentia campos.
Hinc Baldi vicina iugo, Verona, Catulli
Patria, quam flexis munitq́; & perfluit undis
Ipſe Atheſis, decoratq́; alti labor Amphitheatri,
Conſpicua eſt, renouatq́; tuos Diderice triumphos,
Qui Gothus Italiæ ſceptrum ſublime tenebas.
Conſpicua eſt etiam diuini Mantua uatis
Patria Virgilij, claram qua Mincius Anden
Alluit, & pulchris mox urbem interluit undis:
Æquoreo fremitu inſurgens Benacus & æſtu,
Quem recipit, lateq́; urbem circumfluus ipſe,
Hunc ſinit illæſum puro tranſire fluento,

Sic

Sic, lacus vt patulas non intermiſceat vndas.
Hîc arces, fora, templa, domos, pulcra omnia luſtrās,
Piſciferosq́; lacus, & amœnæ commoda ripæ:
Dixi equidem ſocijs, an non natura videtur
Atq; hominum certaſſe labor, maioribus illa
An verò hic, vrbem meritis extollere poſſet?
Hîc quoq; Baptiſtæ, quo Mantua gaudet, & ipſam
Virgilij faciem, quam dux Gonzaga monetæ
Inprimit, inueni. lapſi Phaëtontis in amne
Eridano vitreus qua Mincius influit, acti
Remigio à nautis, cœlo curſuq́; ſecundo,
Conſpicimus quas fortis habet Ferraria turres,
Quin & Ateſtini ducis inclyta tecta, viasq́;
Latas, & Muſis Phœboq́; addicta Lycæa,
Et Calcagnini celebris, tumulumq́; Gyraldi
Viſimus & reliquam viſu quæ digna per vrbem.
Trignta hîc fluuijs tumido Padus amne receptis,
Turbidus Adriaco ſeptena per oſtia ponto
Iungere ſe properans, nymphæ Callopſidis hortos
Circumdat; vaſtæq́; prius petit ora Paduſæ.
Æmiliæ princeps populoſa Bononia terræ,
Inclyta rectorum ſtudiorum mater & altrix,
Puraq́; Felſinei ſunt proxima flumina Rheni,
Hîc ſi nobilium ſedes, præcinctaq́; latis
Atria porticibus, ſi celſa palatia Muſis
Structa recens, laudare velim: ſi tollere ſummos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Doctrina & virtute viros: Sigonius inter
Quos nitet, ingenioq́; ſenex Cardanus acuto,
Et plures alij, citius vineta racemos
Quot generent ibi, vel ſulcos numerare liceret.
Poſt vbi nimbiferum ſuperauimus Apenninum,
(Cui niue tecta coma eſt, ſiluis denſiſq́; pruinis
Barba riget, longo tenduntur brachia tractu
Horrida) Feſulea dictos ab Atlantide montes
Florentia Scandimus, Hetruſcæ caput hic Florentia terræ,
Magnū, opulentū, ingens, uario de marmore templū,
Conſpicuum tabulis, centum ſublime columnis,
Et duo præterea ſimili ſplendentia luxu,
Regaleſq́; domos, & Coſmi protulit arces. (bem,
Quæ propiore gradu pulchram dum luſtro per vr-
Caſelio duce, quem caſus mihi commodus illic
Obtulit, optatum, & notæ virtutis amicum:
Admiror, ſtupeoq́; animi ſolertis acumen,
Subtileſq́; manus, & doctæ Palladis artes,
Serica dum tractant molli ſubtegmina filo,
Queis linguæ nitor accedit, cultuſq́; decentes.
Hic me doctiloquo ſenior Victorius ore
Excepit placidè, ſummum qui perfluit, Arni
Italiæq́; decus, ſophiæ iam tantus in arce;
Quantus in hiſtoria, noſtro, lux temporis, æuo
Extitit hic humili Iouius qui conditur vrna.
Quid tibi iam multos quos Bibliotheca recondit
Egregios,

Egregios, raroſq; libros? quid principis hortos?
Marmora vbi, in varias & ſaxa exciſa figuras,
Et platani inſignes, folijs cernuntur amœnis:
Quid tigres, aquilaſq; leues, fuluoſq; leones,
Quid repetam celebrata alijs monimenta Poëtis?
Vis breuiter dicam? nihil ingenioſa vetuſtas
Inuênit, nihil extruxit, nihil edidit vnquam,
Iſtius ingenium quod non æquauerit vrbis.
Hinc mare Tyrrhenum, frater qua Tybridis Ar-(nus
Accedit, veterem Pelopiſq; interfluit vrbem,
Ingredimur Piſam, quæ clara prioribus annis
Floruit, & victrix alias frenare ſolebat:
Nunc eadem perpeßa gemit. ſic tutius arcto "
Stare loco, dubiæq; vices perpendere ſortis. "
Antiqui ſplendoris adhuc monimenta ſuperſunt
Inclyta, marmoreis fulgentia templa columnis,
Turris & inclinata foris, minitanſq; ruinam
Pendula, recta intus ſi videris: area longa,
Gloria Romani, Decius qua, maxima iuris
Conditus eſt, vbi vicenis & quattuor horis
Corpora conſumi memorant his obruta terris.
Quin Nicodeme tui monſtrāt monimenta ſepulchri.
Hic quoq; magnificæ Muſarum & Palladis ædes
Viſuntur, quas Bargæi doctrina celebres
Efficit, aucupij renouat qui verſibus artem.
Altera lux Senæ celebrem nos duxit in vrbem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Virtutum eximiam doctrinarumq́; magiſtram,
Nec reliquis quoq; magnifico ſplendore minorem,
Atria Muſarum, ſeu templi marmora ſpectes;
Pauperibusq́; datas immenſis ſumptibus ædes.
Cui licet in clypeo patulo lupa fulgeat ore,
Inſigni tamen externos dignatur amore,
Et iuuat officijs. eius laudare puellas,
Blandinis quibus ora roſis, & lumina ſtellis
Certant: & nitidis hebetatur crinibus aurum:
Colla manusq́; niuem ſuperant: vox plectra ſonora:
» Non opus eſt. laudans vinum, vinoſus Homerus
» Creditur. Æneas decus eſt huic Siluius vrbi,
Poſtmodo qui triplicem geſtauit fronte coronam.
Pegaſeis hanc rurſus equis cùm linquere cœpi,
Mox Boneconuentum, poſitiq; in colle Faliſci,
Dulce propinarunt certans cum nectare vinum:
Altera lux donec latitans ſub monte Viterbum,
Tertia, poſt Cremeræ riuum, celeberrima ROMÆ
Mœnia conſpicienda dedit, colleſq; ſuperbos,
Septembris tum nona dies lapſura ruebat.
Hic Capitolinas primo conſcendimus arces,
Romanumq́; forum, toti mirabile mundo,
Quod quandoq́; auro, gemmis, & marmore fulſit.
Nunc ſine honore iacet, tetris deforme ruinis.
Paucæ illic ſtatuæ tantùm, fractiq; coloßi,
Atque Antonini monſtratur equeſtris imago.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Qua rupes Tarpeia olim, Naſonis & ædes
Auguſto viguere loco, nunc furca nocentum
Supplicijs erecta patet. ſublime Feretri
Quod templum Iouis antè fuit, cœli ara vocatur,
Intactæq́; ſacrum matri, conſcenditur altis
Plus centum gradibus, tumulo ſpectabile Blondi.

Parte triumphales alia conſpeximus arcus
Septimij, atq; Titi Solymam qui diruit vrbem,
Sculptura ſanè egregios: de more triumphans
In curru dux ipſe ſedet, victoria circum
Læta volat, lauroq́; ducem victrice coronat:
Fœderis arca ſequens faſces geſtata ſuperbos
Præcedit currum: Solymi vaſa aurea templi,
Et geminæ Moſis tabulæ, ſeptemq́; lucernæ,
Et Iudæi etiam vinctis poſt terga lacertis,
Fornice marmoreo inſculpti, cernuntur ibidem,
Exemploq́; monent, ſerò minitante nepoti, "
Non impunè ſacras quenquam contemnere leges, "
Doctrinamq́; Dei, miſſosq́; ex æthere vates. "

Inde Palatini iuga proxima ſcandimus; hortis
Conſita, vbi Auguſtus, Cicero atq; Hortenſius olim
Magnificas habuere domos. tua bella recenſens
Conſtantine, eius fornix radicibus inſtat,
Artifici dextra ornatus, pictisq́; triumphis.

Hinc ad Auentinum recto ſi tramite pergas,
Continuò magni venies ad maxima Circi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Rudera, qui cupidæ ſpectacula poſtmodo plebi
Exhibuit mons iratæ; conterminus olim
Præbuerat cui ſeceßum, ſpaciumq́; furoris.
Non ego crediderim, hunc tantas traxiße ruinas,
Cacus ibi Herculeis labefactum viribus antrum
Cùm miſer ingemuit; quantas nunc eße videmus
Montis Auentini, magnæ qui templa Dianæ
Suſtinuit, tenuitq́; ſuas hîc Ennius ædes.
Nunc prope pyramidis Ceſti faſtigia ſurgunt.
Cœlius hinc medio Laterana palatia tergo,
Et Vallæ tumulos, & ſummi præſulis arces
Continet. hinc Arcton verſus ſi lumina vertas,
Illa Gigantei moles operoſa theatri,
Ære operaq́; Titi, ſuperas ſe tollit in auras,
Monte ſub Eſquilio, nitidas vbi marmore thermas
Ille idem, ſimili ſtruxitq́; palatia ſumptu.
Aurea profuſi licet hîc domus illa Neronis
Fulſerit; eſt tacitis tamen obſcurata tenebris.
Sed Maro quòd ſolitus ſuauiq́; Propertius ore,
Hîc modicis habitare caſis, qua maximus hortos
Mæcenas coluit; nullis abolebitur annis.
" *Ingenij vigor inſtabili ſic præualet auro.*
Cœpimus hinc dictum de Vimine ſcandere collem
Cæſar vbi tantas extruxit Dalmata thermas,
Vt montis bona pars illis contecta lateret,
Nunc inculta iacent diſiectæ rudera molis,

Luxuria

Luxuriæ ſignum veteris, faſtusq́; ſuperbi.
Mox vbi magnificas habuit Salluſtius ædes,
Ornatumq́; forum, ſublati in rupe Quirini,
Praxitelis Phidiæq́; placet ſpectare labores,
Inſtár montis equos ex marmore. colle ſub imo
Celſa tuo Traiane foro fundata columna
Concaua, ſolertiq́; manu cælata videtur,
Militiæq́; refert varios ſculptura labores.
Plebs hic Auſonio ſtatuam Romana locauit.
Hinc teretem templi molem, quo pulchrius antè
Et mirabilius tota nil vidimus vrbe,
Siue vetuſtatem, ſumptus, artemúe requiris:
Et qua Flaminio iuncta eſt Academia circo
Ingredimur, cupidi doctos audire magiſtros,
Sed Muſis addicta cohors cathedræq́; ſilebant.
Poſt Tiberine tuas campus qua Martis ad vndas
Ludicra cum varijs habuit certamina luctis,
Tranſimusq́; duos, quos diuidit Inſula, pontes,
Ianiculi donec poſitas in vertice ſedes,
Quà Ianus pater, & Saturnus condidit arcem,
Contigimus, multisq́; prius vix viſa diebus
Rectius hoc vno conſpeximus omnia colle,
Deſuper oppoſitæ qui plurimus imminet vrbi.
Hìc plures quàm trecentas dignoſcere turres,
Si libeat numerare, potes, pluresq́; ruinas.
Quid iuuat vſq; adeo vano indulgere labori?

» Terrarum & varios per mille pericula tractus
» Viſere, quando nihil toto eſt durabile mundo.
» Aſpicis impoſitas Romanis collibus arces,
» Et monimenta olim claris decorata triumphis,
» Vt iaceant, proprijs vix agnoſcenda ruinis.
» Et querimur miſeri exiguo ſic corpora caſu
» Noſtra mori, cùm mundus idem patiantur & vrbes?
» Hæc Roma eſt, Dea terrarum, magno æmula cœlo.
» Quæ titulis æterna olim, ſoloq; tremenda
» Nomine, ſidereo populis pro numine culta eſt.
» Nunc ſine honore iacet, licet ipſa cadauera tantæ
» Molis adhuc ſpirare minas iraſq; putentur.
» Sed fruſtra. externus nam poſtquam defuit hoſtis:
» Viribus ipſa ſuis, in ſe crudeliter vti
» Cœpit, vt huic aditus etiam quandoq; pateret:
» Iam patuit, viden vt capiti diadema reuulſum
» Miles humi ſtrauit, populis calcata profanis
» Sceptra iacent, ſolijq; nitor faſtuſq; ſuperbi
» Deſijt, in victa victrix iam Roma ſepulta
» Relliquias vix ipſa ſuas, vix nomina ſeruat,
» Rebus in aduerſis victrix, ſed victa ſecundis.

ITER IN REGNVM NEAPOLITANVM.

Hinc vbi Parthenopen viſendi cura ſubiret,
Qua mare Tyrrhenum violentas Tibridis vndas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Imbibit: immenſo quondam celeberrimus orbe
Qui fuerat, portum petimus, vaſtasq́; ruinas.
Hic olim Monicam matrem Auguſtinus honeſto
Condidit in tumulo, cui nunc altaria fumant.
Mox vltro placidoq́; mari, ventisq́; ſecundis
Prouehimur, donec nutrix Æneïa nomen
Cui tribuit, portu feſſos Caieta recepit,
Inſigni portu & tuto. procurrit in æquor
Vrbs ipſa, & gemino veluti peninſula fluctus
Inſita, turritum ſalſis caput exerit vndis.
Mane iterum ignoto vitam committere ponto
Cœpimus, Inarimem donec Prochytamq́; legentes,
(Hîc vbi terribilis flammam eructare Tiphoëus
Dicitur, & verſo terras inuertere tergo)
Miſeni ſcopulos procul & Neſida videmus,
Quam tenebras propter vicino cernere vultu
Non licuit, iam nox atra circumuolat vmbra,
Cumarum Euboicas dum præterlabimur oras.
Hîc ego Trinacriam verſus dum lumina flecto,
Conſpicor horreſcens ſinuoſa per æquora montem
Flammiuomum, ardentemq́; procul, mox litora cir-
Sulphure Baiano tetroq́; bitumine fumant (cum
Omnia, fœtenti mare latè impletur odore.
Sed nos, Pauſilypi qua ſe de rupe Veſeuo
Et Capreæ oſtentat pulcherrima Mergilline,
Quáq; intermedias regina Neapolis arces

Exerit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Exerit, optato curuantem brachia flexu
Contigimus portum. grauidas Campania vites
Hîc aperit, nunc Hiſpanis gens ſubdita ſceptris.
Parthenope, nutrix magnorum clara virorum,
Diues agri, iucunda loco, portu, aggere, cœlo,
Fontibus atq; hortis longè pulcherrima, laudis
Quis recitare tuæ ſatis hic encomia poßit?
Statius ille tuus, noſtro ſi viueret æuo,
Pontanusq́; ſenex; retinens ſi nomina ſancti
Nazarij, aut alij ſupereßent vrbis alumni,
Vix celebrare ſatis te præſtantißima poſſent.
Inclyta magnorum nam ſiue palatia regum,
Seu noua, ſeu veterum monimenta celebria rerum,
Siue requirat opes aliquis, ſeu dona Canopi,
Aut patrias merces, aut ſplendida templa domosq́;
Munitaſue arces, aut cinctos aggere muros,
Structáue doctiloquis deſideret atria Muſis,
Egregiosq́; viros ſtudijs, & Marte valentes,
Omnia repperiens, nil quod deſideret vltra eſt.
Sed ratio poſitusq́; loci, cœlumq́; ſalubre
Inprimis placuere mihi. combuſta Veſeui
Cornua, doctiloquo quondam fatalia Plinio,
Hîc etiam media fumantia conſpicis vrbe:
Pauſilypus vaſtam protendit in æquora molem.
Extra intraq́; horti tot vbiq; videntur amœni,
Regifico ſtructi ſumptu, pomaria Cyri

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quis nequeant certare: hederæ, myrtiq́; virentes,
Et citri patulas præbent ſpaciantibus umbras.
Ad ſolem aureolo fulgentia poma colore,
Maturasq́; vides ficus, & punica mala.
Parte alia cœlo minitantes vertice cedri,
Coniferæq́; caput tollunt ſublime cupreßi.
Iuniperis etiam locus eſt, lauroq́;, nec illis
Palma deeſt, grataq́; frutex lanugine notus
Goßipij. has inter, pulcris, umbracula vites,
Æmula porticibus texunt, vndaq́; perenni
Pons fluit, & Pario celatis marmore labris
Lympha cadens, excepta ſonat. ſiphonibus altis.
Sed tamen ante alios longe caput extulit hortos,
Quem Capuam qua ducit iter, Sebethus amœnus
Alluit, & fontes vrbis ſub mœnia ducit,
Hortorum decus egregium. Pulcherrima tellus,
Quam neq; rugoſo ſæuus ſpiramine Caurus,
Hibernæq́; niues, aut brumæ frigora lædunt.
Hic quoq; Pontani tumulum ſpectare placebat,
Struxit vbi paruum doctißimus ille ſacellum,
Supremisq́; ſuos titulis ornauit amicos.
Non mihi iam nitidos quos hæc alit ora caballos:
Non fontem qui præbet aquæ gratißima nautis
Munera, dum ſalſis dulces interuomit vndas:
Non varios fructus, & amictas vitibus vlmos:
Non agros, & quanta illis opulentia frugum:

Non

Non arces laudare libet, portumq́; capacem:
Quæ niſi viſa fidem nulla ratione merentur.

ITER ROMANVM II.

Hinc vbi bis ſexta rurſum diſcedere luce
Viſum erat: impediere imbres, qui fluminis inſtar
(Pontibus exitium & muris) è monte ruentes,
Præcipites ſecum ſiluas & ſaxa trahebant:
Vnáq; nox tantum ſtragis dedit, integer anno
Quam dare non poterat, iunctis exercitus armis.
I nunc, & rerum vires contemne parentis.
Hinc tamen ad templum quod condidit Actius, ipſe
In quo marmorea poſt fata quieſceret vrna,
Venimus: vt Muſa tumulo ſic ille Maronis
Proximus eſt. ſupra tenuit Maro namq; ſepulchrum.
Hîc vbi Pauſilypi vaſtum ſpecus intima montem
Perforat, & longo ſuſpendit deſuper arcu.
Hanc quoq; cum ſocijs, prælato lumine, cryptam
Ingreſsi, aſpicimus loca ſubterranea, plena
Pulueribus, tenebriſq́; atris, & nocte profunda.
Xerxei ſudoris, Atho qui effodit, vt aiunt,
Magnũ opus, & magni monimentũ inſigne Luculli.
Hoc face proiecta poſtquam de fornice ceſsi,
Vndiq; ſulphureo paulatim implentur odore
Omnia, nec procul eſt lethale in vallibus antrum,
Antrum horrendum, halans imo de monte uenenum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Monte vaporiferis circum ſudante cauernis.
Quisquis in hunc caſu vel vi deuenit hiatum.
Semianimis celeri quatitur vertigne: quòd ſi
Non ſubitò redeat, vita ſub monte relicta
Mortuus extrahitur: ſubitò retractus anhelus;
Vicina recipit vitam motumq; ſub vnda
Immerſus. ſæpe id volucres, aſiniq; canesq;
Interitu docuere ſuo, vitáq; recepta.
Eſt prope flammiuomo vallis circumdata monte,
Sulphur vbi & magnis ſpectatur alumen aceruis,
Vallis hians rimis, ſonitum pulſata remittens,
Et ſpirans piceos per crebra foramina fumos.
Sulphurei circum latices, & pingue bitumen
Tartareo exultant efferueſcuntq; tumultu:
Fumoſis ſupra nebulis inuoluitur aër:
Et phlegetonteam exhalant loca cuncta Mephitim.
Depaſti circum ſcopuli, flammasq; vomentes
(Non bene, ne nimium procedite, creditur illis)
Dant ſtrepitum, gemit exeſis mons ipſe cauernis.
Vidimus hinc veteres vrbis Dicæarchidos arces,
Quam bene florentem Delum dixere minorem:
Calligula & calidis illam coniungere Baijs
Arte volens, validum ſinuoſa per æquora pontem
Struxit, adhuc cuius pilæ monimenta videntur,
Quas prope Miſenus medias procurrit in vndas.
Quid tibi iam celſi memorem faſtigia montis?
Tempore

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tempore qui noſtro, viginti & quattuor horis
Planicie in lata, terram quatiente tremore
Exſilijt, vaſtam iactans ad ſidera molem.
Quid tibi Cimmerijs cultum prædonibus antrum?
Quidue lacum? quem Virgilius deſcribit Auernum.
Quem ſuper haud vllæ poterant impunè volantes
Tendere iter pennis. tibi quid ſecreta Sibyllæ,
Aut Labiryntheis monſtroſa ambagibus antra?
Quid thermas tibi Baiarum? montiſq; meatus
Æſtiferos intus, cæſaq; cubilia rupe,
Inq; latebroſis quid ſudatoria ſaxis,
Rudera quid, Cumaſq; canam, celebreſq; ruinas?
Singula quæ proprios poſcunt celebranda libellos.
Iamq; inſtare meo finem breuis hora labori
Indicat. exilio clarum tumuloq; vetuſto
Scipiadæ, mox Linternum (quod Patria iam nunc
Dicitur, ob titulum, moriens quem Scipio ibidem
Iußerat aſſcribi cippo: patria inuida nobis
Atq; ingrata etiam, nec iam morientis alumni
Oßa habitura vale) quin & Claniumq; paluſtrem
Vulturni & gyros naui ſuperauimus ampla.
Vidimus hinc nitidum Cauri in radicibus hortum:
Minturnis etiam Lyrin ſuperauimus amnem,
Mox Læſtrigonijs quandoq; infame latebris
Oppidulum, Ciceroneis poſt nobile villis:
Sub noctem Fundos petimus, quà citria ſummo

Vertice

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vertice ſubiectis deſpectat Cæcubus hortis.
Mane nouo impoſitum ſcopulis candentibus Anxur,
(Tarracina alio nunc nomine dicitur) inde
Cæſaris Auguſti in patriam nos Appia duxit.
Appia nobilium quondam regina viarum.
Mane ad aquæductus veteres, portamq́; Latinam,
Romanos iterum colles vrbemq́; ſubimus.

Iam mihi Pontificem labor eſt, molemq́; videre
Olim Adriane tuam, populis vbi numinis inſtar
Præſidet, & miſeros excelſa terret ab arce,
Qui reſerare poteſt & claudere ſolus Olympum.
Qua Vaticani iunctos videt area montes,
Aſpicienda patent celſi faſtigia Petri.
Æris inaurati nux illic pinea, multos
Alta pedes, primo aſpicitur: pars vnica vaſtæ
Arboris, hîc olim quæ cœlum erecta petebat.
Arbiter imperij Magno prognatus Othone,
Magnifico moriens hîc ſeſe marmore texit,
Ante fores quod pollutum, ruptumq́; patensq́;
Negligitur. templum Sadoleti continet vrnam.
Pontificumq́; aliquot tumulos ex ære micanti.
Ænea quin Petri effigies ſpectatur ibidem.
Non iam Pontificis Bellos quos vidimus hortos:
Non arcem tibi commemoro: non Bibliothecam,
Innumerosq́; libros: non ampla palatia laudo.

Feſtus agebatur fortè illo tempore, magna

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quo pompa adueniens Gallorum nuper ab orbe
Excipiebatur ſolito legatus honore.
Hîc ego Pontificem ſolio ſplendente locatum,
Et circum rubeos geſtantes fronte galeros,
Vno omnes vidi intuitu, ritusq́; notaui.
Nomine legati Gallorum encomia regum
Clara vbi facundo Muretus dixerat ore;
Nobilitas comitata ducem, ter poplite flexo,
Præſulis ante pedes procumbit, & oſcula figit,
Et planè affectam ſummo ſe credit honore.
Quin tabulas circum ſi picta per atria luſtres,
Inuenies ſimul, vt faſtu deluſus inani,
Pontificem ſupplex Cæſar Fridericus adoret,
Egregium vero ſpecimen virtutis auitæ.
Parte alia, totum cunctis cum tractibus orbem,
Diuerſosq́; habitus hominum, moresq́; videmus,
Artifici dextra expreſſos, titulisq́; notatos,
Dignum opus aſpectu, pictisq́; inſigne figuris.
Tum quoq; ſuauiloquo doctoq́; Manutius ore,
Me placidè excepit, fandi clariſſimus autor.
Hîc tibi ſi cryptas extra quas vidimus vrbem,
Queîs latuere pij, gens olim inuiſa tyrannis,
Chriſticolæ, effoſſis loca relligioſa cauernis:
Si templa Agnetis, Pauli, Circosq́; referrem:
Tempore deficerer. tu ſat mihi viſa ſecundum
Roma vale, repetamus iter patriosq́; penates.

ITER HELVETIVM.

FLAminia ergo via, & tumidis nos Muluius
 vndis
Pons capit, Ocriculum dum tendimus & Spoletum,
Qua Clitumne tuas cingit vetus Vmbria ripas.
Tollentina Deum terreſtrem curia laudat.
 Poſtmodo Lauretum ruptis dum terga veredis
Pergimus, ambiguo me pene Potentia flexu,
Ignotis, affixus equo, dum luctor in vndis,
Perdidit. Anconam Piceni ad brachia portus,
Poſtera lux, ſuperiq; maris nos duxit ad vndas,
Hîc vbi Cyriacus Cimmeræ in vertice montis
Trans mare, Dalmaticas in littore deſpicit vrbes.
 Gallorum hinc Senonum ſedes, clarumque Pi-
 ſaurum,
Arimino & paruum veni Rubiconis ad amnem:
Quem quicunq; olim ſumptis tranſiuerat armis,
Creditus eſt hoſtis Romæ patriæq; futurus.
Tertia Felſineis iterum nos intulit oris.
 Mox vbi læta Ceres fœcundis fluctuat agris,
Et Mutinam, Lepidiq; vrbem, Parmamq; nitentem,
Vicinosq; Pado, qua longa Placentia muros
Et Mediolanum culto caput exerit aruo,
Vidimus Inſubriæ tractum, Lambriq; fluenta,
Et templa Ambroſij ſacro celebrata ſepulchro.

Inde Nouocomum ueniens, te maxime Lari
Luſtro etiam ſtatuas, magni quas vrbis alumni
Cæciliusq; nepos, & auunculus ille Secundus
Plinius, ingenio à patrio meruere ſenatu.
Hæc eadem Iouio patria eſt, ibi tecta videntur
Eius, imagnibus doctorum ornata virorum.
Poſtera Luganumq; lacum, monte vndique cinctum,
Atq; Belinzonæ Ticini ad flumina turres,
Stagnaq; Verbani, ſummas oſtendit & Alpes.
Heluetios Italis dirimit mons aſper ab oris,
Pars Adulæ, Bernardinum dixere Meſauci.
Eius inacceßas nunquam contingere rupes
Ver potuit, non huc Bacchus, philomela, Cereſue,
Non æſtas adijt: glacies hic matris ab aluo
Excipit, & teneros durat vi frigoris artus
Cuſtodum pecoris: ſiccos cùm Sirius ardens
Vrit agros alibi; rigidis in cautibus illic
Regna tenet deformis hiems, Cauriq; furentes
Bella gerunt, alteq; niues in montibus altis
Extructæ terramq; grauant atq; horrida ſaxa:
Ipſe fremens ſonitu, caput inter nubila condit,
Phœbeosq; procul ſcopulis intercipit ignes:
Innumeris circum glacies criſtallina ſeclis
Indurata riget: per adeſas ſpumea cautes
Vnda ſtrepit: mons ipſe aſtris conterminus albet.

Heu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Heu mihi diſsimili quam nunc regione tenemur
Italiæ! heu labor eſt quantus, quantumq́; periclum
Lubrica tam duro veſtigia figere cliuo,
(Expertus didici ſummo in diſcrimine vitæ,
Prærupti in nemoris dorſo dum tranſigo noctem,
Solo extans capite interdum, ſenſimq́; rigeſcens,
Et tumulis niuium fruſtra me euellere tentans)
Nix oculos faciemq́; petit, prolixaq́; mento
Stiria dependet: cum te iam iamq́; tenere
Summa putas, huic inſiſtens mox altera moles
Exoritur, montis vicina cacumina cœlo
Oſtentans, creſcitq́; labor. de fronte capillos,
Multis acre gelu, ſilicem quod findere poſset,
Euulſit: multi dira ceu Gorgone viſa
Frigore diriguere: arctis anfractibus illic
Eſt iter, & circum è ſcopulis nix alta minatur,
Quam volucris moto quandoq; leuiſsima ramo
Impulit; illa cadens, magnis glomerata ruinis,
Eruit auulſas ſummis in montibus ornos,
Cunctaq́; præcipiti ſecum rapit obuia flexu.
Fit fragor, ille nouam labefactat in aëre molem,
Quæ ſequitur, celeriq́; volans petit ima rotatu:
Non ſecus ac cœlum rueret mons ipſe remugit.
Infelix, quicunq; viæ ſe credere tali
Tempore, et horriſonas tranſmittere cogitur Alpes!
Non ille aut patriam vetereſq́; reuiſet amicos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Euaſi tamen iſta, Deo ducente, pericla,
Quo ſine nulla fuit vitæ, ſpes nulla ſalutis.
Parte alia Bernardinus qua reſpicit oras
Heluetiæ, tenui prognatus origne Rhenus
Per ſilices riuo exiguo prolabitur, inde
Continuo effuſis paulatim è montibus vndis
Surgit, & aurifluo latè ſe margine pandit:
Vndiq; donec aquis ſæpe auxiliaribus auctus,
Teutonicas rauco cum murmure præterit vrbes:
Flumine dehinc iuſto maior, ſe in brachia plura
Diuidit, & Batauos geminis amplectitur vlnis
Spumifer, agricolis magna vix mole docendus,
Vt ſegeti & domibus parcat: mox vaſtior alueo
Influit Arctoum complura per oſtia pontum.
Sed quæ præterea hîc tulerim: quam proximus atræ
Iam morti, angelico fuerim defenſus amore:
Vt Rheni hîc ſcatebras, cuius prius oſtia vidi,
Et Churæ vt templum, delecti & præſulis ædes,
Riuanumq; lacum attigerim: Tigurumq; celebrem
Geſneri patriam: vt Iuræ quoq; culmina montis
Sint ſuperata mihi: Baſileæ vt mœnia tandem,
Vtq; typos Oporine tuos, vrbemq; Trebocûm
Luſtrarim: quo ſit reducem complexus amore
Marbachius: doctoq; ſenex vt Sturmius ore,
Fabriciusq; ſacris decus indelebile Muſis,

Multa mihi dederint ſinceri ſigna fauoris:
Hæc alio dicenda loco. Rex optime regum,
Signifer & cuſtos, dux & tutela tuorum,
Chriſte Deus, tibi quo grates ego carmine dicam?
Quæ ſuper aſtra tuas tollent præconia laudes?
Quod me iam reducem iuuat euaſiſſe tot vrbes
Eximias, mediumq́; viam tenuiſſe per æquor.
Ipſe equidem cœli quòd lumen amabile cerno:
Ereptusq́; malis, mediaq́; ex morte receptus
Quod valeo, acceptum refero tibi, ſedulus ergò,
Te mihi dante, tui poſthac celebrator honoris
Semper ero, dum lingua mihi, dum vita manebit.

Io. Poſthius, N. Chytræo. S.

AVſonij, Galli, Germani, Belga, Britanni
Suſpiciunt Muſam, culte Chytræe, tuam.
Atq; ducem ſibi quisq; legit, comitemq́; viarum,
Quas canit herois ſuauiter illa modis.
Tum quæ præcipuas viſu ſint digna per vrbes,
Quasq́; habeat celebres quælibet ora viros:
Quæq; viatori fugienda, ſequendaúe cauto,
Nouerit vt longum carpere tutus iter.
Tolle, Chytræe, animos. tua Muſa, & carmina viuent,
Dum patrius liquidas Rhenus habebit aquas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

ELEGIARVM LIBER PRIMVS.

Elegia Prima.

Iter facientibus admonitiones neceſsarias continens. in gratiam nobiliſs. iuuenis Ioannis Hobenij.

A patrijs quicunq; procul diſcedere terris
Et varias mundi vis peragrare plagas,
Non nimium propera, cauto ſed ſingula corde,
Et quid agas, ſapiens vt facit, ante vide.
Inprimis varios caſus, & mille pericla,
Et propone animo multa ferenda tuo.
Æſtus ſæpe tibi, tibi frigora ſæpe nocebunt,
Iam nix dura tibi, iam grauis imber erit.
Non etiam lauta ſemper tractabere menſa,
Molliculus ſemper nec tibi lectus erit.
Stramine vel ſcamno, vel humi perſæpe cubabis,
Sæpe tibi ſitis eſt, ſæpe ferenda fames.

Et licet his careas, animo tamen omnia voluens,
Non ita tranquillo pectore ſemper eris.
Nox metuet fures, ſæuos lux orta latrones,
Hoſte tibi duro durior hoſpes erit.
Hos quicunq; nequis, ſimiles & ferre labores,
Aut tibi ſi riſus deliciæq; placent:
Te iuuet in medias ſomno turgeſcere luces,
Semper & ad patrij tecta ſedere foci.
Ingrediantur iter fortes, aptiq; labori,
Abſtineant molles deſideantq; domi.
Hac ſi parte vales, tibi quæ meditanda deinceps,
Cæteraq; vt rectè ſint propaganda rogas? [peragenda]
Si cum laude cupis cœptos finire labores,
Ante peregrinis diſce notanda locis.
Ne ſimilis dicare grui, trans æquora vectæ,
Quæ fugit inſipiens inſipiensq; redit.
Neu tantum lapides videas, ædeſq; ſuperbas,
Hæc etiam ſtolidum cernere vulgus amat.
Sed mores animoſq; hominum, poſituſq; locorum,
Priſcaq; factorum, ſigna notaſq; vide:
Egregioſq; viros tibi conciliare labora,
Qui tibi quam lapides commoda plura ferent.
Hinc vſus rerum, vera & prudentia creſcit,
Hinc placidi mores ingeniumq; venit.
Hæc tibi cum cauto ſunt præmeditata labore,
Vt tibi ſit nummis plena crumena vide.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Deficit ignotis cui certa pecunia terris,
    Non facile is cœptum continuabit iter.
Non tamen hanc ſemper te circumferre iubebo.
    Hic tibi chirographi tutior vſus erit.
Et mercatores illa te parte iuuabunt,
    In varijs quorum nomina nota locis.
Hac quoq; proſpectum fuerit cum parte, tabellam
    Fac habeas, orbis quæ loca picta notet.
Iſta viatoris dux eſt oculusq́;, ſine illa
    Cœcus in ignota progredietur humo.
Hinc etiam comitemq́; viæ ſociumq́; laborum
    Elige, ſæpe vni non bene ceßit iter.
Sit tamen is talis certò cui fidere poßis,
    Cuius tu mores noueris; ille tuos.
Conditione pari tecum qui deniq; viuat,
    Atq; eadem, quæ tu, qui ſtudioſus amet.
Hunc vbi nactus eris, patriasq́; reliqueris vrbes
    Impiger, æterno cætera crede Deo.
Inprimis lux orta nigras cum vicerit umbras,
    Commenda domino teq́; viasq́; tuas.
Vt tibi ſit cuſtos cunctis ſacer angelus horis,
    Caſtraq́; te circum non violanda locet.
,, Vtilis & quoniam cuiq; eſt aurora labori,
,,   Cur nequeat longis vtilis eſſe vijs?
Ergo tuas cum ſole vias, prima incipe luce,
    Et cane ſidereo carmina grata Deo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vt prius ad ſummum quam ſol peruenerit axem,
Maxima ſit cœptæ pars ſuperata viæ.
Nec tibi ſit noctu proficiſci inſana cupido,
Lucis opus labor eſt, noctis amica quies.
Ante igitur quam Phœbus equis iuga fumida ſoluat,
Hoſpitij certas ingrediare domos.
Sæpe aliquis noctis miſerè tractatus in vmbris,
Non potuit nitidum mane videre diem.
Hoſpitium ingrediens calidus motu atq; labore,
Vt libet haud ſubito pocula plena pete.
Ne feruente mero feruenti in corpore febres
Accendas, paulum eſt hæc remoranda ſitis.
Gallorum in primis Italas vel iturus ad vrbes,
Sobrius & cauto noueris ire gradu.
Fortia vina nocent, Bacchum tibi nympha calentem
Mitiget, & calidum diluat vnda merum.
Cogeris Alpinas quod ſi tranſmittere cautes,
Proderit hibernas anteuenire niues.
Nam cum ſæuit hiems, magnis nix lapſa ruinis
Perſtrepit, & ſolitas obſtruit alta vias.
Sæpe etiam rigidas, ventis perflantibus Alpes,
Montibus è ſummis nix glomerata ruit,
Horrendo ſtrepitu, & tam vaſtæ turbine molis,
Vt procul è cœlo fulmina miſſa putes.
Tunc veluti de monte alius ſe præcipitet mons
Nix ruit, & ſecum præuia cuncta rapit.

Hei mihi, quam multi vitam his linquêre ſub oris,
Hannibal haud ſolus, qui tulit iſta, fuit.
Frigus ibi tantum, ſilicem quod findere poßit,
Quo multi ſubito diriguere gelu,
Quorum vere nouo, vel prima æſtate, reperta
Corpora ſunt, liquida ſemiſepulta niue.
Non ignota cano, ſimili me pene ruina
Perdidit in ſolis nix violenta locis,
Quod nunc angelico liber tibi munere dico,
Exemplo vt poßis cautior eſſe meo.
Rectius omnino non ſe obiectare periclo,
Rectius omnino eſt funera nolle ſequi.
Si tamen officij aut ſortis ratione neceſſe eſt
Carpere tam duræ conditionis iter:
Non niſi clara dies niteat, ventiq́; ſileſcant,
Nec niſi cum fido per iuga ſcande duce.
Scande etiam tacitus, quando ſonus impulit auras,
Hic tibi vox multum parua nocere poteſt.
Pendentes ſæpe illa procul de vertice rupis
Concitat, auulſas præcipitatq́; niues.
Quin volucris moto quandoq; leuißima ramo,
Exitio indigenis hoſpitibusq́; fuit:
Hæc tibi ventoſas ſi ſit labor ire per Alpes
Diximus, ad reliquum iam redeamus iter.
Non cuiuis homini qui ſis, aperire neceſſe eſt,
Quoq; abeas, cœptæ quæ tibi cauſa viæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Crede parum: non ſperne alios: non decipe quen- ‹‹
  Ni ſit opus verbis cautus vbiq; tace. (quam, ‹‹
Plurima damna creat patulo ſibi garrulus ore, ‹‹
  Quæ poterat clauſis præteriјſſe labris. ‹‹
Non etiam rixas aut ſæuas incipe pugnas,
  Si cupis ex illis viuus abire locis.
Vt regio ſic eſt animus feruentior illis,
  Vindictam vitæ præferet illa ſuæ.
Cede igitur potius, cedendo vt vincere laus eſt
  Maxima, ſic illis eſt quoq; rara locis.
Quæ poteris lauda, contraria carpere noli,
  Sic placidus verbis, pectore cautus eris.
Cum doctis verſare libens, & plurima diſces
  Olim etiam canis grata futura tuis.
Hi tibi iura loci, mores, ritusq; ſacrorum,
  Hi poterunt patriæ facta referre ſuæ.
Illos dum reliqui ſtrepitu & clamore laceſſunt,
  Inq; ſcholæ cathedris ſæpe ſilere iubent:
Tu velut ex animo caros venerare parentes,
  Eloquio quorum cultior eſſe potes.
Cautus in hoſpitijs in primis eſſe memento,
  Hic quoq; ſub blando melle venena latent.
Hic genus Autolyci regnat, bonus exulat omnis,
  Tu ſerua loculos hic & vbiq; tuos.
Nec nummos numerato alijs ſpectantibus, vnum hoc
  Hei mihi quam multis exitiale fuit!

Plura

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Plura his Fabricius docto te præmonet ore,
   Inſpector quorum ſedulus ille fuit.
Me ſatis hæc breuibus pingui monuiſſe Mineruâ,
   Fortunæ & curæ cætera linquo tuæ.

D. Henrico Huſano, V. C L.

Elegia II.

SIcubi dulciſonum philomelæ carmen acanthis
   Audijt, ingenuo victa pudore ſilet,
Et cunctata diu tenuem vix edere vocem
   Suſtinet, & cantu diſplicet ipſa ſibi:
Non aliter vir magne meas cum venit ad aures
   Littera carminibus tum comitata tuis.
Obſtupui fateor, puduitq́; quod anſer olorem
   Auſus eram nugis ſollicitare meis.
Tam grauitas ſapienter ineſt, tam ſplendida rerum
   Copia, verborum lumina tanta micant.
Vix quoq; reſpondere tibi mihi poſſe videbar,
   Ingenij cenſor candidus ipſe mei.
Vt tamen hoc faciam, tua me propenſa voluntas
   Et bonitas animi carmine nota iubent.
Omne quibus ſtudium placido mihi pectore defers,
   Et modo quid cupiam ſignificare iubes.
Rectius ergo mihi viſum eſt parere monenti,
   Quam timidum rebus ſponte nocere meis.

Quatuor autumnos iam Pleïas orta reduxit
Sirius & patulos quartus aduſsit agros.
Quando ego Varniadum roſeis digreſsus ab undis
Doctiloquæ liqui pulpita ſacra ſcholæ,
Interea Belgas, Morinos, pictosq; Britannos,
Et vidi populos Gallia culta tuos.
Interea niueas etiam ſuperauimus Alpes,
Et Capitolini templa vetuſta Iouis.
Quid iam Parthenopen, rigidi quid flumina Lam-
Quid Rheni celebres Eridaniq; ſcholas, (bri,
Cætera quid repetam? ſolitæ iam redditus vrbi,
Sedulus officio fungor vt ante meo.
Sed quia facundum crudelia fata Bocerum
Intempeſtiua præripuere manu;
Defunctiq; loco nouus est ſucceſsor habendus:
Conſenſu vnanimi me ſchola tota vocat.
Non equidem renuo, nec planè aſsentior illi,
Non mea Caſtalijs labra rigantur aquis.
Suſtinui tamen officium parteſq; Boceri,
Et quæ Gymnaſio legerat ille, lego.
Mercedes tamen annales, quas ille laboris
Percepit quondam præmia certa ſui,
Nondum percipio, nec eas peto, doctior alter
Huic fortè officio ſi magis aptus erit.
Illi ego cedo libens, illi ſubmittere faſces
Cogito, & abſentem iam reuerenter amo.

Quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quod ſi non dabitur, parteſq́; ego ferre Boceri
Debeo, mercedem quis mihi iure neget?
Iudicium tamen omne duci vobiſq́; relinquo,
Ne mihi diſpliceant quæ placuere ſcholæ.
Si licet, & patitur moles operoſa laborum,
Obrueris totos qua ſine fine dies,
Mite patrocinium iuſtæ, vt puto, ſuſcipe cauſæ,
Et placidum flectas in mea vota Ducem.
Iudicio limæq́; tuæ ſi noſtra probantur,
Non ea principibus non placitura reor.
Aſt ego qua potero rurſum pietate fideq́;
Ex animo ſemper teq́; tuoſq́; colam.

D. Andreæ Mylio. V. CL.

Elegia III.

IMpiger Alcides æterno fœdere Muſas
Dicitur hoc pacto conciliaſſe ſibi:
Vt quoniam Muſæ imbelles, defendere ſeſe
Viribus haud poſſent præſidijſq́; ſuis:
Ipſe prior Muſis ſancto promitteret ore
Tutelam, & dextræ vindicis auxilium.
Pierides contra, Heroum quia facta laterent,
Si ſileant Clariæ plectra ſonora lyræ;
Herculeos canerent æterna voce labores,
Et facerent tanto nomen in orbe viro.

Magne

Clare Myli, decus Aonij tutelaq́; fontis,
Et ſimul Herulei maxima cura Ducis,
Cum velut Alcides alter tibi fœdere Muſas
Iunxeris, & doctos, tu quoq; doctus, ames:
Te redamat Phœbea cohors, nomenq́; per orbem
Carminibus faciet clarius eſſe tuum.
Nunc quoq; noſtra breui veniens comitata libello
Audet in aſpectum Muſa venire tuum.
Quippe reformidans ſublimes principis arces,
Virgineo primum plena pudore fuit.
Nulliusq́; ſibi cultus, non conſcia formæ,
Longe ego ſum iuſsæ, dixit, inepta viæ.
I tamen huic dixi, non aulæ ſola ſubibis
Atria, te forſan qui comitetur, erit.
An Mylius tibi ſuauiloquo non cognitus ore eſt?
Porriget hic faciles in tua vota manus.
Non illo melior, non eſt facundior alter,
Illius in labris quin Venus ipſa ſedet.
Sunt illi faciles, ſed enim ſine crimine, mores,
Eſt virtutis amor, iudiciumq́; graue.
Palladias idem placide complectitur artes,
Et vos iam veteri fidus amore fouet.
Vix ea: cum pulſo iam lætior illa timore
Exſilit, & ſedes geſtit adire tuas.
Te ſibi delegit patronum ex pluribus vnum
Noſtra patrocinio dedita Muſa tuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quæ patriæ ducibus te commendante placebit,
Sicca licet riuo paupere vena fluat.
Fallor an illa placet? quod ſi vir ſumme clientes
Inter non dubites hanc numerare tuos:
Maxima continget mihi gloria: tunc ego voti
Victor & ardenti pectore lætus ero.
Tunc mihi quidquid erit linguæ, ſermonis & oris,
Promptum erit officijs expoſitumq́; tuis.
Interea lætæ currant tibi ſtamina vitæ,
Meq́; diu vt poßis ſoſpes amare, vale.

Natalis Georgij Fabricij.

Elegia IIII.

VItiferos inter colles ſiluasq́; virentes
Eſt locus ad ripas ſpumifer Albi tuas.
Non illi ſua dona Ceres, non Flora negauit
Veris opes violas purpureasq́; roſas.
Hic fragrans odor eſt, hic germina mille colorum,
Hic auium voces auraq́; blanda ſonat.
Hic philomela tuis, primi ſub lumina Phœbi,
Cantibus attendens dum nouus hoſpes eo:
Vuidus & viridi redimitus tempora muſco
Mox caput è placida ſuſtulit Albis aqua,
Obſtupui, retroq́; ferens veſtigia ceßi,
E tacito cupiens ſpectra videre loco.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ille manu mulcens promiſſam in pectora barbam,
Agmina Nympharum lætus adeſſe iubet.
Gramineæ mediusq́; ſedens in margine ripæ,
Edidit hos mira cum grauitate ſonos.
Fabricij natalis adeſt, dare carmina vati
Annua Fabricio tempus & hora monent.
Hæc eſt illa dies celebrandi conſcia partus,
Cernis vt inſolito Cynthius igne micet.
Salue ſacra dies, lætoq́; relabere curſu,
Candidior vati ſæpius orta meo.
Non nebulas, pluuiosq́; imbres, non murmura venti,
Fas eſt tam celebrem contemerare diem.
Illa etiam puro tum fulſit amabilis ortu,
Cum puer è matris prodijt ille ſinu.
Tunc & Phœbe tuo felix Cyllenius aſtro
Affuit & Veneri ſtella benigna Iouis.
Melpomene puero blandis arriſit ocellis,
Lætitiæ Charites ſigna dedere nouæ.
Inprimis pueri, puer ille ſalutifer orbi,
Aligerûm curam iuſsit habere gregem.
Ipſe etiam cunas non dedignatus adire,
Creſce puer dixit paruule, magnus eris.
Magnus eris, vatesq́; mei celebrator honoris
Sæpe canes lyricis carmina ſacra modis.
Sacra canes, quæ ſunt quanto meliora profanis;
Tanto tu reliquis carmine maior eris.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Talia ſeruator mundi puer omine læto
Dixit, & euentu quis caruiße neget?
Qui modo Fabricium norit, florentibus annis
Ingenij vt dederit ſigna probanda ſui.
Strenuus vt rigidas iuuenis ſuperauerit Alpes,
Viderit & Latiæ regna vetuſta plagæ:
Romuleas arces, & auernum, antrumq́; Sibyllæ,
Sceptraq́; Parthenopes, Pauſilypiq́; iugum:
Vt ſtudijs doctisq́; viris intentus ibidem,
Vicerit æquales laudis honore ſuos:
Redditus vt patrijs vates doctißimus oris,
Eximijs fuerit charus vbiq; viris.
Tu verax mihi teſtis eris diuine Melanthon,
Tu quoq; Pierij dux Ioachime chori.
Non etiam negat hoc noſtri lux Sturmius æui,
Non negat Auguſtus Mauriciusq́; duces.
" Doctiloquis placuiße viris non vltima laus eſt,
" Eſt quoq; principibus laus placuiße viris.
" Sed ſummo placuiße Deo laus maior habenda eſt,
" Qua ſine nil veræ cætera laudis habent.
Hac quoq; Fabricium celebrem quis laude negabit?
Cui vena è cœlo, non aliunde, fluit.
Quem tantus pietatis amor, tam candida virtus
Ornat, & in niueo pectore pura fides.
Bella canant alij, turpes canat alter amores,
Et ſacros vates ſe tamen eſſe putent:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Laude ſuos tollant Atheſiſq; Paduſq; poëtas;
Hic meus eſt vates, hoc ego magnus ero.
Hoc ego magnus ero, ſpurci diſcedite vates,
Sanctior eſt vates nobiliorq; meus.
Carus hic eſt Chriſto; mendax vos Phœbus amauit:
Vos Venerem; verum ſed canit ille Deum.
Heroum eſt aliquid, fateor, benè dicere laudes, "
Omnia ſed Chriſtum qui bene dixit habet. "
Hic meus eſt vates, hic Chriſto digna locutus,
Quæ canit, hæc factis exprimit ipſe pijs.
Cedat Arar, Rhodanus, cedat Tybris, Iſter & Ar-
Sanctior eſt vates, nobiliorq; meus. (nus,
At vos ô iuuenes tali gaudete magiſtro,
Veſter hic eſt, multi quem petiere ſibi.
Æternasq; Deo tali pro munere grates
Dicite, non cunctis munera tanta dedit.
Non hunc deſidia, vel turpi offendite vita,
Vt decet, hunc patris ſemper amate loco.
Degener es, ſæuiſq; puer cyclopibus ortus,
Tam temerè huic iram qui ſcelerate moues.
Vir bonus eſt commune bonum. quid publica turbas "
Commoda? non patriæ te nocuiſſe pudet?
Illius hic laudes, & fortia facta priorum,
Hiſtoria celebrat carminibuſq; ſuis.
Parce igitur tali puer improbe parce magiſtro,
Vltricemq; ſcias numinis eſſe manum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sed tu Pieridum decus immortale Georgi,
Natalem peragas hac quoq; luce tuum.
Threïcio non more, iſta qui luce ſolebant
Attoniti querulis exululare ſonis:
Non cadat in noſtros talis veſania mores,
Quos Deus & vitæ ſpes melioris amat.
Cum tuus inciderit celebris natalis in annum,
Quo tecum verbi lux ſimul orta Dei eſt:
Cinge triumphali vates tua tempora lauro,
Filioli vatis laurea ſerta gerant.
Tu conſanguineos & charos inter amicos
Dic hilaris poſito verba iocoſa mero.
Curarum ſatis eſt aliàs: hoc tempore frontis
Eſſe procul rugas triſtitiamq; decet.
Salue ſacra dies, lætoq; relabere curſu,
Candidior vati ſæpius orta meo.
Finierat. Nymphisq; choros ducentibus, ille
Protinus incœptum continuauit iter.
Concentu volucres, florum variata colore
Gramina, lætitiæ ſigna dedere ſuæ.
Albi pater, tibi quas par eſt hoc nomine grates,
Fabricium celebras hac quia luce, fero.
~~Nos quoq; Fabricio multum debere fatemur,~~
Vtilis eſt ~~ſtudijs ſæpius ille meis.~~
~~Hanc igitur donec lumen vitale videbo,~~
~~Perpetuo feſtos inter habebo dies.~~

Sis ſacer & felix, Miſnamq́; innoxius vrbem
Albi pater pleno piſcifer amne riga,
Sic diuturna tuis non deſint gramina ripis,
Frigora ſic puras nulla morentur aquas.

Iacobo Fabricio Chemnicenſi.

Elegia V.

CVM nihil humanis inſit durabile rebus,
Nec ſinat in certo nos Deus eſſe loco.
Cur non exilium potius quàm dicere vitam
Malumus hoc miſeræ conditionis onus?
Sæpe quidem multos fratres multasq́; ſorores
Excipit & teneros educat vna domus.
Sed ſimul aſſumptis adoleuit viribus ætas,
Non datur his vni ſemper ineſſe loco.
Tunc quiuis alio patriam ſub ſole iacentem
Inuenit officij pro ratione ſui.
Hic petit Eoos, gelidas fugit alter ad Arctos,
Hic adit auſtrales, occiduasúe plagas.
Non hic certa domus, non gaudia vera parantur,
Durat ad extremum cura laborq́; diem.
Sic quoq; Fabricios domus edidit vnica fratres,
Hic vbi Chemnicij mœnia clara iacent.
Nunc prior ex illis ætate Georgius Albim
Accolit, Italicis notior ante plagis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Trebócum Blaſius procul hinc conſedit in agris,
Iſlebiæ Andream tecta benigna fouent:
Tu nunc Salanas Iacobe profectus ad vndas,
Fraternæ linquis tecta ſcholamq; domus.
Sic coniuncti animis diſiungi corpore fratres,
Et terræ ſpacijs temporibusq; ſolent.
Nos etiam totidem fratres domus vnica fouit,
Non procul à patria magne Philippe tua.
Nunc diſiuncti omnes peregrinis viuimus oris,
Alter ab alterius ſede domoq; procul.
Balthica maiorem natu iam littora ſeruant,
O vtinam patrijs iunctior eſſet agris.
Me ſacer Albis habet, Nicri docet alter ad vndas,
In patria quartus tecta paterna colit.
Sic igitur miſeræ diſperſi tempora vitæ
Concludent vno patre locoq; ſati?
An nunquam, veluti puerili ætate, licebit
Dilectis vna fratribus eſſe domo?
Patris an alloquio nunquam vultuq; fruemur?
An dabitur nunquam matris amore frui?
„ Quin dabitur. pater eſt alius, domus altera nobis;
„ Eſt domus hæc cœlum, ſed pater ille Deus.
„ Vt nos vna domus magnum diſperſit in orbem;
„ Sic iterum in cœlo colliget vna domus.
Illa domus communis erit ſanctisq; pijsq;,
Et Deus ipſe parens omnibus vnus erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hic patres, fratresq́; pij, veteresq; ſodales,
Ætheria rurſum conueniemus ope.
Hac ego ſpe recreor, dulcem dum triſtis amicum
Propoſitas video continuare vias.
Vade bonis auibus Muſarum cura Iacobe,
Chytræiq́; memor, ſis vbicunq;, vale.

Memoriæ Georgij Smiterlouij Conſulis Sundinij.

Elegia VI.

IMpiger Alcides claua victrice leonem
Suſtulit, Argolicos quod popularet agros.
Eius & exuuijs munito pectore, dixit:
Hæc ego virtutis martia ſigna gero.
Sic quoq; Sundiniam ſtirps antiqua incolit vrbem,
Nomina quæ cæſi nota leonis habet.
Illius in clypeo victor Tirynthius heros,
Et domitrix vaſti claua leonis ineſt.
Scilicet hæc Muſis & Marti dedita, dudum
Inclyta virtutis ſigna vtriusq; dedit.
Inprimis patriæ qui frena Georgius vrbis
Rexit, & hac ipſa qui tumulatur humo,
Hoc clypeo dignum ſe præſtitit, ille rebelles
Affectus, rectæ vi rationis agens,
Iam pridem iuuenis domuit, qui ſæpe leonis
Inſtar in effreni pectore regna tenent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Huic vero, imperio mentis parere coacti,
    Vix iterum vires exeruere ſuas.
His ille exuuijs corpus muniuit honeſtum,
    Veſte quid hac iuueni pulchrius eſſe poteſt?
Quin eadem ſeros illi durauit in annos,
    Sundinia quando conſul in urbe fuit.
Nam patriæ peſtem rixas & crimina tollens,
    Reſtituit pacem iuſticiamq; ſuis.
Plange igitur ſciſcis urbs Sundia plange capillis,
    Conſulis interitu Sundia plange tui.
Illius ornauit mentem ſanctiſſima mater
    Virtutum pietas, aſſiduæq; preces.
Quin ſapiens, gnarusq; boni ſeruator & æqui,
    Et uere cuſtos integritatis erat.
Pectus auaritia uacuum, ſpe muneris expers,
    Dextra fuit cunctis officioſa bonis.
Vox reſpondebat ueraci conſona menti,
    Par ſtudium fidi cordis & oris erat.
Non illo uicit ſub iudice diues egenum,
    Iudicij ſed lex unica norma fuit.
Plange igitur ſciſcis urbs Sundia, plange capillis.
    Conſulis interitu Sundia plange tui.
Qui quanto patriam fuerit complexus amore,
    Illius ærumnæ fidaq; cura docent.
Peruigiles quarum impulſu conſumere noctes
    Et potuit ſolido dicere iura die,

Intereà

Interea ciues tutos vt carpere ſomnos,
Aut poſsent rebus inuiglare ſuis.
Plange igitur ſciſsis vrbs Sundia plange capillis,
Conſulis interitu Sundia plange tui.
Quem licet interdum furiarum turba Cleones
Sint auſi morſu dedecorare ſuo,
Inuidiæ ſtimulis acti & liuore maligno,
Virtuti aſsiduus qui comes eſſe ſolet:
Mox eius tamen integritas ſe lumine claro
Extulit, & patriæ iam quoq; nota patet,
Plange igitur ſciſsis vrbs Sundia plange capillis,
Conſulis interitu Sundia plange tui.
Cui, quamuis viuo ſcelerata calumnia probris
Et voluit fictis ſæpe nocere dolis:
Nunc tamen ex oculis ſublatum, ante omnia quærit,
Hunc ſupereſse ſibi reſtituiúe cupit.
Sed fruſtra. Deus ampla orbi cum munera donat, "
Quilibet hæc grata norit habere manu. "
Nam quando ingratis ea ſuſtulit ille; deinceps "
Haud ſera facile eſt hæc reuocare prece. "
Plange igitur ſciſcis vrbs Sundia plange capillis,
Conſulis interitu Sundia plange tui.
Illius & tumulum violis inſperge quotannis,
Iſtaq; de tanto funere verba lege.
En qui biſsenos quandoq; Georgius annos
Ciuibus auxilio præſidioq; fui,

Stirpe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Stirpe Smiterlouia genitus, conſulq́; creatus,
Suſtinui patriæ qui pater vrbis onus,
Vrbis honor, ſcelerum vindex, virtutis amator,
Impuris terror, confugiumq́; bonis.
Hic functus vita, fluxiq́; laboribus æui
Sum ſitus, in cœlis mens ſociata Deo eſt.
Quisquis es, & noſtro conſul ſuccedis honori,
Officium ſimili fac pietate tuum.

Nicolao Goniæo amico cariſs.

Elegia VII.

CAre mihi veteres inter Goniæe ſodales,
Ecquid adhuc noſtri viuis vt ante memor?
Impletur, bene ſi memini, iam tertius annus,
Quando tibi Varni iunctus in vrbe fui.
Interea Belgas, Morinos, pictosq́; Britannos,
Et vidi populos Gallia culta tuos.
Interea niueas etiam ſuperauimus Alpes,
Et mirum Venetæ vidimus vrbis opus.
Et quas Medoacus, quas Mincius alluit vrbes,
Quà Padus & Lambrus Bacchylioq́; fluunt.
Hinc quoq; nubiferum conſcendimus Apenninum,
Æſtibus in medijs qui niue plenus erat.
Vidimus & Latiæ iam diruta mœnia Romæ,
Et Capitolini templa vetuſta Iouis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hinc per Tyrrhenum Caïetam acceſſimus æquor,
Proxima Parthenopen viſere cura fuit.
Quam circum toto ſi quid memorabile mundo
Cernitur, hic vno dixeris eſſe loco.
Mortifer hic fumo Plini tibi docte Veſeuus,
Pauſilypi contra peruia crypta patet.
Quam ſupra titulos vatum ſpectare duorum
Buſtaq; Sinceri Virgilijq; iuuat.
Quid tibi Baiano calidas in littore thermas,
Inq; cauernoſis balnea ſicca iugis?
Quid tibi Cumanæ repetam ſpelæa Sibyllæ,
Et prope Cimmerijs antra habitata viris?
Quid montes tibi flammiuomos, quid limen Auerni,
Quid phlegetonteos ſulphureoſq; lacus?
Omnia quid referam? quis ſi coniungere Bacchum
Illiusq; velim iugera culta loci:
Murenas Siculi citius numerabo profundi,
Nataq; Campanis aurea mala iugis.
Hæc pergrata quidem, ſed nil mihi gratius vſquam,
Cernere quam doctos hac regione viros.
Quos inter palmam ſenior Victorius, Arni
Accola, iam Sophiæ primus in arce tenet.
Corpore non magnus, ſed mente Manutius acri
Maximus, Auſonia viſus in vrbe mihi eſt.
Hic quoq; Muretum facundo audiuimus ore,
Summo dum coram præſule verba facit.

Ange-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Angelium veteres Alpheæ ab origine Piſæ
  Felſina Cardanum Sigoniumq; fouet.
Tu quoq; care mihi Patauina doctor in urbe
  Robortelle illis annumerandus eris.
Iunius in Batauis, in Francis doctus uterq;
  Ramus, & Auratus nobile nomen habent.
Innumeriq; alij, ſtudijs & uoce diſerta
  Quos etiam priſcis dixeris eſſe pares.
Hos audire uiros non eſt poſtrema uoluptas,
  Te quoq; quos cupidum uelle uidere puto.
Officij ſed te ratio remanere coëgit,
  Et tibi commiſſæ uirgea ſceptra ſcholæ.
Nunc etiam teneram, ſi uera eſt fama, puellam
  Legitimo iungis ſponſus amore tibi.
Blandula quæ niueis ſtringens tibi colla lacertis,
  Poſtmodo longinquas non ſinet ire uias.
Non etiam cupies, felix cui munere diuûm
  Iungitur in caſto uirgo pudica toro.
Pulcrior hæc gemmis, fuluo precioſior auro eſt,
  Vincit & inſtabiles totius orbis opes.
Hac tibi parta quies. toto nos orbe uagamur,
  Et patimur duræ mille pericla uiæ.
Dulce quidem benè finitos narrare labores,
  Sed tamen hoc multis non licuiſſe patet.
Quos mare, uel morbus, dira uel fraude peremit
  Hoſpes in Italicis durior hoſte plagis.

Me quoq; non raro mortis diſcrimine victum
Spes viſa eſt ſubito linquere velle pede.
Penè ſemel perij, cum me ſternente caballo,
In rapidas cecidi, vix rediturus, aquas.
Penè iterum perij nocturnus in Alpibus inter
Gutture congeſtas dum tenus erro niues.
Et prope Spoletum, Clitumni ad flumen amœni,
Sum ſemel indomiti verbere læſus equi.
Sed quid ego Goniæe tibi tam triſtia ſponſo,
Cum deceant thalamos non niſi læta tuos.
Quin animo præſens, hilari tibi gratulor ore,
Opto etiam ſponſæ gaudia mille tuæ.
Illa velut vitis tibi grata umbracula præſtet,
Sitq; refrigerium præſidiumq; tibi.
Hæc tibi lætitiæ cauſam, frontisq; ſerenæ,
Dulce merum fundat, triſtitiamq; fuget.
Tu veſtita velut generoſis vitibus ulmus
Suſtineas ſponſæ dulce virentis onus.
Sit felix hac vite domus, mitesq; racemos
Proferat, & menſam Palladis arbor amet.
Cedite degeneres ſpinoſi cedite rhamni,
Et procul ad Lapithas hinc paliurus eat.
Sed Goniæe rogas, quid ego? fugiamne puellas?
Non equidem fugio, ſed nec amare queo.
Non fugiunt illæ, nec amant. quem virgo requirit.
Certus adhuc illi non amor eſſe poteſt.

Ergo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ergo quid inceptem? mihi, quam Deus eligit, illam
Eripiet nemo præripietue ſcio.
Interea Muſas mecum ſine fine manentes,
Dum licet, à curis liber, amabo. Vale.

In Chironem Io. Chentmanni.

Elegia VIII.

QVam Chentmanne tuæ Chiron bene conuenit arti;
Tam bene naturæ conuenit ille tuæ.
Aſpice Phylliriden, altum & diademate vinctum
Cui caput, ingenium iudiciumq́; notat.
Tu caput extollis per cunctas ſtrenuus artes,
Et penetras animis abdita quæq; tuis.
Atq; ſalutiferas ægris mortalibus herbas
Quæris, & illarum pharmaca mira notas.
Iſta coronatæ pariunt tibi frontis honores,
Quos dudum titulis nobilitatus habes.
Quid tibi Chironis iam ſpicula, quidúe ſagittas,
Armatamq́; manum ſignificare putem?
Percutit ille feras, ſæuos tu corpore morbos
Excutis, & febres te veniente tremunt.
Te peſtis, laterumq́; dolor, te calculus horret,
Et tua mors etiam tela aliquando fugit.
Quid ſonipes tibi, Chironis pars altera, ſignet
Vis dicam? mores denotat ille tuos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Neſcit adulari ſonipes: tu neſcius idem
Candidius cygnis & niue pectus h..bes.
Vtq́; adeo generoſus equus dorſo excutit omnem.
Qui moderari ipſum qua decet arte nequit:
Sic Chentmanne homines ventoſi cordis & atros,
Barbariemq́; ipſam nequitiemq́; fugas,
Sincerus ſincera probans. obtrudere palpum
Qui velit, à domibus ſit procul ille tuis.
Antrum etiam longo ſuſpendens Pelion arcu
Vt dedit Æmonio regia tecta ſeni;
Incolis ingenio ſic tu quoq; viſcera terræ,
Scrutarisq́; imis nata metalla locis,
Illorumq́; notas proprio cum nomine vires,
Quod de foßilibus publica ſcripta probant.
Quin etiam vt magnas Chiron indagine ſiluas
Cinxit, & aucupij ſtrenuus arte fuit:
Retibus ingenij ſic tu volucresq́; ferasq́;
Et capis, & viuo membra colore notans
Exprimis in tabulis proprijs animalia formis,
Piſcibus & per te viua figura redit.
Salue care meis Chentmanne ô optime Muſis,
Chironisq́; tui ſecula vince ſenex.
Nec meritis minor eximijs, par laudibus illi,
Siderei penetres lucida regna poli.
Quò pateat toti poſthac tua gloria mundo,
Vt Chiron radio non pereunte micat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Animæ C.C. in ſtellam inuſitatam Metempſychoſis.

Elegia IX.

QVid cœlo noua ſtella micat? quid denotat orbi?
Eſſe cometa quidem dicitur illa mihi.
Aſt ego nec formam, nec flammam agnoſco cometæ,
Ni micet inſolito conſpicienda loco.
Quin ſimilis fulgore alijs eſt vndiq; ſtellis,
Certat enim radijs Iupiter alme tuis.
Credo equidem, nec vana fides, ſi Iulia ſtella
Oppreſſo per vim Cæſare viſa fuit:
Caſparis haud aliter, meliori iure, videri
Sidera, qui magno Cæſare maior erat.
Maior erat pietate, fide, Chriſtiq; timore,
Chriſticoloq; oculus præſidiumq; gregi.
Vi nunc & fraudum et ſcelerum, non Martis apertis
Canicies illi tincta cruore fluit.
Membra iacent celſis miſerè exturbata feneſtris,
Fractaq; & innumeris ludificata modis.
Aſt anima in cœlo nulli occidenda triumphans,
En micat è medio luce coruſca polo.
Oſtenditq; adeo ſtellarum viuere regem,
Cui curæ exigui ſit laniena gregis.
Et pœnas ſcelerum auctori denunciat atras,
Quas luet in ſtygijs ſanguinolentus aquis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Illa autem viſu paulatim excelſior aeri,
Angelici repetet regna beata chori.
Cœleſteſq; animas inter non vltima, tantis
Gaudia pro plagis non peritura feret.
Salue anima illuſtris, ſalue ô pulcherrima ſtella,
Caſtilionei nuncia ſtella tui.

Bernardo à Mencingen.

Elegidion X.

TErtia iam Bernarde puer tibi carmina mitto,
A te ſed nobis littera nulla venit.
Forſitan ignoras qua iam regione moremur,
Cum liceat certo vix mihi ſtare loco.
Nunc ego Fabricio conuictor ſedulus adſum,
Miſena ſpumiferas qua videt Albis aquas.
Ocia grata meis tribuunt hic numina Muſis,
Et faciem tanti colloquiumq́; viri.
Mox tamen ad veteres cogor remeare penates,
Varniadum roſeos qua rigat amnis agros.
Huc tua ceratis ſi litera peruolet alis,
Nil animo poterit gratius eſſe meo.
Interea matriſq; tuæ magniq; parentis,
Et memor officij, ceu decet, eſto tui.
Magna eſt nobilibus laus eſſe parentibus ortum, "
Maior at è ſtudijs ingenioq; venit, "

» Hæc duo ſi pietas exornet & inclyta virtus,
» Maxima laus dici nobilitasq́; poteſt.
De tribus ingenioſe puer tibi contigit vnum,
Dij, duo ſi iungas altera, quantus eris!

Zachariæ Stopio.

Elegia XI.

QVam tibi pæoniæ Varnus cum fronde coronam
Impoſuit, longo tempore ſoſpes habe.
Hanc tua promeruit longo iam tempore virtus,
Et labor, & medica nobilis arte manus.
Hanc tua promeruit bonitas, doctrina, fidesq́;,
Iam procul arctois cognita ſæpe plagis.
Cognita quin nobis etiam. Stopi optime ſalue,
Et viue innumeros abſq; dolore dies.
Varniades Muſæ placidè comitentur euntem,
Viſtula te celebret, Bregela ſemper amet.
Duna etiam reducem pulchro pulcherrimus amne
Excipiat, tremulis & tibi ludat aquis.
Quin Rigæ proceres, & ſummus in vrbe ſenatus
Ex reditu capiant gaudia vera tuo.
Gaudia vera tuo reditu fidiſsima coniunx
Sentiat & ſoboles & tua tota domus.
Te redeunte ſuas etiam mors improba falces
Contrahat, & morbi te redeunte tremant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Experti fidas operas, & pharmaca dudum,
Quæ poſſunt rigidæ flectere tela necis.
Nos mœſti interea diſceſſu dulcis amici
Fundemus querulas in tua vota preces.
Perpetuoq́; tui memores te voce ſequemur,
Tu memor & noſtri, ſis vbicunq́;, vale.

Dauidi Chytræo fratri ex Auſtria reduci.

Elegia XII.

TE ſaluum rediiſſe ſcholæ cariſſime frater,
Et mihi multiplici nomine lætor ego.
Lætantur collegæ omnes, ſchola tota triumphat,
Te viuo quæ ſe viuere poſſe putat.
Tu modo viue diu, lætamq́; exporrige frontem
Interdum, & curas triſtitiamq́; fuga.
Gaudia viuificant hominem, ſanumq́; tuentur, „
Quem grauis anxietas curaq́; longa necant. „
At tu perpetuo aut libris affixus inhæres,
Aut noua te reducem ſollicitudo premit.
Quæ te etenim vitæ genio tribuiſſe putarim
Tempora? num paucos enumerabo dies?
Non equidem potero. nam te modo ſacra docendi
Scribendiq́; procul publica cura rapit.
Conſilium nunc ille tuum, nunc poſtulat ille,
Hic labor incumbit, nunc labor ille tibi.

Quin etiam totis turba importuna diebus
  Obſidet, & clauſas non ſinit eſſe fores.
Interea dictis alij ſcriptisq́; fruuntur,
  Te labor & ſolum cura moleſta premit.
Vix ſuſpirandi tempus, non dico iocandi,
  Vt ſupereſſe tibi frater amice queat.
An non hoc ſtudium ſibi prorſus inutile dicam,
  Quod prodeſt alijs & ſibi ſponte nocet?
Ceſſa igitur paulum, ceſſa optatiſſime frater,
  O mihi dilecti patris amande loco.
Et quintæ cum ſigna dabit ſol pronior horæ,
  Non pigeat noſtræ limen adire domus.
Sobria cœna tibi paucisq́; paratur amicis,
  Sobria ſed multi forte futura ioci.
Si deſint lepores, lepidos Brucæe lepores,
  Sepoſita ſceptri ſed grauitate, feres.
Memmius ipſe aderit, doctoq́; Caſelius ore,
  Et Paulus ſacri buccina clara gregis.
Clingus hunc ipſum læto ſermone ſequetur,
  Nec deerit linguæ gratia grata tuæ.

Margaridis Iohannis Schoſſeri æmiliani tumulus.

Elegia XIII.

HIc ego Schoſſero vati cariſſima coniunx
  Margaris, extincto corpore, feſſa cubo.

Mens ſed in ætherias, vbi patria priſtina, ſedes
    Iam redijt, vultu perfruiturq́; Dei.
Hora etiam veniet celeri lætißima curſu,
    Huic animæ iunget cum ſua membra Deus.
Hoc ſcio, nil planè dubitans, hoc glorior vno, “
    Semper & eſt animo ſpes ea fixa meo: “
Quod meus in ſupera carißimus arce redemptor “
    Viuat adhuc, vitæ fons & origo meæ. “
Et licet in cineres corpus mors putre reſoluat, “
    Vertat & in nihilum quod nihil ante fuit: “
Attamen huic ſuprema dies cum fulſerit orbi, “
    Et leuis hoc mundi flamma reſoluet opus: “
Chriſtus id informi reuocans è puluere terræ, “
    Hæc iterum cinget carnibus oßa ſuis. “
Hac & pelle meos rurſum circumdabit artus, “
    Quin & in hac ipſa carne videbo Deum. “
Hunc ego, non alij pro me, ſine fine videbo, “
    Lætior allatis tot mihi morte bonis. “
Ipſa quidem cum iuncta tibi tellure morarer,
    Care vir, & cordis portio fida mei,
Non obſcura fui; ſociam dedit inclyta princeps
    Me tibi, Guelphorum ſtirpis Eliſa decus.
Illius orator ſacram me duxit ad aram,
    Donaq́;, non multis quæ data credo, dedit.
Tu quoq; præcipuos inter laus maxima vates,
    Qui titulos veræ nobilitatis habes,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Gloria ſumma mihi præclaraq́; fama fuiſti,
Et fuit huic tanto nubere dulce viro.
Viximus vnanimes ſemper dum viximus, & mens
Vita, fides, pietas vna duobus erat.
His quoq; mortali nil dulcius orbe putatur,
Contingunt ſummo nec niſi dante Deo.
» Fluxa ſed humanæ ſunt vanaq́; gaudia vitæ,
» Vnica ſunt ſuperæ gaudia firma domus.
His meliora bonis, maioraq́; gaudia cœlum
Exhibet, ætheria nunc quibus arce fruor.
Nunc procerum comitante choro, ſuprema tonantis
Atria, cœleſtes intueorq́; lares.
Carmina nunc, plauſusq́; ſacros, & cantica patrum
Sentio mirificis me recreare modis.
Ipſa etiam dum tu clarorum geſta virorum,
Et canis in terris maxima facta Dei;
Proximiore gradu cœleſtem carmine regem
Laudo, mouens faciles ad pia verba modos.
Care marite vale, nimios & vince dolores,
Huc quoq; pòſt, nullo te prohibente, veni.

Vuendelino Hiplero Vuimpinenſi.

Elegia XIIII.

Vendeline mei pars pectoris altera, linquis
Dum modo Varniadum vix rediturus aquas,

Sentio non ſolitos turbato in corde dolores,
Excruciatq́; animum ſollicitudo meum.
Nam natale ſolum tecum mihi contigit vnum,
Et tua ſunt patriæ tecta propinqua meæ.
Inſuper & probitas tua te mihi iungit, & inſons
Candor, & innocuæ ſimplicitatis amor.
Te quoq; commendat laudata ſcientia Iuris,
Et virtus fraudis neſcia, pura fides.
Non ita Pirithoum Theſeus lugebat ademptum,
Cum Phlegetonteas fortis adiret aquas:
Non ita magnanimum Pylades lugebat Oreſtem,
Quos inter miri fœdus amoris erat.
Sicut ego noſtras te velle relinquere ſedes,
Forſitan & nunquam velle redire, queror.
Sed quia, quo fortuna iubet, migrare neceſſe eſt:
Eſt deſiderij vana querela mei.
Vana querela mei prorſus ſunt carmina luctus,
Mutari, ſuperi quod voluere, nequit.
Ergo bonis auibus, pede fauſto, & ſidere dextro
Incipe propoſitam continuare viam.
Det Deus, vt quondam ſub limina noſtra reuerſum
Te poſſim magnis annumerare viris.
Atq; olim patrius venturis Neccarus annis,
Hic etiam, dicat, noſter alumnus erat.
I nunc ad celebrem generoſi Principis aulam,
Atq; memor noſtri tempus in omne vale.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Memoriæ D. Iacobi Bordingi Medici clariſs.

Elegia XV.

HEi mihi daphneas cur triſtis Apollo coronas
 Proijcit, & doctæ plectra ſonora lyræ?
Hei mihi funerea cur turba nouena cupreſſo
 Cingitur, & preſſos fundit ab ore ſonos?
Scilicet occubuit medica Bordingus in arte
 Clarus, Apollinei famaq; prima chori.
Qui propter varias diuino in pectore dotes,
 Viuere perpetuo tempore dignus erat.
Sanctus enim veræq; fuit pietatis amator,
 Et coluit pura mente manuq; Deum.
Ipſius ex geſtu grauitas, ex ore reluxit
 Candor, & ingenuæ ſimplicitatis amor.
Fidus erat fidis, conſtans & amicus amicis,
 Nullus in egregio pectore fucus erat.
Iupiter & reliquas vt vincit lumine ſtellas,
 Fulgidus in medio cum micat ille polo:
Sic medicos noſtro Bordingus tempore vicit
 Ingenij multos dexteritate ſui.
Noſter Iohannes Albertus, amabilis heros,
 Deplorat medici fata ſuprema ſui.
Varnus & ipſe pater vultus in flumine condit,
 Et lachrymis tumidas triſtior auget aquas.
Illius ad ripas virides nam quærere plantas
 Sueuerat, & doctis verba referre modis.

Illius ipſe necem deflet Moſa, Sequana, Rhenus,
Spumifer & Rhodanus, populiferq; Padus.
Ipſe ego ceu patris Bordingi funera luxi,
Ille fuit ſtudijs ancora fida meis.
Sed mea quid nimio conſumam corda dolore,
Et fundam querula carmen inane lyra?
Quin potius Bordinge poli tibi gratulor arces,
Tam bona mutata qui loca ſorte colis.
Inter & angelicas repetens noua carmina turmas,
Cœpiſti vita proſperiore frui.

In cantiones ſacras Præneſtini.
Elegia XVI.

SVnt opera humanæ varia & præſtantia linguæ,
Sed ſummum eſt laudes concelebrare Dei,
Et puras cantare preces, quæ præſtitit illud
Officium, impleuit ſedula lingua ſuum.
Non ergo immeritò prudens laudanda vetuſtas,
Perſtudioſa hominum, perſtudioſa Dei,
Quæ pia munifico ſtruxit collegia ſumptu,
Attribuitq; pijs præmia certa ſcholis.
In quibus & Chriſto rectè ſeruire iuuentus
Diſceret, & viuo cantica grata Deo.
Biblia quapropter totum digeſta per annum
Vnanimi iuuenes concinuere ſono.
Et præſcripta ſibi ſolers ad munia, quiſq;
Præſtitit officium lege iubente ſuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic pudor & probitas, ſic diſciplina per orbem
Floruit, & pietas magno in honore fuit.
Quæ nunc in tenues penè euaneſceret auras,
Ni pauci celebres relligione viri,
Non ſine mente Dei priſcæ grauitatis amantes,
Conſulerent ſacris hac quoq; parte ſcholis.
Laxatosq; nimis ſcelerato hoc tempore mores
Comprimerent ſtudijs officijsq; pijs.
Quos inter Præneſtino ſua præmia debet
Relligio in varijs pene ſepulta locis.
Verè igitur Chriſto multos vt ſeruiat annos,
Quisquis es ardenti corde precare Deum.

Franciſco Robortello, profeſs. Patauino.
Elegia XVII.

LVX Sophiæ, vatumq; decus, doctiſsime vates
Robortelle Italis gloria magna tuis.
Cur adeo mea ſæpe iubes tibi carmina mittam?
Carmina nec tanto digna nec apta viro.
Tu iam ſumma tenens Heliconis culmina, ducis
Ad Phœbi lepidos plectra ſonora choros.
Pieridesq; inter ſacras, ſanctosq; Poëtas
Laurea te viridi fronde corona tegit.
Montis adhuc procul à vobis nos infima radix,
Sudantes dubia coditione tenet.
Vnde nec excelſum fas eſt ſperare cacumen,
Nec prærupta pedem ſaxa referre ſinunt.

Spemq́; metumq́; inter dubijs ſic hæreo curis,
  Nec miſer, an redeam progrediarúe, ſcio.
Vt redeam via longa iubet multiq́; labores,
  Et ſimul ingenij vena puſilla mei.
Vt pergam tua iuſsa mouent mitisq́; voluntas,
  Tu tendis faciles in mea cœpta manus.
Vtri igitur parere decet? tibi candide vates,
  Namq; procul dubio tu meliora mones.
Omnibus in ſtudijs labor eſt, labor omnia vincit, “
  Dat nihil omnipotens absq́; labore Deus. “
Præterea in magnis ſatis & voluiſse putatur, “
  Parua placet magno victima ſæpe Ioui. “
Sed neq; Pleïades merito quis ſpreuerit, illis
  Sit licet illuſtri Phoſphorus igne prior.
Vt neq; dulciſona nos voce offendit acanthis,
  Hanc ſuperet numeris ſi philomela ſuis.
Si nequeam Philomela olim, laudabor acanthis,
  Pleïas ero, quamuis Phoſphorus eſſe neger.
At tu quò maior diuinus acanthide cygnus,
  Quanto Pleïadibus Lucifer igne præit:
Euganeis tanto maior doctoribus olim,
  Et ſis egregijs vatibus arte prior.

Patauij X. KL. Aug.
Anno 1557.

NATHA-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

ELEGIARVM LIBER SECVNDVS.

Illuſtriſs. Chriſtophoro, Duci Megapol.

Elegia I.

*R*EX *lacrymas ægro fundens ſi corde Pheræus*
Cuncta domi queritur triſtia, cuncta foris;
Alceſten quando vxorem tumularet, amatam
Ex animo, & thalami ſpemq; decusq; ſui:
Quid tibi mentis erit princeps cariſsime Muſis,
Chriſtophore Heruleæ viua columna domus?
Doreothêa placens vxor cui nuper adempta
Pro thalamo tumuli concaua ſaxa ſubit?
Nonne etiam ſimilis cruciat tibi pectora luctus?
Mœſta domi vt credas omnia, mœſta foris?
Credo equidem: quin crebra illud ſuſpiria, crebri
Singultus, gemitus, lacrymulæq; probant.
Siſte tamen lacrymas, finemq; impone querelis,
Quandoquidem lacrymis non eget illa tuis,
Cui lacrymas iam dudum omnes abſterſit Ieſus,
Cara incredibili cui pietate fuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Is quandoq; tui reprimet quoq; verbera luctus,
Qui modo te ſiccis non ſinit ire genis.
Interea gemitus diua pro coniuge fuſos,
Et lege mandato carmina cœpta tuo.
Defunctæq; tuæ veras non neglige laudes,
Quæ tibi, dum vixit, complacuere. Vale.

Ioanni Gudſtauo à Roſa, Comiti, Academiæ Roſtochienſis Rectori. S.

Cum tibi Varniades ſua tradant ſceptra camœnæ,
Sertaq́; de Rhodijs, fronte gerenda, roſis:
Detq́; tibi gentilitium Roſa florida nomen,
O veteri præſtans nobilitate Comes:
Quis neget iſta tibi de pulcro carmina Varno
Deberi? auricomas cum riget amne roſas.
Sint igitur tua. tu placido data ſuſcipe vultu,
Muſarumq́; ſacras protege Rector opes.
Dent illæ vt ſeros lætis in floribus annos
Lætus agas lætæ floſq́; decuſq́; roſæ.

VARNVS.

Elegia II.

QVà caput extollit, quà mergitur æquore Varnus,
Totus Vdalrici ſub ditione fluit,

Cui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cui Megalepolis extincti poſt funera fratris
Paret, & vt ſoſpes ſit maneatq́; rogat.
Parchima namq; illis non eſt incognita terris,
Parua ſed vrbs agri fertilis vber habens.
Cardioréa prope eſt, teneris vbi fontibus ortus
Bernini Varnus ſtagna propinqua ſubit,
Stagna vbi tot ſapidos educunt retia piſces,
Qui ſua finitimis dant alimenta locis.
Cribitij arguto mox diuidit arua ſuſurro,
Roboris & tantum limpidus amnis habet,
Ducat ut in gyrum minuentem farra catillum,
Quem rota deciduis icta fatigat aquis.
Aduena mox Myliæ viſit viridaria ſiluæ,
Quaq́; poteſt riguos voce ſalutat agros,
In quibus à curis varijs Muſiſq́; ſibiq́;
Reddere ſe Mylius, cum ſinit aula, ſolet:
Tale quid ad Varnum meditans, ad murmura quale
Fibreni Arpinas inclytus ore ſenex.
Nec Pluti tumulum aut Dryadum quam præterit au-
Nec memoro ſaltus Bucephalea tuos. (lam
Quos idem Varnus pacatis diuidit vndis,
Cygneæ donec tranſeat arcis agros.
Pontis & impatiens properet per florida prata,
Imbuat & blandæ flumen odore roſæ.
Quippe Rhodos nitidæ qua ſaxea ſubiacet Arcto,
In geminas fiſſo ducitur amne plagas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Pars læua à veteri maiorem ſeparat vrbem,
Dextera piſciferis mœnia luſtrat aquis.
Atq; vbi ſic primam complexibus alluit vrbem,
Mox coit, & ſtatio nauibus apta patet.
Illius ad ripam latus vnum extenditur vrbis,
Fertur quæ à Rhodijs nomen adepta roſis.
Cuius nidificant tot tuti in flumine cycni,
Vix alat vt plures ipſe Cayſter aues.
Hinc opulentus aquis, laxo & ſpacioſior alueo,
Æquora cum fremitu Balthica Varnus init.
Nauigijsq; vias aperit, quîs cuſpide magnes
Ad Boreæ & Zephyri littora monſtrat iter.
Salue Varne tuo multum celebrate Roſeto,
Siq; ſapis, Cycnos dilige, parce Roſis.

D. Ioanni Cyriaco, L. Baroni Polhæmio & Vuartemburgio, Academiæ Roſtochienſis Rectori.

Elegia III.

LAudato placuiſſe viro ſi maxima laus eſt;
Quanta erit Aonio laus placuiſſe choro?
Totq; adeo placuiſſe locis, vbi clara Lycæa
Pieridum paſſim ſplendida dona ferunt.
Vix te etenim generoſe Baro vitalibus auris
Intulit illa tui tam ſtudioſa parens,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cum caſtæ Aonides puero arriſere tenello,
Et ſeſe cunctis exacuere modis,
Vt nati ingenium excolerent moresq́; venuſtos,
Quo patria dignus nobilitate fores.
Non negat hoc ipſum ſat teſtis idoneus Iſter,
Non hoc egregij Cæſaris aula negat,
Qui videre tibi caſtas præſto eſſe puellas,
Certatim & donis te decorare ſuis.
Hinc pietas innata tibi eſt, hinc aurea mentem
Sophroſyne exornat, virgineusq́; pudor.
Hinc nymphas conſtanter amas, & vana Lyæi
Numina contemnens, nunc quoq; potor aquæ es.
" Scilicet ingenij atq; animæ ſunt pabula lymphæ,
" Quîs furor exitio Bacchicus eſſe ſolet.
A quo, Polhemiæ gentis flos inclyte, tutus,
Perpetua Muſas ſobrietate colis.
Quæ comites etiam tibi clari ad pulpita Nicri,
Tectaq́; Sturmiacæ clara fuere ſcholæ.
Atq; ibi te, mentemq́; tuam, linguamq́; diſertam
Vſq; adeo ſtudijs expoliere ſuis:
Vt primo viſum te miraretur Eliſter
Lipſicus, aduentus lætus honore tui:
Atq; vt Leucoreus dignum te crederet Albis
Cui daret Aonij ſceptra ferenda gregis:
Nunc quoq; ceu tanto dignum te cenſet honore
Varnus Mænaliæ vita ſalusq́; Rhodi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sis ſaluus generoſe Baro: lætare beatis
    Ominibus, toties quæ duplicata placent.
Det Deus, vt quondam maiori illuſtris honore
    Danubij ad patrias ingrediaris aquas:
Muſarum tamen & Roſeæ non immemor illic
    Palladis, ex animo quæ ſtudioſa tui eſt.
Interea hic ſceptris felicibus vtere felix,
    Iuraq́; tam laceræ ſalua tuere ſcholæ.
Innocuos defende libens, compeſce nocentes,
    Sit memor officij te duce quisq; ſui.
Doctores doceant, illos audire minorum
    Sit cura, & ſtudijs inuigilare labor.
Sit peſtis procul atq; fames te ſceptra tenente,
    Aut ſi quid ſtudijs plus nocuiſſe queat.
Diffugiant hinc ignaui ſine pectore ventres,
    Innumeris fucis vnica præſtat apis.
Deniq; quid melius cunctis optauero, quam grex
    Vt regi ſimilis ſit bonitate ſuo?

Nobiliſs. D. Nicolao Caaſæ inclyti regni Danici cancellario magnifico, domino ſuo colendo.

Elegidion IV.

CVm Galateum auro cumulaueris inclyte Caâſa,
    Quod tamen expreſſè ne faceres petij:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nunc quoq; quod petij, magniſq; quod expeto votis
Vt facias, cupidè perficiasq; rogo.
Nimirum vt regi ſacros mea munera faſtos
Commendare nota de meliore velis:
Quîs ego ſcribendis iuueniles impiger annos
Hactenus impendi, meta laboris vbi eſt?
Non regi indecores illos regnoq; futuros,
Teſtatur claro Iulius ecce ſono.
Quem bene ſi norit noſtri rex optimus æui,
Non poterit faſtis non bonus eſſe meis.
Quin nomen quandoq; tuum vt celebretur in illis
Præ reliquis cura eſt vna futura mihi.
Si vero ſpes nulla ſubeſt, fruſtraq; laboro,
Id quoq; ſi ſciero muneris inſtar erit.
At tibi pro miſſiſq; Roſis ſcriptiſq; benignis
Gratia quæ meritis par queat eſſe tuis
Non video. tu ſinceræ pro pignore mentis
Iam ſtrenam hanc, donec plura ſequantur, habe.

Memoriæ D. Alberti Cnopperi Ad D. Caſparum Paſelicum. V. C L.

Elegia V.

ERgo fama volans tanti prænuncia luctus
Spem præter, quæ nunc irrita, vera fuit?
Ergo iterum cari Caſpar deflebis amici
Funera, amicorum Caſpar amice decus?

Cnopperusq́; tuus Themidis legumq́; patronus,
Sic fuſo externam ſanguine tinxit humum!
Nec propria integritas, nec regis amabile nomen,
Nec potuit virtus hunc retuliße ſuis.
Dilia flaua dole, quæ mœnia clara Louani
Diuidis, ille tibi fidus alumnus erat.
Cum Rheno patrio Suollenſiq́; vrbe relicta
Palladij inuiſit culta Lycæa tui.
Aſtrææq́; ſacer ſtudijs caſtæq́; Mineruæ
Ingenium excoluit, laudis amore, ſuum.
Diſcipulisq́; ſimul carus, carusq́; magiſtris,
Cæſarei euaſit gloria rara fori.
Hinc genitor Friderice tuus, rex illius æui
Optimus & Chriſti nominis omen habens,
Euocat hunc, populisq́; ſuis myſteria legum
Pandere, qua poßet ſedulitate, iubet.
Eius & in dubijs valuit ſententia cauſis,
Quæ fuit egregijs ſæpe probata viris.
Mißus & illuſtres non raro orator in aulas
Legati eximio clarus honore fuit.
Innocuus, placidus, præſtanti corpore celſus,
Fidus amiciciæ cultor, amatus hero.
Mente ſibi conſtans, veraci candidus ore,
Magnifica retinens in grauitate decus.
His ille atq; alijs præſtans virtutibus, aulæ
Gratus erat regni rex Friderice tui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tu poſt fata patris Cnopperum ſemper amaſti,
Expertus toties illius ipſe fidem.
Nunc quoq; legatum, non parua negotia credens,
Miſiſti ad Scaldis, Belga per arua, ſinus.
Arua illi lætis quondam genialia Muſis;
Sed nunc fatali facta inimica colo.
Scilicet hic veteris repetentem tecta Louani
Sauciat à furijs exagitata manus,
Sex equitum ſcelerata manus, qui fulminis ictu
Nitrigeni innocuum bis tetigere ſenem.
Concidit ille quidem; ſed plagis fortior iſtis,
Viuus adhuc vrbis tecta propinqua ſubit.
Septem vbi mox luces bene ſana mente ſuperſtes,
De rebus ſtatuit, quæ placuere, ſuis.
Saluaq́; præſenti diplomata regia nato
Committit domino reſtituenda ſuo.
Hinc iter ad cœlum ingrediens, mortale relinquit,
Cum gemitu exſpirans totius vrbis, onus.
Sicne igitur Cnoppere tuis rediturus abiſti?
Sicne iaces viduæ cura dolorq́; domus?
Sicne iaces, regi gemitus, carisq́; propinquis,
Spes quibus eſt reditus irrita facta tui?
Sicne iaces proprio perfuſus membra cruore?
Traiectus gemino vulnere ſicne iaces?
Nec tibi legati pridem inuiolabile nomen
Profuit, aut regis dextera longa tui!

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nil caſtæ potuere preces & vota piorum,
In reditum toties vota iterata tuum?
An cui vis Boreæ toties maris ira pepercit,
Parcere barbaricæ non potuere manus?
O immane nefas! ô nulla morte piandum
Dedecus! ô æui noxa pudorq́; tui!
Sic talem tantumq́; virum cecidiſſe! priorem
Eximijs etiam mente fideq́; viris.
Certe tempus erit, quod nec procul eſſe putandum
Sit niſi iuſtitiæ nomen inane Dei: (eſt,
Cum ſero ſcelerata cohors optabile ducet
Hac cæde indignas abſtinuiſſe manus.
Quin iam perpetuo furiæ comitantur euntes,
Et terrent dira corda animosq́; face.
At tu magne heros, tam triſti clade peremptus
Sis licet; æternùm nobile nomen habes.
Non etenim cæſus dici Cnoppere pudendis
Vulneribus, moriens in ſtatione, potes.
Dum regi obſequeris, cœlas commiſſa, nec ictu
Oppreſſus duplici concidis exanimis.
Sed viuus tua diſponis, ſupremaq́; nato
Das iuſſa in viduam mox referenda domum:
Dumq́; illas animam ad cathedras effundis, vbi olim
Proficere & leges diſcere dulce fuit.
Crede mihi verum dicenti, haud clarius olim
Viuere, nec poteras clarius inde mori.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nunc quoq; cum Chriſto ætheria dum degis in aula,
　Concedat votis quis potiora tuis?
Quando alias nos ad lacrymas, ad bella neceſq;
　Fata, pijs votis vix remoranda, vocant.
Salue ergo decus æternum Cnoppere tuorum,
　Æternùmq;, breui ſed rediuiue, vale.

At tu, qui fidis toties orbaris amicis,
　Pone modum querulis, ſi potes, oro, ſonis.
Cnopperoq; caue tam fauſtæ gaudia vitæ
　Inuideas, mundi non redimenda bonis.
Iam verè in patria eſt, iam veros inter amicos,
　Nos quoq; quos inter, præuius, eſſe cupit.
Voti igitur tantus compos quò fiat amicus,
　Siderei faxit cura benigna patris.
„ Nos memores lethi ſimus. quis dicere nouit,
„ 　Hora futura ſuæ quæ ſit & unde necis?

ΑΠΟΠΕΜΠΤΙΚΟΝ
Nicolao Ranzouio.
Elegia VI.

DVm repetis patrios, ſic matre volente, Penates,
　O Nicolae tuis ſpes bona, care mihi;
Cur te non voto fida de mente profecto
　Proſequar, atq; optem proſpera cuncta tibi?

Tu noſtræ quandoq; domus pars magna fuiſti,
Nota mihi eſt probitas ingeniumq́; tuum.
Notum etiam primæ quam ſit via lubrica vitæ,
Quam facile in vitium nos malus error agat:
Quam facile exemplo noceant dictisq́; pudendis,
Hi quibus eſt vnus degenerare labor:
Ergo velut portu qui iam conſedit amato
Nauita, ſoluentes inde monere ſolet,
Quid facto ſit opus: quæ & quanta pericula nauī
Immineant; quæ ſint quoq; cauenda loco:
Sic tibi ego, mihi tam caro, dum dulce Roſetum
Deſeris, officij ſuggero iura tui.
Natura probus es, bonus indole, corde modeſto
Integer, & veræ relligionis amans.
Vt maneas talis, labor eſt. quæ cauſa laboris
Illius haud neſcis: res manifeſta docet.
Ergo tibi pietas, velut eſt, ſit tum quoq; cordi,
Sit virtutis honos, ſit probitatis amor.
Reſpue ventoſum veſano in pectore faſtum,
Delicias Veneris, ſit niſi caſta, fuge.
Bacchi etiam, Circes non raro imbuta veneno,
Pocula ne guſtes cautio ſumma tibi eſt.
Huc qui ſollicitant prauos contemne ſodales,
Hi ſunt pernicies exitiumq; bonis.
Quin potius te iunge viris quibus aurea curæ eſt
Sophroſyne, & virtus, Aonidumq́; decus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hi maiora tibi, quam Bacchus & improba Cypris,
Commoda iam tulerunt, commoda plura ferent.
Aſpice ut affinis iam te præcedat eodem
In ſtadio, Floris nobile nomen habens:
Qui tecum multos ut felix floreat annos,
Votis ſinceri pectoris opto tibi.
Dorothea quin matre tua nil caſtius uſquam eſt.
Nil magis officij nil pietatis amans.
Hos imitare libens potius, quam facta cyclopum.
Quîs venter Deus eſt, nomen inane pudor.
Si facies, non terrenus modo nobilis olim;
Sed decus æternæ nobilitatis eris.

Memoriæ Thomæ Rhedigeri.

Elegidion VII.

NON equidem mihi viſus eras clariſsime Thoma,
Nota ſed eſt animi mens generoſa tui:
Quæ tot nota viris, & magnum ſparſa per orbem
Cum fuerit, ſolum me latuiſse nequit.
Tu rediuiuus eras Mæcenas ille beatus,
Dulce decus Muſis qui columenq; fuit.
Quo duce Mæoniden Mantûs æquauit alumnus,
Flaccus & Æoliæ plectra ſonora lyræ.
" *Scilicet ingenuas honor inclytus excitat artes,*
" *Propoſita & ſtudijs præmia certa ſacris.*

Quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quæ ſi ſint nulla; anſeribus vel dentur; olorum “
Poſthabito, quod fit, nobiliore choro: “
In peius tum cuncta retro ſublapſa referri, “
Quid mirum eſt? virtus laudibus orba iacet. “
Ergo nec immerito ſublimi eſt laude vehendus
Rhediger, Aonidum lux, patriæq; decus:
Qui poßeſſor opum magnarum, artisq; fruendi,
Qua pauci hoc celebres tempore, gnarus erat.
Namq; animi ſibi diuitias his auxerat ipſe,
In varijs cupidus diſcere multa locis,
Et doctos audire viros, qui tempore noſtro
In celſa culmen Palladis arce tenent.
Hos meritis ſibi deuinxit, celebratus & illis,
Nunc quoq; poſt obitum eſt clarus, vt ante fuit:
Maiori cum laude equidem, quam ſi incubus auri,
Magnarum cumulos occuluißet opum:
Inuiſusq; bonis, animam exhalaßet auaram,
Infamem in latebris ſtyx tenebroſa tuis.

Conrado Albino.

Eleg. VII.

INſolitos ſpargi nuper mea naris odores,
Cycniferas Varni ſenſerat inter aquas.
Hinc Ciceroneæ ſpirabant ſcilicet auræ,
Illinc de melicis dulcia liba fauis,

Inſtar

Inſtar odoriſequi patula quos nare catelli
Captabam, voti neſcius ipſe mei.
Sollicitus tamen optabam ſentiſcere guſtu
Quid ferret cerebro gaudia tanta meo.
Hæc verſanti animo, tua dulcis epiſtola venit,
Conrade Aonij candida fama chori,
Venit, & hinc illinc geminis comitata libellis,
Accepta eſt manibus ſæpe petita meis.
Senſi equidem ſubito ſolitas tum plenius auras,
Aſt ubi conſtrictis vincula demo libris,
Omnia mirifico circum replentur odore,
Ceu legerem mixtis lilia cana roſis.
Scilicet hic veteres imitandi Sturmius artem
Pandebat rari grande laboris opus:
Illic mellifluas fundebat mella Meliſſus,
Qualia in alueolis Attica fingit apis.
Deſiſto mirari igitur, dulceſq; libellos
Iampridem cupida mente animoq; lego.
Nec mora, nec ſatias illo deſiſtere cœpto
Me facit, vſq; adeo pabula grata placent:
Pabula grata animo: quæ qui non expetit, illum
Turpe rudes inter nomen habere reor.
Ergo quod ambroſios totus iam ſpiro liquores,
Nectare quod linguam labraq; melle rigo;
Hoc Albine tibi acceptum referoq; feramq;
Tu mihi tu tanti primula cauſa boni.

Rui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ruina turris Sanpetrinæ Roſtochij.

Elegia IX.

ILla ego ſacra domus, lacero quam fornice cernis
Ad Varni bifidas, mœnia propter, aquas,
Prima fui reliquas inter; mihi nomina Petrus
Prima dedit, primas hic quoq; paſtor oues
Clauiger erudijt monitis, cœlumq; recluſit,
Illius hic etiam nunc monimenta vides.
Tum mea condebat caput inter nubila turris,
E medio alliciens vela rateſq; mari.
De cœlo quæ tacta tamen, lachrymabilis vrbi
Concidit, infauſta non reparanda manu.
Ter ſiquidem denos & plures hactenus annos,
Non tamen impatiens, ſemicremata fui.
Imbribus & niuibus circumflua, peruia ventis,
Exuſtiſq; comis flebile trunca caput.
Iam tandem exactis, ſeclo labente, tot annis,
Inciderat populo ſeria cura mei.
Iamq; iterum ſublimis apex meus aſtra petebat,
E medijs Balthes conſpiciendus aquis.
Iamq; reſiſtebat ventis & nubibus ipſis,
Spes noua iam nautis, & decus vrbis erat.
Ergo parabatur ſolito illi more corona,
Aureolo fulgens concauus ære globus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Doctrinæ huic monimenta ſacræ, tabulasq́; placebat
    Inferre, & patria pro regione preces.
Præſto etiam fuerat dubij index bractea venti,
    Pactaq́; iam lateri cypria veſtis erat.
Cum ſubiti in tenebris miſcentes prælia, ſæuus
    Hinc Boreas, illinc Africus, inde Notus,
Deiecere iterum cœptæ fundamina molis,
    Ante ortum cecidit turris & ipſa ſuum.
Scilicet has clades cœlum paulo ante coruſcum
    Portendit flammæ mobilitate leuis.
Sic iterum iaceo, quin ſum deformior, olim
    Quam fueram, integri fornice compta tholi.
Quid faciam? quo me rupto bis vertice vertam?
    Subueniet cladi quæ medicina meæ?
» Fallor an vna mihi supereſt patientia, princeps
»   Virtutum, atq; homini commoda, cara Deo.
Hac vna me conſolor, gratesq́; parenti
    Sidereo votis officioſa cano,
Angelico quod præſidio ductuq́; ruinam
    Suſtinuit patria depoſuitq́; manu,
Vitæ hominis quò nullius, domibusq́; noceret
    Paucorum, exiguus quas reparare labor.
» Qui tamen interea fracti faſtigia coni
»   Aſpicis, exemplo cautior eſto meo.
» Cede Deo, ſubmitte animos, non ſperne bidental,
»   Contrahe tranquillo pendula vela mari.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Funde preces, ne ſint puri myſteria verbi
Hic cœpta ingrato non diuturna gregi.
Neu fera barbaries properantibus ingruat alis,
Quod facit, & tenebris eruta templa premat.
Neu lapſu grauiore ruant ſublimia, ſecumq́;,
Haud rarò vt fieri cernimus, ima trahant.
Imminet exitium cunctis, iam machina mundi
Nutat, & extremos indicat ire dies.
Si ſapis amotis terrenis omnibus, vnum
Quære Deum, ſuperas & meditare domos.

Corruit prid. Kal. Octob. media nocte. An. 1575.

Chriſtiano Smiterlouio, Patricio Sundenſi.

Elegia X.

QVæ petis, ecce nouæ donantur carmina nuptæ,
Clare vir, & patriæ gloria certa tuæ.
Tu quæ mitto boni pacato conſule vultu,
Atq; ea conuiuis hoſpitibusq́; lege.
Quin ſponſo ſponſæq́; mea dic voce ſalutem,
Et verbis orna munera noſtra tuis.
Aurea dent alij cum fuluis pocula gemmis,
Carmina nos pura mente fideq́; damus.
Quæris vtri ſponſum maiori munere donent?
Aurea ſunt equidem ſecula noſtra ſcio:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sed tamen ætatis ratio ſi maior habenda eſt,
Nominis & fluxas gloria vincit opes:
„ Nos ferimus palmam. franguntur pocula caſu:
„ Cum domino gemmæ diuitiæq; iacent.
„ Carmina morte carent, varijsq; leguntur in oris:
Ergo nihil noſtro munere maius erit.
Commendare igitur nos atq; hæc noſtra nouellis
Coniugibus certa cum ratione potes.
Et facies ſcimus. Longo ſic patria felix
Tempore, tranquillos ſentiat ire dies.
Conſcriptiq; patres, & totus in vrbe ſenatus
Sundinia, ſponſo præſide, lætus agat.
Sic tua tota domus, ſoboles, caſtiſſima coniunx,
Floreat æterno læta vigore. Vale.

In N. Chytræi Pratum Pudiciciæ.

DVlce pudiciciæ dum pratum pingis & ornas,
Quam cuperem pratum longius eſſe tuum!
Totus vt ambroſijs ſatiarer odoribus, ortis
Ex amaranteo germine, flore roſæ.

Aliud.

Cedite iam manibus culti mortalibus horti,
Pulcrior ingenio conſitus hortus adeſt.
Grata Chytræo, viuos qui ſpirat odores,
Quos probat Heſperidum Pieridumq; chorus.

M. HASLOBIVS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

AMORVM CON-IVGALIVM

LIBER PRIMVS.

Ad D. Theobaldum Grummerum V. CL. & illuſtriſs. præſulis Lubec. conſiliarium.

HVnc Theobalde librum tibi do, cui commoda lecti
Comparis, & ſocij ſunt bona nota tori.
Vtpote qui vxoris claræ virtute maritus,
Multa habeas caſti pignora coniugij:
Pignora coniugij, genium referentia patris,
Et cupida eximiæ laudis adire decus.
Cum quibus vt vigeas ſero pater optimus æuo
Indicio en huius muneris opto tibi.

NVPTIIS SAMVELIS FABRICII ET MARGARITÆ PAVLINÆ.

PRATVM PVDICICIÆ.

FLoribus & læto veſtitum gramine pratum,
Valle ſub umbroſa, montis de vertice nuper

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vidimus, aſpectu gratum, variumq́; colore.
Non illic armenta boum, caproſq́; ſalaces
Paſtor alit: non falce nouas ibi ruſticus herbas
Attenuat: non hac leporem ſectatur in umbra
Venator: nulli fas huc intrare profano:
Turpis Eros, & ſpurcities hic exulat omnis.
At ſolæ cernuntur apes, quæ floris honorem
Intactum purumq́; legunt: pudor aureus illic
Regna tenet, vultuq́; illum comitata modeſto
Sophroſyne, caſti coniunx veneranda pudoris,
Ætherio quæ prata rigant perfuſa liquore,
Impuroſq́; omnes ſanctis à floribus arcent.
Sinceros autem, quorum ſine labe pudicus
Eſt animus, prati caſta in viridaria ducunt:
His ſolis illibatos decerpere fructus,
His ſolis panaceæ hauſtus guſtare ſalubres,
Et licet & fas eſt, puramq́; aufferre coronam.
Hoc mihi cum nuper licuiſſet viſere pratum
Florifero pictum gremio, viridiq́; nitore:
Tum memor incœptiq́; tui, iuſſuq́; verendæ
Sophroſynes, hæc ſerta tibi donanda paraui,
Purpureæ niueæq́; roſæ fulgentia nexu,
Vndiq; ſpiciferis intertextis amarantis.
Quid ſibi ſerta velint Fabrici fortaſſe requires?
Accipe: nonne vides bis tincti muricis inſtar
Vt roſa prima micet, pleno ſaturata colore?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quem nulla eluerint medicatis æquora lanis:
Margaridis ſic caſtus amor tua pectora flammis
Mutuus accendet. moneat quid proxima quæris
Cygneo candore micans? candoris imago eſt,
Quem colite vnanimes. ſint vobis pectora lacte
Sint niue candidiora, nigros piceasq́; cauete.
At quid fila docent vno nectentia ſerto
Diuerſi adſpectus flores? vt copula firma
Teq́; tuamq́; liget, ſero durabilis æuo.
  Sed quid in humanis inſit durabile rebus? "
Quid breuius florente roſa? quare æthera votis "
Concipe, vt æternas amaranti è flore corollas "
In cœlo accipias olim, cum coniuge fida, "
Quas adimant nullis venientia ſecula ſeclis.

M. Ioanni Hollenhagio & Saræ Bordingiæ.

VITIS ET VLMVS.

VXorem viti ſimilem, quam ſuſtinet vlmus,
  Qui dixit, verè prouidus ille fuit.
Naturamq́; adeo rerum bene calluit, vnus
  Vt dici poßit non habuiße parem.
Hic eſt ille ſacer diuinæ ſpiritus auræ,
  Lumine de cuius cætera lumen habent.
Hoc afflante Dauid cœleſti numine plenus
  Vſq; adeo nitidis luſit imaginibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Et vile & fragile eſt lignum ſine robore vitis,
Quamq; diu vidua eſt pallida ſerpit humi,
Nec ſeſe extollit, nec mites educat vuas,
Radicemq; imam ſumma flagella premunt.
Quin etiam parua eſt, vitis niſi veſtiat, vlmi
Gratia, quæ fructus fertilitate caret.
Sed vitis poſtquam eſt vlmo coniuncta maritæ,
Tum ſubito folijs, germine, flore, placet.
Vere nouo teneras generoſo in palmite gemmas,
Et mox capreolos malleolosq; vides,
Inde corymborum pendentes more racemos
Stipatos acinis pampinus ipſe tegit.
Sic fructu recreat, patula ſic protegit vmbra
Exhilaratq; nouo pectora ſicca mero.
Hinc vlmo quoq; forma venit, vultusq; decorus,
Dum grauida vuarum fertilitate nitet.
Non illi celebs platanus, non arbuta certent,
Sit licet illa vmbra nobilis, iſta cibo.
Tum quoq; cum fibris morientibus aruit vlmus,
Circuit hanc ſolitis vitis amica comis,
Poſt mortem quoq; fida manens & grata marito,
Cum quo dulce putat viuere, dulce mori.
Quam bene legitimi depingant fœdus amoris
Pſalmographi in ſacris hæc monimenta libris
Nonne vides? opus infirmum eſt, & debile ſexu
Fæmina, nec validis æquiparanda viris,

Inprimis dum ſola manet: nec maſcula virtus
    Integra fœminea ſi viduetur ope eſt.
Non viuit, fida quisquis ſine coniuge viuit, “
    Dimidium ſiquidem non habet ille ſui. “
Connubio hos ſed iunge pari, mox debilis illa
    Fortior, & mutilus corpore firmus erit.
Mortua tum paulo ante domus iam viuere demum,
    Aut vita incipiet commodiore frui.
Inde ſequentur opes, numeroſæ munera prolis,
    Et benedicentis gratia larga Dei.
Hinc ſincera fides, pietas, patientia, candor,
    Atq; aderit nitens ſpes animoſa Deo,
Hinc verè ſincerus amor poſt funera durans, “
    Omnia quem ſuperans mors ſuperare nequit. “
Hi fructus, hæc ſunt ſocialis præmia vitæ,
    Quisquis es hæc caſta ſumere diſce manu.
Fecit id excellens Bordingus arte medendi
    Palladios inter gloria ſumma viros,
Nec pietate minor: qui tanquam nobilis vlmus
    Suſtinuit vitis dulce comantis onus.
Protulit hæc vites aliò traducta nouellas,
    Quas inter ſponſo ſurculus iſte nitet.
Sara bonis animi, formoſo corpore præſtans,
    Atq; adeo tali filia digna patre.
Surculus hic vlmo iam conſociandus amatæ,
    Indiget en fulcro ſponſe venuſte tuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sis facilis, nec tam pulcræ te iungere viti
Sit graue, non adeo nam graue pondus erit.
Sed nec pondus erit, ſed gratum & dulce leuamen,
Et decus, & capiti grata corona tuo.
Hæc tibi dulce merum grauido de palmite fundet,
Cingat & ut menſas vua nouella dabit.
Vitibus illa nouis magni plantaria cœli
Conſeret. hac nunquid vite beatus eris?

Dauidi Chytræo & Margaritæ Pegeliæ.

QVis neget frater niueos lapillos
Noſſe, quis puros neget uniones
Te, cui gemmas dedit & dat ipſe
Rector olympi?
Margarin quondam tibi iunxit unam,
Quæ tibi gemmas peperit nitentes,
Ædium lumen, ſoboli viroq;
Grata voluptas.
Illa ſed fati liquefacta accto
Tranſijt poſtquam ſuperas ad oras;
En tibi non diſsimilem priori
Margarin addit.
Margarin, cuius pudor ora finxit,
Et fides cuius decus eſt marito,
Indicis baccis nitida corona, &
Purior auro.

Illa

Illa ſit vitæ ſocia, & leuamen
Dulce curarum, tibi quæ labores
Mitiget, vitæ tibi quæ fugacis
Proroget annos.
Hac domi felix, foris & beatus,
Et Deo carus, placitusq́; Muſis
Gaudeas, luctus abigant in æquor
Mobile venti.

Othoni Vuackerbardio & Annæ Sperlingiæ.

VEronæ decus vt Catullus olim,
Suæ delicias amans puellæ,
Blandum carmine paſſerem venuſto
Cantauit, niueos ſerens lepores:
Sic nunc nobilium decus virorum,
Muſarum & Themidis ſatelles ille
Otho, dum teneræ puellæ amore
Totus æſtuat intimis medullis:
Hanc & delicias ſuas vocare
Nunquam deſinit: hos ego phaleucos,
Sim quamuis lepido minor Catullo,
Decanto veteri libens amico.
Sponſæ paſſeris eſt quidem paternum
Nomen, quam roſeum videns pudorem,
Vero nomine turturem vocabo:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Turtur deliciæ, tuiq; Othonis
Flos, deſiderium, decus, voluptas,
Exemplum fidei, pijq; amoris,
Salue virginei gregis corona.
Otho te iuuenum venuſtiorum
Venuſtiſsimus in ſinu tenebit,
Quin & baſiolum dabit petenti,
Et te plus oculis ſuis amabit,
Tecum ludet amabili lepore,
Te ſolatiolum ſui doloris,
Turbatiq; animi leuamen vnum
Vitæ ſentiet omnibus diebus.
Otho ſalue etiam, venuſtiorum
Venuſtiſsima cui datur puella,
Quæ te plus oculis ſuis amabit,
Tibi & baſiolum dabit volenti,
Quam tu plus oculis tuis amabis,
Quam ſolatiolum tui doloris,
Turbatiq; animi leuamen vnum
Et vitæ decus vnicum videbis.
Salucte vnanimi pares amore,
Nec cum compare turtur vllus vnquam
Viuat coniugio fideliori,
Quam vos vnanimi pares amore.

Tobiæ

Tobiæ Hubnero, & Benignæ Prætoriæ.

TIgrin ut Armenium cæci patris unica cura
Tobiades dextro numine ſponſus adit:
Inclyta Salanæ ſic tu quoq; flumina terræ
Sponſus, idem retinens nomen & omen, adis.
Illius ergo comes ſimili te tramite ducat,
Siſtat & ad ſponſæ dulcia tecta tuæ.
Tu pietate animi factisq; imitaberis illum,
Sitq; Saræ ſpecimen culta Benigna piæ.
Sic tua felici procedent facta tenore,
Lædet & unanimem nulla querela torum.
Ipſe equidem præſens læto tua gaudia vultu
Et cuperem ſponſæ limen adire tuæ.
Verum onus incumbens humeris præſtare quod opto
Non ſinit, & longas me vetat ire vias.
Tres igitur comitesq; viæ thalamiq; miniſtras
Mitto tibi, noſtro quas venerere loco.
Prima Pudicicia eſt, caſti decus illa pudoris
Seruat, & illicitos odit honeſta toros.
Altera virginea fulgens Concordia lauro,
Iurgia deuitans vincula pacis amat.
Tertia virtutes Pietas complectitur omnes,
Multaq; de thalamis te monet vna tuis.
Hanc conſtanter ama, ſic te nec liuor iniquus,
Aut thalamos lædent noxia fata tuos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Has quoq; cum tanges optatæ limina ſponſæ,
Et tibi candidulam porriget illa manum;
Excipe quas mitto ſincera fronte puellas,
Quæq; tibi dicent carmina mente nota.
Viue valeq; diu, chara cum coniuge felix,
Et fratri verbis fauſta precare meis.

PVDICICIA.

HOS tibi ſponſe fauos, & apum caſta agmina dono,
Grata pudiciciæ ſunt ea ſigna tuæ.
Caſta laborat apis, nec fœtus nixibus edit,
Vosq; ita de caſta ſedulitate monet.
» Segnities animos molles laſciuaq; mulcat
» Membra, pudiciciam nutrit alitq; labor.
» Mel tibi parca manus, non luxurioſa miniſtret.
» Mollitiem centro ſedula pungit apis.

CONCORDIA.

TVrturis hic etiam, quem do, ſub imagine ſponſus
Diſcat in vnanimi viuere velle toro.
Ille ſua placidè placidus cum turture viuit,
Integer & mortis ſpicula vincit amor.
Sic etiam vero placidè certetis amore,
Velle ſit & pariter nolle duobus idem.
» Sola ego felices facio concordia tædas,
» Et ſine me lectus nil niſi luctus erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

PIETAS.

HÆC pietas duo ſerta tibi ſponſæq́; pudicæ
Affero, quid doceant illa, vel ipſe vides.
Purpureis amarante comis marceſcere nũquam
Sed duri victor frigoris eſſe ſoles.
Sic pietas homini vitæ immortalis honores "
Donat, & in ſupera dat regione locum. "
Hanc cole ſidereo cum coniuge plenus amore,
Illa decus thalamo conferet vna tuo.
Forma perit, non diuitiæ, non robora durant, "
Quæ dederit pietas munera, ſola manent. "

Matthæo Chytræo fratri, bonarum artium Magiſtro, Sponſo.

SERTVM CONCORDIÆ.

HOc ego ſponſe tibi dono Concordia ſertum,
Ex niueis factum purpureiſq́; roſis.
Indicium tibi dulce tui quod amoris habebis,
Viuet in amplexu dum noua nupta tuo.
Sic maneat veſtro fidus ſub pectore candor,
Lucet vt albenti pulchra colore roſa.
Ardeat & charum ſic ſponſa pudica maritum,
Malit vt effuſo tincta cruore mori:
Quam caſtum caſti temerare cubile mariti;
Id roſa puniceo tincta rubore monet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hæq́ʒ roſæ veluti ſerto nectuntur in vno,
Vt præſtent capiti munera grata tuo:
Copula ſic etiam veſtras firmiſsima mentes,
Coniungatq́ʒ animos mutua cura duos.
Et licet areſcat cingens tua tempora ſertum,
Momento pereat cum roſa verna leui:
Viuidus ille tamen nullo delebilis æuo,
Floreat, atqʒ omni tempore creſcat amor.

Bartholomæo Clingio & Eliſabethæ Ribiæ.

HIC vbi cum rapido geſtit ſua flumina Rhen[o]
Iungere vitiferis cincta Moſella iugis,
Eſt locus, Auſonij celebratus carmine vatis,
Muneribus Bacchi fertilis, vber agris.
Vber & Aonijs, Phœbus quos curat alumnis,
Nam genuit doctos, excoluitq́ʒ viros.
Nemo Moſellani claras ſub pectore dotes
Neſcit, is à patrio flumine nomen habet.
Quem licet ante diem crudeli morte peremptum,
Abſtulerit rupta Parca ſeuera colo:
Immortale tamen decus illi & nobile nomen,
Ardua dum mundi machina ſtabit, erit.
Nemo Cuſane tuas neſcit clariſsime laudes,
Neſcit & eloquium nemo Cuſane tuum.
Tu poteras radio magnum diſtinguere cœlum,
Tu poteras ſuperæ ſidera noſſe domus.

Illorumq́; vices ſolitas, curſumq́; perennem
Qui poßet melius dicere nullus erat.
Inſuper antiquis quondam ceu natus Athenis,
Sic poteras Graio verba referre ſono.
Namq; vbi concilium ſacris de rebus agebant,
Conſpicui veterum relligione patres.
Gentibus acciti varijs ad flumina Rheni,
Spectat vbi Alpinas vrbs Baſilea niues:
Tunc tibi cognitio Græcæ cultißima linguæ
Virtutis laudes ingenijq́; tulit.
Scilicet huc Graijs veniens antiſtes ab oris,
Inter honoratos maxima fama viros:
Scripta tibi patriæ pietatis habentia formam
Obtulit Arguo diſcutienda ſono.
Tu poteras reliquis Græcorum exponere mentem,
Cumq́; illis vera de pietate loqui.
Salue magne ſenex, illis doctißime ſeclis.
Hic etiam decus eſt dia Moſella tuum.
Quid referam reliquos? ſanctarum gloria legum
Quos inter Latomus nomen habere poteſt.
Quem Ciceroneæ præclara ſcientia linguæ
Ornat, & eloquij cum grauitate decus.
Andernace tuum quis non doctißime nomen
Nouit, & ingenij dona decusq́; tui?
Alter qui medica veluti Podalirius arte,
Hoc etiam gaudes editus eſſe loco.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hac etiam patria noſter ſe Clingius effert,
Clingius Aonij candida fama chori.
Qui modo legitimo ſponſæ inflammatus amore,
Egregius templi limina ſponſus adit.
„ Deſidis eſt patrios tantum nouiſſe penates,
„ Nec vitam externis ducere poſſe locis.
„ Ingenui eſt varios hominum cognoſcere mores,
„ Et patriam quouis eſſe putare loco.
Clingius vt Rhenum linquens charamq; Moſellam
Acceßit veteris clara Lycæa ſcholæ:
Hic vbi Roſtochium munito nobile portu
Aſpicit Arctoi Balthica regna maris.
Ille per ingenuas vbi ſic caput extulit artes,
Inter vt æquales gloria prima foret.
Hinc illum noſtro princeps doctißimus æuo,
Vt pius Aonium curat amatq; gregem,
Præfecit cathedræ, doctoſq; euoluere libros
Iußit ob ingenij iudicijq; decus.
Scilicet vt ſummis candentem in turribus ignem
Finitimis atra cernere nocte licet:
Aut veluti celſis fundatæ in montibus arces,
Nequaquam media luce latere queunt:
Sic neq; Bartholomæe tuum doctißime nomen,
Pectoris & poterat flamma latere tui.
Tu celer ingenio, facundo ſtrenuus ore,
Iunior es ſolitus ſæpe docere ſenes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quid memorem quantus ſit aperto in pectore can-
Quanta fides, bonitas, et pietatis amor? (dor,
Hæc hominem latuiſſe vetant. Perge optime Clinge,
Perge igitur cœptam continuare viam.
Quodq; facis docili multum prodeſſe iuuentæ
Nitere, doctrina conſilijsq; tuis.
Te doctore ſuum claudat Dialectica pugnum,
Rhetorice patulas monſtret aperta manus.
Addiſcant iuuenes ſacras te præſide leges,
Cauſa patrocinium ſentiat æqua tuum.
Sic paries tibi perpetuum poſt funera nomen,
Qui proſunt alijs nobile nomen habent.
Nunc tibi legitimos Chriſtus fortunet amores,
Concedatq; tuis gaudia mille toris.
Sit vobis gemino mens vna in corpore: multos
Exuperet tecum dulcis Eliſa dies.
Viue diu, noſtriq; memor, nec gaudia differ,
Gaudia non dubius caſta probare Deum.

Alberto Cnoppero I. C. Sponſo.

Ecquid adhuc memor es noſtri, clariſſime legum
Interpres, Themidiſq; decus Cnoppere? nec olim
Hicin cœptus amor, ſponſæ obſcuratus amore eſt,
Trans mare quam Varnus grato tibi remige miſit.
Quin memor es: tua quod teſtatur epiſtola nobis,
Plena fide, tibi quam Charites dictaſſe putarim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Suauiloquas, Veneremq́; ipſam: quo nomine grates
Dico tibi, & mentis ſinceræ prædico laudes:
Qui ſponſæ in niueæ gratis amplexibus hærens,
Alloquio veterem non dedigneris amicum:
Qui curis nunc in proprijs, curare labores
Me quoq;, ſolicitumq́; meis intendere rebus
Non dubites animum, noſtrumq́; extendere nomen.
Ergo tibi, ſponſæq́; tuæ bona multa viciſſim
Det Deus, & vitæ tranquillos proroget annos.
Sit vobis mens vna, vnum cor, vna voluntas,
Vna fides, corpusq́; vnum te recreet Anna
Dulcibus alloquijs, fido de corde profectis,
Quando domum, ſtudijs laſſum, ſchola docta remittet,
Regia conſilijs vel quando fidelibus vſa, (tet,
Defeſſum eloquio laribus te reddet amicis.
Illa tibi vires renouet, ſeræq́; ſenectæ
Sit comes, & columen domui, ſit certa voluptas,
Quam tibi vel ſeris nunquam mors auferat annis.
Atq; vtinam hæc, et plura tibi Cnoppere, tuæq;
Carminibus coram noſtris optare liceret:
Quod petis, & ſperas etiam: nec forte recuſem,
Officij niſi me ratio, niſi ventus & vndæ
Impediant. nam quis tecum non degere vitam
Exoptet? blando puerum quem Iupiter ore
Naſcentem aſpexit, ſummoq́; ornauit honore
Paulatim, procerumq́; alta quem ſede locauit.
Quis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quis non Rantſouios, æternùm, heroas amaret?
Peruolitat quorum triplicem iam gloria mundum.
Quem tuus affinis, Roſiani gloria Varni
Paſelicus non alliciat? quem Dania magnis
Annumerare viris, quem Rex extollere laude
Non dubitat; mitto reliquos, quos magna voluptas
Aſpicere eſt, viuasq́; audire & reddere voces.
Sed multa id prohibent: tu longo tempore felix
Viue tuis, Annæq́; tuæ, noſtriq́; memento,
Vt facis, ex animo. faxit Deus optimus vt tu
Iam tibi Germanam coniungis amore puellam,
Sic mox finitimas iungat pax aurea gentes.

D. Iohanni Borcholto & Annæ Daſſeliæ.

VENVS SPONSO.

Cvi noua ſerta Venus, nexas cui quæſo corollas
Floribus è niueis purpureisq́; paras?
Hæc ego Borcholto inſigni pro munere mittam,
Illius amplexus cum noua ſponſa petet.
Vna refert cygni, cocci pars vna colorem,
Durat hic æternum, candidus ille manet.
Sic ſincerus amor duo candida pectora iungat,
Eluat & ſtabilem nulla procella fidem.
Ecquid vbi accipies tam pulcram ſponſe coronam,
Anna petet thalamos Daßeliana tuos?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Et domui thalamiq; tui decus Anna manebit?
  Vt decus eſt capiti mißa corona tuo.

CHARITES SPONSÆ.

CVI Charites noua zona, cui noua vincla p-
  rantur?
  An nouus eſt iterum conciliandus amor?
Eſt equidem: pia Borcholto nam ducitur vxor,
  Anna puellaris gemma decusq; chori.
Accipe ſponſa tibi Charites quæ munera mittunt,
  Sculptura & varijs conſpicienda typis.
Aſpicis hic hederam, celſas vt flexilis ornos
  Ambiat: en pulchrè palmes vt iſte viret.
Implicat arboreos velut illa ligamine ramos;
  Borcholti amplexu ſic pete colla tui.
Aßita Campanam vitis velut implicat vlmum;
  Copula ſic animos colliget vna duos.

VOTVM.

„ NON niſi dante Deo iuueni bona iungitur vxor,
„   Vir bonus vxori non niſi dante Deo.
Anna tibi multos ergo tua viuat in annos,
  Quæ Borcholte Deo conciliante tua eſt.
Anna tibi multos viuat Borcholtus in annos,
  Qui rurſum tuus eſt, conciliante Deo.
Viuite fœlices, ſemper mens vna duobus
  Inq; Deo ſit ſpes vna, perennis amor.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ioanni Caſelio V. CL. & Gertrudi Myliæ.

CVm Myliana tibi licito Gertrudis amore
Coniungenda fuit Muſarum fama Caſeli:
Barbariæ victrix armataq; Gorgone Pallas
Ingemuit primo, tacitaq; incanduit ira;
Mox etiam: quis nunc amnes, quis prona relabi
Flumina, quis riuum ſuperare cacumina montis
Poſſe neget? cum tu talis tantusq; cohortis
Socraticæ præſes, dudum & mea cur Caſeli,
Pollicitus meliora mihi turbæq; ſororum,
Te retrahas, Cypriæq; ſacros ſecteris amores.
Non ſatis eſt, victam eſſe ſemel paſtoris iniquo
Iudicio Idæi, & Veneri data præmia palmæ?
Quo tamen haud adeo, (liceat mihi vera fateri)
Tum commota fui: quid enim? fuit ille bubulcus
Doctrinæ ignarus veræ, veræq; Mineruæ.
Verum hoc, immerſo ſtudijs, Sophiamq; profeſſo,
Iudice me vinci, & matrem mihi rurſus amorum
Præferri, merito iuſtas accendor in iras.
Audijt hæc Erato, & famam miſerata Caſeli
Innocui, aggreſſa eſt his caſtam Pallada dictis.
Parce precor, certumq; tibi fidumq; miniſtrum
Ne preme ſuſpicione graui: non ille Mineruam
Deſeruit, quia legitimos ſectatur amores,
Virginis eximiæ, eximio genitore creatæ,

Qui tuus ipſe etiam teneris ſincerus ab annis
Eſt comes, Aoniæq́; ſimul tutela cohortis,
Heruleoq́; duci multum dilectus Achates,
Ob veteris florem eloquij, ſuadæq́; medullam.
Hanc igitur ducens, quæ patris nomine dici
Pæne queat cognata tibi, te offendere quanam
Hic ſponſus ratione poteſt? tua creſcere regna
Ante alios cupiens, quæ tu deſerta videres,
Ni caſtæ auxilio Veneris ſtabilita vigerent.
Ergo ſuo quoties ſocero iam deinde nepotes
Offeret: & toties tibi natos eſſe miniſtros
Cultoresq́; ſcies, qui te venerentur, & olim
Aſſiduè tua iuſſa colant, tua ſacra frequentent,
Et meritis patrias cumulent ingentibus vrbes.
Gaude igitur, potiusq́; toros laudato Caſeli,
Addictumq́; tibi pacato lumine rurſum
Aſpice, præſidioq́; iuua, illiusq́; labores
Te duce ſperatos contingant deniq́; fines.
   Dixerat hæc Erato. at Pallas iam mitior, illi
Aſſenſit, thalamisq́; tuis bona cuncta precata eſt,
Euentu quæ vera ſuo fortuna probabit.
   Tu felix lætusq́; vale, dulciq́; cathena
Iam vinctus, ſurreptitij poſt baſia amoris,
Optato fruere & vero Gertrudis amatæ
Complexu, nullusq́; dolor tua gaudia turbet.

Euch

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Euchario Hoſmanno Muſico, Sponſo.

Optimus harmoniæ ſcrutator, & optimus auctor
Edere dulciſonis carmina grata modis
Eucharius, licito Geſam ſibi iungit amore,
Et charites circum plectra chorosq; mouent.
Felicem cui cœleſti data munere coniunx
Caſta, modeſta, decens, moribus apta viri.
Dulce quidem, benè cum tentis ſymphonia neruis "
Concordesq; cient barbita pulſa ſonos: "
Sed tamen harmonijs eſt dulcior omnibus illa, "
Iungitur vnanimi qua noua nupta viro. "
Hac fruere innumeros coniunx longæuus in annos,
Nam thalamis optet quis meliora tuis?

Iohanni Grefenſtenio & Agneti Erbermannæ.

Dum tibi legitimo pia fœdere iungitur Agnes,
Virgo verecundis moribus, ore decens,
Cur tibi tam caro capiti, non optima quæque
Comprecer, & ſponſæ gaudia mille tuæ?
Tu mihi ſincero dudum coniunctus amore,
Iuuiſti ſtudijs meq; meosq; tuis.
Nunc quoq; Mænalia longe dum viuo ſub arcto,
In me conſtanti corde fideq; manes.
Et mihi multa tui demonſtras ſigna fauoris,
Quæ ſemper memori gratus in ore fero.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

An taceam? præſtes patriæ quæ commoda noſtræ,
Integer & patria cui grauitate præes.
Munificus mitisq; bonis, qui iuſſa ſequuntur,
Non impune malos iuſtus abire ſinis.
Quæq; iubes ſimul ipſe facis, tibi ſobria vita eſt,
Et placidi mores, ingeniumq; ſagax.
Candor ineſt animo, bonitas fido emicat ore,
Mens tua conſilio iudicioq; valet.
Ciuibus ergo meis ſincero gratulor ore,
Gratulor & patriæ munera tanta meæ.
Cui poſtquam è viuis ceſſit Mencingius heros,
Qui columen nobis præſidiumq; fuit,
Matronam primo liquit caſtamq; piamq;
Quæ mihi dilectæ matris amanda loco eſt.
Quæ patriæ dici mater cum laude meretur,
Fæmina perpetuos viuere digna dies.
Huic præſes tu fidus ades, iuſteq; gubernas,
Publica priuatis dum potiora vides.
Sis felix, & viue diu, ſic patria felix
Auxilio poterit numinis eſſe diu.
Sis felix, & viue dies cum coniuge multos,
Quam tibi coniungit pronubus ipſe Deus,
Egregio patre prognatam, qui præco fidelis
Erudijt populos optime Chriſte tuos.
Nomen habens Petri, petra conſtantior ille
Nam fuit, officij pro ratione ſui.

Quin

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quin illum patrio Caloandrum nomine dicunt,
Cultor honeſtatis nam pius eſſe ſtudet.
Antiqua virtute ſenex, meritisq́; verendus,
Atq; etiam patri iunctus amore meo,
Et mihi: felices illi rogo proroget annos,
Qui vitam arbitrio datq́; adimitq́; ſuo:
Paulo poſt teneros vt cernens ipſe nepotes,
Longæui accipiat nobile nomen aui.
Quin & idem tibi ſponſe precor, caſtæq́; puellæ,
Quæ ſubit amplexus ore venuſta tuos.
Sint procul à veſtris lites & iurgia lectis,
Aßideat thalamo cum Pietate Fides.
Et pudor, & firmo ſuauis Concordia nexu,
Cuſtodes domui ſint maneantq́; tuæ.
Sic tua par viti coniunx, noua pignora lecti,
Et pariet charo gaudia mille patri.
Sic tibi viuenti feliciter omnia cedent,
Sic veniet plena copia læta manu.

Valentino Sachtio & Margaritæ Leonychiæ.

TE quoq; coniugiumq́; tuum doctißime Sachti
Hic celebrare iuuat, longo me tempore quamuis
Præcedens, licito ſponſam amplectaris amore,
Et thalami fructum videas, lætusq́; petita
Coniuge, percipias tranquillæ munera vitæ.
Non raro ſeræq́; preces, & vota probantur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ergo tibi domuiq́ue tuæ, multumq́ue cupitæ
Margaridi, precor optati quæ gaudia lecti
Commoda cumq́; ferunt: multos ſine litibus annos,
Sinceramq́; fidem, ſinceri cordis amorem,
Speratos thalami fructus. qui pectore fido
Coniugij auctorem celebrent, veſtriq́; voluptas
Sint animi, ſint præſidium columenq́; ſenectæ.
Margariden noſti, gemmam candore micantem,
Quæ cordi afflicto toties medicamina præſtat,
Mordaciq́; tamen perfuſa liqueſcit aceto:
Sic tua permultos recreet te Margaris annos,
Turbato medicina animo, cordisq́; dolori.
Quam reuerenter habe, verisq́; amplectere flammis
Vt facis, & natos numera, ſerosq́; nepotes,
Doctrinaq́; tua multis, & voce diſerta
Vtilis, æterni repleas penetralia cœli,
Addictamq́; pijs, populi doctoribus, olim
Accipias vitæ Chriſto donante coronam.

M. Laurentio Vueſſelio & Annæ Smidiæ.

QVod vitæ ſociam tibi iungens optime ſponſe
Me ſequeris celeri conſequerisq́; gradu:
Gaudeo, propoſitumq́; tuum laudoq́; proboq́;
Et precor incœptis omnia fauſta tuis.
Deſideant alij ducenda in coniuge ſegnes,
Muſarum remoram coniugiumq́; vocent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Et mala commemorent tantum, oblitiq; bonorum,
Impugnent ſtolidè quod Deus ipſe probat.
Excuſent alij, & turpes ſectentur amores,
Legitimosq; vocent dura capiſtra toros.
Ætatis perdant alij cum germine florem,
Et cum canicies tempora cinxit, ament.
Diffidant alij ſummo ſine patre parenti,
Et ſibi ſe ſolos viuere poße putent:
Te mecum iuuet ætatis non perdere florem,
Sed tua non duro ſubdere colla iugo.
Te mecum iuuet ardentes compeſcere flammas,
Et tua ſidereo facta probare Deo.
Te mecum iuuet vxori coniungere Muſas,
Quas etiam coniunx factus amare potes.
Te mecum iuuet æterni ſentire fauorem
Numinis, & ſoli fidere poſſe Deo.
Te mecum bona coniugij numeroſa referre,
Et mala ſi fuerint, nulla putare, iuuet.
Et certè bona ſi numeres in compare vita,
An mala ſtultè illis æquiparanda putes?
Sunt mala iuncta bonis, quocunq; in munere viuas, "
Hic bene ſi videas, ſunt bona plura malis:
Hæc igitur cæla potius, fer laudibus illa,
Hoc decet inſtructos in pietate viros.
At tu care mihi virtutum nomine ſponſe,
Doctrinam cuius templa ſcholæq; probant,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sis fœlix, Annamq́; tuam complectere, cuius
Et pudor & pietas & nitet ore fides.
Quam celebri patria, clariſq́; parentibus ortam,
Iam tibi perpetuo iunget amore Deus.
Corpora qui veluti, ſic idem pectora iungat,
Corpora complexu, pectora bina fide.
Sint procul hinc lites: ad lecti fulcra iugalis
Excubet angelici turba benigna chori.
Aurea pax menſam, thalamum concordia cingat.
Sit mens vnanimis, nec ſine prole torus.
Gaudia quid differs? quin miſces blanda ſuſurris
Oſcula nectareis non redimenda cadis.
Quin teneris ſponſæ flagrans complexibus hæres.
Vlmo vt iuncta ſuæ vitis amœna viret.
» Veſtra placet ſic vita Deo, quod dicere celebs
» Aut Monachus, vita deficiente, nequit.

Iacobo Prætorio & Margaritæ Kegeleræ.

HActenus ingenuo Muſarum plenus amore
Spreuiſti Cypriæ tela faceſq́; deæ,
Optime Prætori. ſed quis tibi mutat eundem
Nunc animum, quæ te iam noua flamma coquit?
Cur toties imo ducis ſuſpiria corde,
Incuſas lentos cur ſine fine dies?
Inſidioſa Venus num te quoq; vicit? an ille,
Cætera quæ vincit, te quoq; vicit amor?

Vicit ais? qua fraude tamen, quibus artibus illa
 Tam cautum potuit te ſuperare virum?
Quæſo fatere mihi. non vis? at mater amorum
 Ipſa ſuas nobis prodidit inſidias.
Quas ego ſi placeat paucis tibi verſibus edam,
 Ne lateant Paphiæ furta iocoſa Deæ.
Nuper in has veniens comitata cupidine terras
 Gymnasij ſubijt ſplendida tecta Venus.
Tempus erat, quo tu pueros tum forte doceres
 Sedulus officij pro ratione tui.
Illa videns te florentem iuuenilibus annis,
 Nolle maritali ſubdere colla iugo,
Artibus hic opus eſt certè non viribus, inquit,
 Artibus hic nobis decipiendus erit.
Sæpius ille meos repulit tam fortiter ictus,
 Vt iam diffidam viribus ipſa meis.
Nec mora procedens roſeo pulcherrima vultu,
 Cum puero faciem conſtitit ante tuam.
Subridensq́; tibi, Iuuenis doctiſsime, dixit,
 Te video ætatem poſſe docere rudem,
Ingenuas artes, & ſanctæ munera vitæ,
 Vt diſcant veræ laudis inire viam.
Eſt mihi, nonne vides? puer hic cariſsimus; illum
 Diſcipulos inter te numerare tuos
Percuperem, mercesq́; tui non parua laboris,
 Si modo cum reliquis erudietur, erit.

Dixit

Dixit & arridens læto blandiſſimus ore,
    Viſus erat matris verba probare puer.
Quid faceres? puer egregius, pulcherrima mater,
    Non potuere animum non ſuperare tuum.
Obſequium mox ergo tuum promittis vtriq;,
    Credulus arcana rem ſine fraude geri.
Mater abit, puer ipſe manet, tu ſedulus illum
    Informas, paucos inſtituisq́; dies.
Ille quidem formoſus erat, ſed mente feroci
    Doctrinæ impatiens, impatiensq́; iugi.
A monitis igitur verbisq́; ad verbera poſtquam
    Ventum erat; innatos exerit ille dolos.
Ille tibi tenui configit arundine pectus,
    Mox fugit, & matri talia facta refert.
Vicimus exclamat mater, Prætorius ille
    Ardet, & in tacito pectore vulnus alit.
Non tamen hoc illi prorſus lethale futurum eſt,
    Quin decet & medicas nos adhibere manus.
Vulnera qui fecit curam ſi vulneris idem
    Suſcipiat, forſan laude vehendus erit.
Ergo abit, & blandam blanda tibi voce puellam
    Conciliat, vulnus curet vt illa tuum.
Margaris hæc illa eſt, pulcherrima Margaris illa,
    Quæ petit amplexus ore venuſta tuos,
Egregio patre nata olim, quem laude ſenatus
    Atq; vrbs in cœlum Roſtochiana vehit.

Marga-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Margaris hæc illa eſt, roſeis affuſa labellis
Gratia quam decorat virgineusq́; pudor.
Quam probitas morum atq; auro magis aurea vir-(tus,
Perpetuo dudum iunxit amore tibi.
Cum qua viue diu. veſtrum concordia lectum
Cingat, & in thalamo ſit maneatq́; fides.
Sit vobis mens vna, vnum cor, vna voluntas,
Nullaq́; coniugij gaudia turbet Eris.
Viuite Neſtoreos vnà feliciter annos,
Et fiat voti victor vterq; ſui.

Bernhardo Oreſti & Fortunæ Heſychiæ.

Omina nominibus fauſtis ſi fauſta ſubeſſe
Credimus, ut mos eſt, vſus & ipſe docet:
Quis non fauſta tuis promittat plurima tædis,
Bernarde Aonij gloria certa chori.
Cum ſponſæ & ſoceri ſimul & tua nomina cernat,
Nomina amicicia nomina plena fide.
Heſychius ſocer eſt, tranquillæ pacis amator,
Et meritis magnus conſilijsq́; ſenex.
Fortunæ retinet tua nomen amabile ſponſa,
Quod tibi cognomen blandius eſſe facit.
Nam fortuna alijs fallaci eſt turbida vultu,
Quam tibi ſedatam nomina iuncta volunt.
Præterea quis non fidi cognouit Oreſtis
Pectora, Pirithoi tam ſtudioſa ſui?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hoc tu nomen habes, quo plenum pectus amore
Pingitur & conſtans in bonitate fides:
Illa Fortunam Heſychiam complexus Oreſtes,
Exemplum fidi ſemper amoris eris.
Pirithoi ritu, vel plus, te diliget illa,
Cum qua dulce tibi viuere, dulce mori.
Viuite felices, veluti felicia veſtris
Nomina promittunt omina fauſta toris.
Omnia ſint vobis ſincera & plena quiete,
Omnia fortunet vota preceſq; Deus.

Ezechiæ Richio, & Magdalenæ Suarteniæ.

HÆC tibi ſponſe Venus genialis germina myrti
Offero grata tuis ſerta futura comis.
Hunc tibi ſponſa Venus cincturum pectora ceſtum
Offero, quem fidi pignus amoris habe.
Semper vt illa viret folijs veſtita tenellis,
Sic tuus & ſponſæ ſit diuturnus amor.
Nectit vt hic firmis arctè duo pectora nodis,
Copula ſic mentes colliget vna duas.

Nicolao Goniæo, & Annæ Coloſsiæ.

QVam Chriſtus thalamos amet iugales,
Quam Chriſto placeat Venus pudica,
Ex ſacris liquido patet libellis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ex nupta voluit Deus puella
Naſci, legitimos probans amores,
Et cum diſcipulis vocatus, ipſe
Adiuit ſacra feſta nuptiarum,
Fecitq́; ex aqueo merum liquore.
Dignum laudibus ergo quis negabit,
Carum inter veteres mihi ſodales
Te ſponſum Goniæc? ſingulari
Qui ſponſam tibi copulas amore.
Annam purpurei decus pudoris.
Cuius candida, ſed rubore miſto,
Sublucet facies, cui probati
Et ſunt ingenui pijq́; mores.
Hanc ſolam poteris tuam vocare,
Hæc te vnum poterit ſuum vocare.
Hæc te plus proprio colet parente,
Hanc tu plus propria parente amabis.
Hæc conſors thalami tui futura,
Conſors lætitiæ tuæ, ſimulq́;
Conſors triſtitiæ tuæ manebit.
Hæc rebus tibi proſperis voluptas,
Hæc rebus tibi triſtibus leuamen,
Hæc vitæ comes eſt tuæ futura.
Hæc & filiolos puellulasq́;
Producet, ſtudio tibi fideli
Mox culto pietatis imbuendos,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vt ciuis rutili poli, relinquas
In terris aliquos Deum colentes,
Et regni ſocios Dei futuros.
Sed cum multa tuis toris precentur
Multi proſpera, ne tibi moleſtus
Sim fonſan nimia loquacitate:
Iam ceſſo, & precibus rogo profuſis,
Vt te cum ſocia liget puella
Mens una in domino, fides & una.

Iacobo Fabricio Chemnicenſi & Margaritæ Kelneræ.

ET tibi tam caro capiti quod debeo munus
Soluo libens, meritisq; vicem clariſſime ſponſe
Reddo tuis, tu cum licitos Gertrudis amores
Inciperet mecum, tam ſuaui carmine noſtros
Ornaſti thalamos, ut nil iucundius illo.
Fecit idem frater, noſtro clariſſimus æuo,
Vir vatesq; bonus, quem cari obſeruo parentis
Ipſe loco, cœlisq; adeo quem laudibus æquo.
Quare pro geminis vnum accipe munus, & illud
Exiguum, donec forſan meliora ſequantur.
Salue Chemnicij domus inclyta Fabriciorum,
Quæ cenſu non magna quidem, ſed munere cœli
Diues opum, quæ ſola Dei benedictio præſtat,
Quatuor ingenij præclaros laude tuliſti

Doctrinaq́; viros, quos paßim templa ſcholæq́;
Suſpiciunt; matremq́; vocant patremq́; beatum,
Quis dederit cœli tales opulentia natos.
Primus in hoc numero ſeſe ille Georgius *effert.*
Ille poëta ſuo longè clarißimus æuo,
Nec pietate minor. ſequitur qui Blaſius *illum,*
Hinc procul ad Rhenum *docilem cum laude iuuentam*
Erudit, & plantis cœleſtes excolit hortos.
Tertius eſt, cuius thalamos celebrabo, Iacobus,
Ingenio, candore animi, pietate fideq́;
Excellens, fratrumq́; imitans exempla priorum,
Ætatem formando rudem: quo munere nullum
Humano generi & toti magis vtile mundo eſt.
Andreas nato minimus, ſed magnus in vrbe
Iſlebia Chriſti *præco eſt, & in atria cœli*
Pandit iter, grauis eloquio, zeloq́; verendus.
Quatuor hos Chriſti *fidos patriæq́; miniſtros*
Chemnicij *domus vna tulit. domus inclyta ſalue,*
Salue iterum, quæ parua licet, celebrabere alumnis
Clara tuis, dum formoſi ſe machina mundi
Vertet, & æterno lucebunt ſidera cœlo.
At tu care mihi & dudum perſpecte Iacobe,
Sis felix thalamoq́; tuo, amplexuq́; pudicæ
Margaridis, *cuius roſeis affuſa labellis*
Gratia grata micat, quæ te veneratur, amore

Gg Plena

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Plena tui, quæ gemma domus, mœſtiq; futura eſt
Flos animi, cordisq; vigor, vitæq; voluptas,
Et genitrix fœcunda, viro patruisq; diſertis
Quæ ſimiles generet natos, ſuprema parentis
Qui poſt fata Deum celebrent, ſeruire parati
In ſtatione ſua Chriſto, Chriſtumq; profeßis,
Fabriciana domus quò nullo intercidat æuo.

Iohanni Albino & Gertrudi Luſciniæ.

CVR non fortunæ mihi filius eſſe puteris,
Clare vir & legum inſtitiæq; decus?
Namq; alijs quod vix ſero contingit, idipſum
Dant tibi clementi numina ſponte manu.
Ecce vnus geminos annus tibi donat honores,
Sertaq; fert nitidis conduplicata comis.
Prima dedit veneranda Themis, quam ſedulus or-
Et colis incœpti conditione tui: (nas,
Altera iam tribuit pucherrima mater amorum,
Dum tibi legitimo iungit amore tuam
Luſciniam, quæ formoſi concentibus oris,
Blanditijsq; ſuis te tibi ſurripuit.
Tu rurſum cepiſti illam complexibus arctis,
Compede ſic grato vinctus vterq; fuit.
Fortunate auceps! tam ſuauem nacte volucrem,
Quæ releuet curas, voce canora, tuas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Fortunata etiam volucris, quæ caßibus hæres,
Quos ardens illum tendere iußit amor.
Viuite concordes animis, & moribus vnis,
Harmonia hac nuſquam ſuauior eſſe poteſt.

Marco Luſcouio & Eliſa-
bethæ Carcouinæ.

VNa inter Roſcas longe dignißima nymphas,
Carcouio quondam conſule nata patre,
Marce tibi dum legitimo coniungitur igne,
Et ſcandit thalami fulcra pudica tui:
Cur ego perueteri dudum tibi iunctus amore,
Non precer incœpto gaudia mille tuo?
Te probitas animi, ſacriq; ſcientia iuris,
Ornat & in ſuaui melleus ore lepos.
Vnde Aſtræa nouam lauri de fronde coronam
Imponitq; tibi myrtea ſerta Venus.
Perge bonis auibus, duplici iam munere felix,
Quodq; facis curam rectè vtriusq; gere.
Inprimis memor Aſtrææ, ſis iuris & æqui
Defenſor, miſeris perfugiumq; reis.
Iura doce, iuſteq; malas decidito cauſas,
Crimina quo pœnas quas meruere ferant.
Sic tibi coniugium felici ſidere cœptum
Fauſtum erit, & multos viuet Eliſa dies.
Quæ modo virgineis è cœtibus emicat vna,
Emicat vt clara lucida nocte Venus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Henrico Varenio, & Margaritæ Arderiæ.

NVper Acidalij confoßus arundine teli
Varenius noſter, quo ſe conuerteret æger
Neſcius, aſtriferi tandem ſtata ſidera cœli
Conſulit, & ſponſam deuoto poſtulat ore.
Scilicet aſtrorum ſtudijs iuuenilibus annis
Deditus, & caſtis in ſtellas ignibus ardens,
Viderat in cœlo Venerem, Phœbiq; ſororem,
Viderat Andromeden, Ariadnæamq; coronam,
Viderat Aſtrææ lances, ſpicamq; nitentem,
Caßiopenq; ſuo iunctam lucere marito:
Reſpondere ſuo quas fortè putabat amori,
Atq; ideo in votis fuerat fidentior illis.
Sed fruſtra. pars nupta fuit, pars nubere nolle
Vouerat, æternos ob virginitatis honores,
Nec bene, terrenus qui ſit, cœleſtia tentat.
Ille tamen precibus votisq; ardentibus inſtat,
Gorgoneæ donec conterritus ore Meduſæ
Ingemuit, retroq; pedem tulit. attamen illum
Attonitum cernens, fixumq; in pectore telum,
Clementi aſpexit ſupremus Iupiter ore:
Illius imperijs ſupera Cyllenius arce
Aduolat, & læſi contemplans vulnera cordis:
Hæc tibi non ſtellæ ſanabunt vulnera dixit,

Non cœlum, non herba potens, aliiuè liquores.
Quære ſed inſignem vicino in littore gemmam,
Margariden dicunt, vna hæc inuenta dolores
Comprimet & nimios paulatim leniet æſtus.
Nec mora Varenius felici hanc ſidere querens
Inuenit, acceptaq; illa lætatur, & iſtas
Sidereas iterum gaudet ridere puellas.
Hanc gemmam tibi ſincerè linguaq; animoq;
Gratulor: & tecum multos vt duret in annos,
Adflicti requies cordis precor: ardeat illa
Semper amore tui, quod nomen amabile ſpondet.
Tu fidei cuſtos ardore incenſus eodem,
Viue diu, pariterq; nouis diteſcite gemmis,
Præclarum ſpecimen veri & conſtantis amoris.

ΝΑΘΑΝ ΧΥΤΡΑΙΟΣ

ΔΙΟΝΥΣΙΩ ΜΑΡΚΟΥΑΡΔΩ

Νυμφίῳ, εὐπράττειν.

Ἤγαγεν εἰς θαλάμους Ἑλένην Πάρις ἀγλαόμορφον,
Ἧς ἕνεκα Πριάμοιο πόλιν πυρὶ καὶ δορὶ πέρσεν
Ἑλλάδος ὠκὺς ἄρης. αὐτὰρ Διονύσιος ἀγυιῶν
Ἤγαγεν εἰς θαλάμους Ἑλένην, παῖδ' ἀνδρὸς ἀρίστου,

Μήτηρ ἐυτέκνουτε κόρην, ἐυθλῆς μετ' ἀ-
δελφῆς,
Ἡ κ' ἀρετῇ, καὶ κάλλος ὁμοῦ, καὶ σώφρονα θυμόν
Οἴκοθε φίλτρον ἔχει, τί δὲ τιμηέστερον ἄλλο;
Χαῖρε μοι ὦ νεόνυμφε τεῇ πολὺ—φίλτατε
νύμφῃ,
Χαῖρε αὖθις νεόνυμφε θεῷ πολυφίλτατ' ἀρίστῳ,
Ὄντε λόγοις ἔργοιστε φιλεῖς θεοσέπτορι θυμῷ,
Τήντε λόγῳτ' ἔργῳτε φίλην παράκοιτιν ἐοῦσαν
Στέργε φίλως, τέρψιντε κάλει τε καὶ ὄμμα
βίοιο,
Κληδοῦχόντε κλέος τ' οἴκου, κλέος ἄφθιτον ἀνδρί.
Τιμήκον ἐυδαίμων, καὶ ἀκήρατος, ἠδ' ἀπό-
νουσος,
Νυμφιδίου ἐπίβαινε λέχους. τὰ δὲ χάσματα
δεινῶν
Ευμενίδων ἑκὰς ἔστω, ἔρις καὶ δύστροπος ὀργή.
Παντοκράτωρ θεὸς, εὐσεβέων ἐπίκουρος ἐν ἄτῃ,
Σήν ἄλοχον, φάος οἰκείων, καὶ μητέρα σώσει,
Καὶ ζυγὸν ἠδύπικρον, καὶ πήματα πάντα
μαλάξει,
Ὅσσα μεθ' ἡσυχίης γυναικὸς λήματος οἴσεις.

Oueno Gunthero
Sponſo.

DOcte vir, & celebris non vltima fama Lycei,
Sala quod Aonijs alluit auctus aquis,
Iam, bene ſi memini, quartus iam ducitur annus,
Cum ſubijt thalamos Pancharitona meos.
Cum mihi tu paranymphus eras, & carus amicus,
Officijq; dabas plurima ſigna tui.
Tum quoq; collegæ, cum me maiuſculus eſſes,
Celibe gauderes & recubare toro:
Talibus atq; alijs ſalibus luſere morantem,
O Venus, ô quando ſponſus Ouenus erit?
Quin iſtuc etiam poſtquam te fata vocarunt,
Eſt quoties thalami mentio facta tui:
Sæpius vnanimes verſum repetiuimus illum,
O Venus, ô quando ſponſus Ouenus erit?
Nunc tandem hunc dubium nobis diſſoluere nodum
Maxima cura tibi dulcis Ouene fuit.
Quando Sibylla tuos intrat formoſa penates,
Corporis atq; animi culta Sibylla bonis.
Cui Charis ingenium, generoſa modeſtia vultum
Finxit, & vnanimis pectora caſta fides.
Ergo vetus carmen verſu mutauimus iſto,
O Venus, ô ſponſam ſponſus Ouenus habet.
Sis felix ſoſpeſq; diu, lætuſq; renaſci
Te videas multa prole replente domum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cuncta uenuſtatis ſint omnia plena leporum,
Et ſit dextra tibi ſemper Ouene Venus.
Naturæ & cauſas quoniam ſine fine laboras
Sedulus ingenij ui penetrare tui:
Ægeriam referat ſemper tua ſponſa Sibyllam,
Quæ fuit & coniunx conſiliumq; Numæ.
Sic uelut Empedocles rerum miracula pandes,
Sic eris arguto maior Anaxagora.

Chriſtophoro Hortenſio & Annæ Macheniæ.

ERrabat nuper ſine certo Hortenſius horto,
Et nullum patrij nominis omen erat.
Quem miſerata Venus grato uincire capiſtro
Aggreditur, ſoluens talibus ora modis:
En tibi præſtantem forma & uirtute puellam,
Quæ comes eſt uitæ grata futura tuæ.
Tu certam tibi quære domum, uiridaria certa,
Sic re, ſic horti nomine cultor eris.
Sic operum felix adiutrix Anna futura eſt,
Anna decens horti Flora Dryaſq; tui.
Suauiter illa tuis tradet ſua ſerta capillis,
Et tenero lectam porriget ungue roſam.
Fœcundaq; manu duce te ſic conſeret hortum,
Areolæ ut florum germina læta ferant.
Non illic urtica manus, non oxalis ora
Lædet, erunt illo nulla aconita loco.

Non cynogloſſa aures, non mollem abſinthia linguam
    Offendent, aloes non ibi ſuccus erit.
Allia, cum cæpis oculorum peſtibus, illinc
    Atq; aberit fumi plantula nomen habens.
Non hic abrotonum, non terræ pondera fungi,
    Non creſcet porro triſtius elleborum.
Non mordax ibi batrachium, non acre ſinapi,
    Nullus hioſcyamus, non tithymallus erit.
Sed pulchra euphroſyne lætos ibi paſcet ocellos,
    Proxima cui folijs hemerocallis erit.
Inde chamæpitys, mox teucrion, & calamintha,
    Surget & è viridi grata meliſſa ſolo.
Hinc ipſam angelicam, thyma, ſuaueolentis anethi,
    Viuacisq; apij germina fundet humus.
Non aberunt violæ, nec ageraton, aut libanotis,
    Non aberit tenero plena pudore roſa.
Nec minus erucæ locus eſt, mentæq; puſillæ,
    Et ſpacium quo ſe porrigat orchis habet.
Quam iuxta tumidos diducta cucurbita ventres
    Exſeret, & fulcri brachia pandet ope.
Mox aderit notæ virtutis ariſtolochia,
    Quæ grauidas duro pondere cocta leuat.
Hinc horti quoq; cœleſtis tibi germina ſurgent,
    Cinget vbi menſam viua corona tuam.
Hunc igitur felix tam pulchrum Hortenſius hortum
    Conſere, & inuicta ſedulitate cole.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Conſortemq́; operum placido complectere vultu,
Quod facis, & plantas qua potes arte riga.
Sic vobis varij ſurgent longo ordine flores,
Almaq́; multiplices copia fundet opes.
In Paradiſiacum donec poſt fata roſetum
Transferat æterni vos pia cura patris.
Et geminas vobis amaranti è flore coronas
Donet & æterna poſſe quiete frui.

Ioachimo Trygiandro & Catharinæ Blafuſiæ.

Eſſe nihil toto agricola præſtantius orbe
Tullius ille refert Romanæ gloria linguæ.
Quod cuicunq́; triplex notum eſt genus agricolarum
Quis verum eſſe neget? ſecat unus vomere terram,
Omnimodosq́; amplo recipit cum fœnore fructus,
Laudatum genus uſuræ quod in omnibus unum eſt.
Altera coniugij ſeges eſt, cultoribus orbem
Numinis hic complens, & viuo germine cœlum.
Tertia ſeminio diuini nobilis agri
Verba dei in populos ſpargit, ſubigitq́; docendo,
Vnde meo ſurgit meßis lætißima Chriſto.
Saluete ô fauſti agricolæ, felicibus orti
Auſpicijs, cariq́; Deo: non vltimus inter
Quos Trygiander erit, fauſtum de frugibus ipſis
Qui bene nomen habens, cœleſtes hactenus agros
Excoluit, fidus Chriſti templiq́; colonus.

Nunc aliud genus aggreditur, cum virgine ſponſa
Incipiens thalami ſocialem degere vitam.
Sis vtrinq; tibi optata cum coniuge felix,
Hic cole fœcundam felici ſidere terram,
Dum vires anniq; ſinunt: cœleſtibus illic
Voce tua reple ſuperum viridaria plantis.

Iohanni Fredero & Margaritæ Chytrææ.

RVbor vt fulgere pyropi
Solet auro incluſus: vt alti
Decus eſt ſol igneus axis
Cum cœlum lumine complet.
Præſtans virtutibus vxor
Decus eſt ſic dulce marito:
Domui ſic gaudia præſtat,
Gemma precioſior omni.
Talis tibi ſponſe puella,
Iam fulcra iugalia ſcandit,
Caſti laus certa pudoris,
Formoſo Margaris ore.
Vera pietate fideq;
Teneram pater imbuit olim,
Pater eſt mihi frater, auitæ
Fidei & pietatis amator.
Genitrix hoc Margaris ipſum,
Domuiq; præeſſe mariti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Docuit, matrona pudicas
Inter caſtiſsima nuptas.
Tali cum coniuge multos
Imple feliciter annos,
Sponſe ô cariſsime ſponſe,
Sponſa ô cariſsima ſponſo.
Procul hinc Eris eſto pudenda,
Adſit Concordia dulcis,
Adamantina vincula nectant
Mentes & corda duorum.
Charitum pia gratia menſam,
Et caſta cubilia cingat,
Et ceu complexibus hærent
Duo corpora, ſic duo corda.
Sit mutuus ardor vtrinq;,
Cœli quem ventilet aura,
Qualem cum compare turtur,
Colit imbellisq; columba.
Socij ſic pignora lecti
Producite, quæ pietate
Referant animisq; parentes,
Et vincant nomen auorum.
Sic ſuauis in agmine turbæ
Materq; paterq; nitebunt,
Inter ceu Luna minores
Micat & ſol aureus ignes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Spectacula nulla videri,
Iſto mage dulcia poſſunt,
Quo dulcia pignora ludunt,
Saluorum ante ora parentum.

Andreas Mylius
Nathani Chytræo. S.

QVid faciat Mylius ſi forte rogabit amicus.
Littera dic: Muſas conticuiſſe dolet.
Inprimis Chytræe tuam: quæ ſe tamen altè
Extulit, & multis officioſa fuit.
Nec tamen inuideo: tenuis quid cultor agelli
Quid faciat? magnos Muſa beata decet.

Nathan Chytræus
Andreæ Mylio. S.

CLare Myli, noſtroſq́; inter vel prime patronos,
Numne adeo Muſas conticuiſſe doles?
Inprimisq; meam, quæ te tamen ipſa tuoſq́;
Obſequio & ſtudijs officioſa colit.
Et licet obſtreperam nolit ſe iure vocari;
Gaudeat & breuibus, tincta rubore, modis;
Non tamen interea, cum res ita ferret, honoris
Immemor illa tui, ſed ſtudioſa, fuit.
Indicio breue carmen erit, quod luſimus olim,
Cum tua Caſelio filia nupta fuit.
Cetera quid memorem? quin nec quando altera nubet
Loneſio, mutam iure vocare queas.

Huic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Huic etenim, natæq; tuæ fauſtiſsima quæq;
    Optat, & vnanimi gaudia mille, toro.
Nec poſthac, vbi ſorte locus tempusq; requirent,
    Negliget officium ſedula Muſa ſuum.
Muſa equidem tenuis, nec iure vocanda beata,
    Non cadit in nugas gloria tanta meas.
Ni forſan, ſibi deberi quod conſcia neſcit,
    Debeat auſpicijs magne patrone tuis.

Dauidi Loneſio & Hannæ Myliæ.

Sponſe Deo dilecte, tibi quod amabile nomen,
    Spondet, id eximium credulus omen habe.
Sponſa, Charis cui dulce dedit dulciſsima nomen,
    Verè ſis ſponſo gratia grata tuo.
Sponſe Deo ſi carus eris, gratusq; maritæ;
    Affliget thalamos nulla ruina tuos.
Quin ea quæ fauſtas deſignant omnia tædas,
    Cœleſti venient munere cuncta tibi.
Hanna tibi requies curarum grata futura eſt,
    Altera tam claro filia nata patre,
Vna oculis formoſa tuis, cariſsima cordi,
    Vna decus lecti, præſidiumq; domus.
Huic ſoli arcanos dabitur concredere ſenſus,
    Atq; adeo inter vos mutuus ardor erit.
Hæc tibi principium ſeri tibi finis amoris,
    Eſtq; comes vitæ grata futura tuæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ex hac filiolis poteris munire ſenectam,
Teq; renaſcentem ſæpe videbis auus.
Quin vix implebit decies ſua cornua Phœbe,
Ludet & ante tuos turba nouella pedes.
Hoc vere eſt multo matrum diteſcere partu,
Verè diuitias iſtud adeptus habet.
Aurea vaſa, domos, gemmas, poſt fata relinques,
Nilq; quod iſtorum te comitetur erit:
Sed ſoboles addicta Deo puerilibus annis,
Et veræ ingrediens per pietatis iter,
Vna etiam ad ſuperas patrem comitabitur arces,
Quis non has veras iure vocabit opes?
Vos quoq; diuitijs ſimili diteſcite pacto,
Has rapere aut vobis perdere nemo poteſt.

Iacobo Bordingo & Eliſa-
bethæ Bureniæ.

CLarorum ſobolem non degenerare virorum
Vbiq; & omni tempore,
Teſtantur Roſei duo lumina prima Lycæi,
Bordingus & Burenius.
Quorum alter medicas exactè calluit artes,
Inter bonos vir optimus:
Alter Ariſtotelis Ciceroneosq; libellos
Fidus magiſter tradidit.
Ingenijs ambo, clari virtutibus ambo,
Ambo iuuentæ præſides

Sinceri, facileſq; bonis, prauiſq; ſeueri,
Honeſti & æqui vindices.
Tum viguit probitas, tum diſciplina pudorq;,
Quæ prò dolor nunc exſulant.
En ſequitur tanti veſtigia nota parentis,
Dignus parente filius,
Sponſus Iacobus, quem laudis amabile nomen
Patriſq; virtus excitat:
Cui Muſa ingenium excoluit, Charis aurea mores,
Decus Themis cui contulit.
Ecce repræſentat vera virtute parentem,
Parente digna filia
Eliſabetha, animo, forma, ſermone, pudore,
Puella præſtantiſsima.
Dum Bordingo igitur nubit Burenia virgo:
Fauete linguis & prece:
Vt Deus illorum præſens conatibus adſit,
Toriq; vincla proſperet,
Vt ſimiles generentur auis quandoq; nepotes,
Parentibuſq; liberi.
Atq; ita vel ſero nunquam gens deſinat æuo
Bordingia & Burenia.

Othoni Prænio, & Annæ Vrſiniæ.

POſtquam ſponſe meas clariſsime venit ad aures
Inclyta coniugij nuncia fama tui:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Scilicet vt generis præclari Vrſinia virgo
Iret in amplexus Anna venuſta tuos:
Dixi equidem cœptos illis fortunet amores
Qui probat amborum vota pudica Deus.
Ipſe etenim ſponſus maiorum ſanguine præſtans,
Præſtantes inter nobile nomen habet.
Patria teſtis erit gelidam quæ tendit ad arcton,
Gens vbi præ multis Prænia nomen habet.
Quin arctoa Rhodos cycnæi ad flumina Varni,
Quæ pueri excoluit pectora, teſtis erit:
Spiraq; cumprimis, vbi ſedem fixit amicam
Iuſticia & legum fida patrona Themis.
Namq; eius pars iudicij non vltima longo
Tempore iam pridem Prænius ille fuit.
Prænius, eximios cui nobilitatis honores
Ætherijs auget Pallas amica bonis.
Cui tribuit faciles generoſa modeſtia mores,
Suada regit linguam, mentem animumq; Fides.
Cætera quid memorem? non conuenientia chartæ
Tam ſtrictæ, & breuibus non ſatis apta modis.
Tu quoq; præcipuas inter pulcherrima nymphas
Anna decus ſponſo præſidiumq; tuo es.
Cui Charis ingenium & mores, Venus aurea for-
Iuno genus, mentem caſta Minerua dedit. (mam,
Sis felix, carumq; tibi venerare maritum,
Et numera liciti gaudia mille tori.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nulla dies vnquam veſtros perturbet amores,
 Sit procul à ſacro lis inimica toro.
Pax veniat, Fideiq; comes Concordia cingat,
 Et menſam & thalami ſtragula picta tui.
Tu quoq; tam caram Præni complectere nympham,
 Munus ab ætheria quæ tibi ſede venit,
Nobilior gemmis, fuluo precioſior auro,
 Omnibus & fluxis anteferenda bonis.
Illa tibi domuiq; tuæ ſincera voluptas
 Eſt comes in ſeros grata futura dies.
Illa tibi curas omnes & tædia pellet,
 Quando tuos ſtabit paruulus ante pedes
Prænius, obſtrepera patrem qui voce laceſſens.
 Multa tibi figet baſia, multa feret.
Eximiumq; decus patri, matriq; voluptas,
 Succreſcet patriæ firma columna domus.
Hæc & plura tibi clariſsime ſponſe tuæq;
 Comprecor, euentu vera futura ſuo.
Tu tua quæ virtus me mittere compulit, oro
 Accipito facili dona puſilla manu.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

NATHANIS CHYTRÆI

AMORVM CON-IVGALIVM

LIBER SECVNDVS.

Viro Nobiliſs.
Theodoro Beuerneſto Luſiuitano
adhuc cælibi. S. D.
Nathan Chytræus.

PVlcra tibi domus eſt, ſunt fundi, eſt ampla ſupellex,
Sunt pecora & ſiluæ piſcifluiq; lacus.
Sunt quoq; robuſti qui curent arua coloni,
Sunt etiam freno quos modereris equi.
Eſt in flore ætas, ſunt plenæ in corpore vires,
Eſt mens, eſt animi iudiciiq; vigor.
Vna deeſt coniunx iſtis quæ ſedula cuſtos
Præſit & omnigenas quæ tueatur opes.
Exornetq; domum, cœli ceu ſidera noctem,
Exhilaretq; ſui corq; animumq; viri.
Hanc quoque ſi reliquis quamprimum adieceris v-
Non video hic deſit quid Theodore tibi. (nam,

Theodoro Beuerneſto, & Dorotheæ Stralendorpiæ.

ILla equidem Theodore tibi quandoq; canebam
Gauderes nimium cælibe quando toro:
Carmine nunc opus eſt alio, quia contigit illud,
Vnum quod paullo defuit ante tibi.
Dorothea hæc illa eſt, Radians virtute fideq;
Quæ tibi cœleſti munus ab arce venit.
" Cedite magnorum mortalia munera regum,
" Munera ſunt magni nobiliora Dei.
" Quæ dare nemo poteſt humano ſanguine cretus,
" Attalicas habeat quamlibet vnus opes.
Tale tibi ſponſa eſt munus, teſtata quod ipſum
Dorothea hoc tecum nominis omen habet.
Tale tuæ ſponſæ es munus Theodore, quod vno
Nomine teſtatus nominis omen habes.
Ergo quod ambobus diuino munere venit
Sit gratum, & magnis maius in orbe bonis.
Dorothean Theodorus amet, Theodoron & ipſa
Dorothea ex imo pectore fida colat.
Sic maiora Dei contingent munere vobis
Munera, ceu ſummi munus vterq; Dei eſt.
Deniq; muneribus cumulandos munerum aceruos
Omnia muneribus nomina plena monent.
Hæc quoq; ceu vobis votis qui ardentibus optat,
Ipſe etiam à tali munere nomen habet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Rector & Concilium Academiæ Roſtochienſis Ioachimo Baſſeuitio, Sponſo Nobiliſs.

QVod nos ſponſe vocas ad Martinalia, tædis
Sacra tuis, gratum eſt, et ſi res ferret, adeßent
Omnes, haud equidem inuiti. ſic namq; mereris
De nobis, noſtraq; ſchola, poteriſq; mereri
Perpetuo. ſed quid cunctis cupientibus obſtet,
Non forte ignoras. Ergo quos mittimus omni
Ex numero paucos, non auerſare: breueſq;
Varniadum modulos, niſi ſit graue, candidus audi:
Noſtramq; Euphroſynen, pauci potuſq; cibiq;,
Nec menſis forte indecorem thalamoq; futuram,
Pro nobis læto placidè omnibus excipe vultu.

Euphroſyne.

SAlue ſponſe bonis pridem cariſsime Muſis,
Quæ puerum te complexu fouêre benigno,
Quæ iuueni ambroſiam ſophiæ, fontiſq; dederunt
Caſtalij latices, & quas Themis aurea leges
Inde tulit: quæ te cygnei à flumine Varni,
Saxonas & Francos Germanæ robora gentis
Inter & Alpinos populos duxere ſub oras
Felſineas, Arniq; ſacras & Tibridis vndas.
Quæ tibi præcipua doctrinæ hîc laude celebres
Deuinxere viros, quos ceu Victorius inter

Sol nitet, obſcurans lunam ſtellasq́; minores.
Cuius & à calamo, noſtro idem nomine, clarum
Tu quoq́; nomen habes, paucis quod contigit, auro
Nobilius, baccisq́; adeo precioſius Indis.
Hæ tibi Parthenopen, ſimul & capita alta Veſeui
Monſtrauere duces, priſcæ & ſpelæa Sibyllæ.
His ducibus, nondum infectas tum ſanguine, ripas
Sequanidum, & Rhodani vidiſti interritus vrbes.
Quin etiam ad toto diuiſos orbe Britannos
Hæ præiere tibi, & Morinûm Batauûmq́; feroces
Per gentes ductum, reducem ſtatuere paternos
Ante focos, Heruliq́; ducis palatia tandem
Recluſere tibi, vt Phœnix velut alter, Achillis
Teutonici iuuenes è poſteritate creatos,
Et moderatores patriæ quandoq́; futuros,
Virtutum imbueres ſtudio, rebusq́; gerendis
Efficeres cum laude pares, ſceptrisq́; paternis.
Nunc etiam lepidam tibi moratamq́; puellam,
Bulouia de gente ſatam, vultuq́; venuſtam,
Deſpondent Annam, faſtuq́; & bile carentem,
Florentemq́; annis ; &, quæ pulcherrima dos eſt,
Mente verecundam, & vere pietatis amantem.
Hac felix, Ioachime chori pars inclyta noſtri,
Et lætus fruere. hæc longarum meta viarum,
Tantorum & requies tibi ſit iucunda laborum.
Hæc ſobolem tibi producat, dulciſsima caſti

Pignora

Pignora connubij, ſpem præſidiumq́; ſenectæ,
Sola oculis formoſa tuis, cariſſima cordi.
Plura velim, ſed plura vetor. tu conſule noſtra
Vota boni, Muſaſq́; tui conſtanter amantes,
Ductricesq́; tuas per tot diſcrimina, ſemper
Quod facis, & facies, colere & redamare memento.

Rectoris & Concilij iuſſu
Nathan Chytræus. F.

D. Laurentio Kirchouio I C. Eliſabetham Filiam ſuam collocanti Henrico ab Heruerden, conſulis filio. S.

DVM tua Iuſtinæq́; tuæ pulcherrima proles,
Dulcis imago ſuæ formoſo corpore matris,
Dulcis imago animi, iuueni placidoq́; proboq́;
Sponſa datur; ſint impuri procul atque profani.
Atqui Kirchouiæ veteres ſunt gentis amici,
Quis grauitas patris eſt & nota ſcientia legum,
Quis matris pietas, pudor & prudentia quondam
Chara fuit; faueant linguis animoq́; fideli,
Coniugibusq́; nouis fauſtiſſima quæq́; precentur,
Concordes animos, caſtæ pietatis amorem,
(Diuitiæ neque enim deſunt, quas numina ſeruent)
Fœcundum thalamum, qui te, ſolummodo patrem,
Reddat auum, longa circum ludente nepotum
Pulcrorum ſerie, qui certatim oſcula figant
Blanda tibi, recreentq́; tuam foueantq́; ſenectam,
Sollicitaſq́; abigant, vera inter gaudia, curas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Bernardo Luſcouio & Catharinæ Clingiæ.

DVm Luſcouiades veteres non inter amicos
Vltimus, & probitate ſua notiſsimus vrbi,
Notus & ingenio, & meritis, & gente vetuſta,
Ducit Clingiaden Catharinam, ætatis in ipſo
Iam poſitam flore, & notam virtute puellam:
Cur Muſæ ſileant? quæ multis hactenus vſq;
Officioſæ adeo & faciles promptæq; fuerunt:
Præſertim à teneris cum illas dilexerit annis
Sponſus, cum Themide, Aſtræa, pulcráq; Minerua,
Quarum etiam eſt cultor celeberrimus, optimus ille
Clingiades, Roſei decus & laus magna Lycei.
Vir præſtans animi, & ſincerus amicus amicis.
Qui patruus patrio ſponſam complexus amore
Elocat, inq; viri thalamos deducit honeſti.
Ergo illis Muſæ fauſtiſsima quæq; precantur;
Concordes animos, fœcundi pignora lecti,
Feſtiuas Charites, quibus ipſa Lubentia vinclo
Annexa æterno lepidos inuitet Amores,
Æternamq; fidem, & veras quas poſtulat vſus
Diuitias, animumq; boni qui conſulat illas.
» Inprimis vero ardentem pietatis amorem,
» Vnica virtutes quæ omnes complexa, futuri,
» Præſentiſq; ſimul ſpondet bona quælibet æui.

Georgio Danckuuardo, & Cordulæ Schoumburgiæ.

Cordula cordato dum nubit caſta marito,
Ipſe vtrinq; liget corcula bina Deus,
Cor ſponſi vt ſponſæ eſt, ſic ſponſæ ſponſus amicæ
Sit cor, ſit trepidi cordis amata quies.
Sint illi cordi pietas, candorq́; fidesq́;,
Serus & aſpiciat pignora corda torus.
Concordes fida exhilaret concordia mentes,
Cordula cordolium, cordis amica, fuget.

Burcardo Bocemanno & Annæ Vandalæ.

Arx tibi firma dedit forti cum remige nomen,
Sponſe decus patriæ præſidiumq́; ſcholæ.
Quidnam ea te moneant quæris? maris æquora tra-
Omnis homo, et remos remigis inſtar agit. (nat
Hunc circum venti inſurgunt fluctusq́; minaces,
Omnia nec portum tangere vela queunt.
Infelix qui munitas non tendit in oras!
Fluctuat in medio ſed ſine fine mari.
Felicem rupi impoſitam qui proſpicit arcem!
Eq́; ſalo in portum tendere nouit iter.
Quod Bocemanne facis, fugiens dum lubrica vitæ
Æquora, iam portum remigis inſtar adis.
Eiusdemq́; viæ ſociam tibi iungis honeſtam,
Quæ ſubit amplexus Vandalis Anna tuos.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Felices hoc remigio, vitate procellas
Turbinis, æquoreas & ſuperate minas.
Donec in æternæ portum vos inuehat arcis,
Qui mare, qui ventos, qui regit aſtra Deus.

D. Bartholomæo Clingio & Margaritæ Croniæ.

CVm tibi primus Hymen primos properaret amores,
Quæſtio de viduis nata eſt tenerisq; puellis, (retro
Vtras præſtaret vinclo ſociare iugali.
Virginibus virgo ipſa fuit patrona Minerua.
Sed viduis vidua ipſa Venus. rationibus vſa eſt
Vtraq; non leuibus, lepido ſcriptore Bocero.
Multa laborarat pro ſe caſtiſsima Pallas;
Pro ſe multa Venus: cum victrix deniq; litis
Nata videretur cerebro Iouis eſse futura.
Ergo Cypris conuerſa ſuas, quas callet, ad artes,
Vt prius eximium iuuenem vatemq; Bocerum
Vicerat, in vidui coniectum vincula lecti:
Sic, potius re quam verbis, mox te quoq; vicit
Calliditate ſua, tibi cum locupletis, & omni
Virtute inſignis viduæ cor vſsit amore,
Vt nolensq; volensq; illis propenſior eſses.
Ingemuit tum capta dolis generoſa virago,
Vindictæq; memor tacitæ (nam neſcia vinci eſt)
Pridem intenta fuit, qua te ratione modoq;
Ad ſe retraheret. ſed nulla optatior illi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Viſa via eſt, quam qua dudum iam mater Amorum
Vſa foret, ſolam probat hanc. hanc ergo ſecuta,
Arte tibi ſimili, coniungit amore puellam
Formoſam, caſtam, ingenuam, lepido ore venuſtam,
Suauiter innumeros tecum quæ compleat annos,
Et te, quod viduæ thalamo olim defuit vnum,
Efficiat lætum generoſa prole parentem.
Hanc igitur ridere tibi poſt ter tria lunæ
Cornua, lætitia pleno cum corde videbis:
An non virgineas viduis præponere tedas
Incipies? caſtaq; tuos ſubmittere faſces
Palladi, qui Cypriæ quondam vexilla ſecutus
Commoda laudaras vidui numeroſa hymenæi.
Faxint hoc ſuperi, vt felix quando ante fuiſti
Coniuge cum vidua, nunc & cum virgine tali
Sis felix, omniq; adeo felicior æuo.

Martino Furmanno & Blandinæ Siberæ.

QVanti te faciat præſtans Furmanne Siberus,
Dux ille Aonij præſidiumq; chori,
Hac etiam, ſi non alia ratione, pateret,
Quod primas animi qui puero auxit opes,
Nunc idem iuuenem poſita grauitate magiſtri
Abſq; ſupercilio diligit, ornat, amat.
Quin generum ſibi te iungit, dans pignus amoris
Blandinam, thalami ſpemq; decusq; tui.

Blandi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Blandinam cui blanditias non mater amoris
Sed pudor & virtus optima philtra dedit.
His tu blanditijs felix, ſoceroq; Sibero,
Dulcia Blandinæ baſia fige tuæ.
Auſpicijſq; Dei generoſo pectore fretus,
Percipe vel totis vberiora tuis.

Laurentio Kirchouio & Gertrudi Kerkringiæ.

DVlce virens lauro ſpectabilis area templi,
Sponſe tibi notum nomen habere dedit.
Intemerata fides, templum & ſacer annulus ornant
Nomina dat ſponſæ non aliena tuæ.
Deſignat templum caſtæ pietatis honores,
Hic colitur precibus, corde, animoq; Deus.
Laurus inoffenſo foliorum germine floret.
Annulus ingenuæ ſymbolon eſt Fidei.
Nomina in omen eant; ſic relligionis amore
Veſtrum erit æterno carus vterq; Deo.
Præterea ſponſo Gertrudis amabilis vxor
Præſtabit certam, ſed redamata, fidem.
Annulus hinc pala claudens fulgente pyropum,
Concordi iunget pectus vtrumq; face.
Fallor an euenient plura iſtis commoda? namque
Concedat thalamis quis meliora nouis?
Sic vicina ſacro, quam cernitis, area templo
De lauro vobis florida ſerta feret.

Serta

Serta feret, vobis quæ florida tempora cingant,
Et ſint finitimæ læta corona domus.

Henrico Schinkio & Chriſtinæ Lyſandræ.

HActenus ingenuo Pietatem amplexus amore,
Schinkius Aonidum caſtus amator erat:
Quas circum Charites caſtas duxere choreas,
Cumq; pia conſtans Relligione Fides.
His veluti nodis & ahena compede vinctus,
Mancipium totus virginitatis erat.
Non tulit hoc, quamuis toties iam paſſa repulſam,
Contemni impatiens inſidioſa Venus.
Semotoq; nihil feriente Cupidinis arcu,
Aggreſſa eſt alijs corda aliena modis.
Namq; ſubornauit Chriſtinam gnara Lyſandram,
Quæ gemini optatum nominis omen habet.
Hæc blandis tandem illecebris, vultuq; venuſto,
Schinkiadæ ſoluit vincula dura ſui:
Iniecitq; alios, incenſo pectore, nodos,
Legitimiq; adeo grata capiſtra tori.
Sic igitur, quem pæne aliqui frigere putaſſent,
Feruet, & in calido pectore vulnus habet.
Vulnus habet, cui virgo eadem non ægra mederi
Et poterit miris cor recreare modis.
Sis felix mihi iampridem cariſſime Schinki,
Sit felix thalamo pacta Lyſandra tuo.

Pro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Pro te quæ plures Chriſto Chriſtina miniſtros
Et pariat vitæ gaudia mille tuæ.

Iohanni Horneffero & Gertrudi Clauiæ.

" CÆlibe nil melius vita qui dixit, amoris
" Inſcius, & vere ferreus ille fuit.
Nec bona quid coniunx eſſet, quæ gratia prolis
Sciuit, & vnanimi quæ bona iuncta toro.
Quin fuit indignus fida conſorte laborum,
Soliuagas inter dignior ire feras.
Horneffere decus Themidis, te iudice cauſam hanc
Vicero, caſta tibi dum Cytherea fauet:
Optatamq; tori ſociam tibi fœdere iungit,
Quæ caput hoc iuris non ſinat eſſe ſui.
Quæ te Felſinei ripas contingere Rheni,
Tibridis aut iterum viſere rura vetet.
Sic tamen vt grata ſis compede vinctus, & vni
Gertrudi addictus blanda capiſtra feras:
Vna oculis quæ pulcra tuis, cariſſima cordi,
Paſcat amore oculos, paſcat amore animum.
Qua felix, vitæ accenſam quoq; lampada natis
Trade memor ſortis curriculiq; breuis.
Ipſe pudor thalamo, formoſa Lubentia menſæ,
Præſideat domui non abigenda Fides.

Anto-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Antonio Boccatio & Margaritæ Bordingiæ.

COniugio nil legitimo iucundius eſſe,
Nil homini magis optandum, nil deniq; curæ
Vſq; adeo ſuperis, loquitur res ipſa, volenti
Singula, ceu fas eſt, ſtudio reputare fideli.
Sæpe aliquis primis ſudauit & alſit ab annis,
Multa ferens faciensq́; miſer, trepidusq́; futuri,
Quem ſibi fidentem, atq; operi precibusq́; vacantem,
Reſpexit Deus, & fida conſorte beauit,
Quæ mœſtum recreare animum, quæ commoda vitæ
Augere, & partem poßet ſufferre laborum.
Hoc munus quamuis fuluo precioſius auro eſt:
Illi plura tamen tam ſancti fautor & auctor
Fœderis accumulat. iam triſtis lympha meracos “
Depromit latices: mox certa domuncula binos “
Excipit: adiunguntur opes modicæq́; piæq́; “
Vincere quæ Craßi, aut tentantis prælia Crœſi, “
Inter opes inopum, gazas & fœnora poßint. “
His thalami accedunt gratißima pignora nati
Certi, legitimi, & ſimuli teſtantia matris
Ore pudiciciam, notamq́; utriusq; parentis
Corporis atq; animi verè referentia formam.
Hinc nati natorum, & qui naſcuntur ab illis
Proueniunt: amplos puerorum examina ludos
Hinc complent: habet egregios hinc patria ciues.

Doctores

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

" Doctores populus, laudatos curia patres.
" Deniq; connubij fœcundo munere cœlum
" Ipſum paulatim ſpacioſa ſedilia complet.
Nouerat hoc olim clariſsimus arte medendi
Bordingus, quamuis florentibus integer annis
Tum iuuenis, ſibi cum Rhodani coniunxit ad undas
Franciſcam uxorem, claram virtute fideq;
Dilectamq; viro: crebro quæ fœta puellis,
(Namq; mares taceo) nymphas caſtasq; piasq;
Spem generūm peperit feſtiuorumq; nepotum.
Quas inter poſtrema tibi belliſsima cedit
Margaris, Antoni, lectiſsima Margaris illa,
Tam claro patre nata tibi, laribusq; pudicis
In thalamos educta tuos, tibi debita virgo,
" Ingenioq; tuo, & linguæ diuina ſonanti,
" Atq; adeo fronti placidæ, morumq; nitori.
" Cum qua, non expers, quæ ſunt memorata, bonorum
" Exige tranquillos placide & feliciter annos.

Martino Vuœlio & Eliſæ Volſchouiæ.

PAlladi Vuœliades primis addictus ab annis
Vitarat Cypriæ tela minasq; deæ,
Vſq; adeo caute, ut Veneris quis crederet hoſtem
Nolle maritali ſubdere colla iugo.
Sic celebs, etiam vernantibus integer annis,
Vixit, & hinc patria conſul in urbe fuit.

Hic tandem Pallas ſe iam viciſſe putabat,
Irridens Veneris ſpicula vana ſuæ.
Non tulit hoc cordata Venus, pueroq́; ſagittas
Ipſa nouas, verbis talibus vſa, dedit.
Sic illum iaculare mihi, ſic vulnera fige,
Irrita ne ſolus numina noſtra putet.
Paret amor matri, ſic certo ſaucius ictu
Vuœliades vulnus diſſimulare nequit.
Tale tamen vulnus, cui non medicamina deſint,
Vulneris hic ictus nam medicina ſui eſt. “
Ictus Eliſa fuit, ſed & hunc ſanabit Eliſa,
Dulcis Eliſa tuo debita ſponſa toro.
Viuite fœlices animis concordibus ambo,
Alter & alterius ſit medicina diu.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

NATHANIS CHYTRÆI

AMORVM CON-IVGALIVM

LIBER TERTIVS.

magna ex parte adoptiuus.

Ad Generoſum & magnificum D. Andream Duditium, conſiliarium & oratorem Cæſareum.

QVI læderent conuicijs
Olim puellas nubiles,
Et fæminas contemnerent,
Priſcis fuere ſeculis
Multi: toros ſed coniugum
Spreuere plures: plurimi
Sponſæ ſecundas nuptias.
At tu, vel inter optimos
Vir optime & clariſsime,
O Duditi, lux Pannonum,
Calumnias has negligens,
Deiq; parens legibus,
Vxore gaudes altera.
Non inſcius connubium;
Secum boni quid adferat,
Non inſcius quæ cœlibem
Circumfluant moleſtiæ.

Vitam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vitam quidem ille liberam
Mneſarchides altè euehens
Iactat, ſuæq; originis
Ceu neſcius, parentibus
Conuicium facit ſuis.
Quasq; ipſe amaret in toro,
Parum pudicis moribus:
Has impudenti carmine
Vituperauit in choro.
Sed pluris ille maximus
Fidusq; doctor gentium
Faciendus eſt mortalibus.
Faciendus eſt & plurimi
Patris ſupremi filius.
Hi laudibus perennibus
Vitæ iugalis vincula
Et comprobant & prædicant.
Gaudet parentis nomine
Cœleſtis ille conditor.
Sponſi vocatur nomine,
Natus parentis vnicus.
Cur ergò ſacras nuptijs
Contemnere audes fæminas?
Num plus ſapis, quam ſiderum &
Cœleſtis arbiter chori.
Quod ille dixerat bonum;

Hoc peſsimum tu dixeris?
Encomijs quod ſuſtulit;
Tu deprimes opprobrijs?
Non tantus es, compeſcito
Linguæ dicacis ſpicula,
Iramq; numinis time
Mendaciorum vindicem.
Tu ſponſe nobiliſsime,
Poſt fata primæ coniugis,
Deſerta pridem, iam noui
Conſcende fulcra lectuli,
Sponſæq; inhærens brachijs,
Dei fauore nitere.
Hic auctor huius fœderis,
Pios tuetur coniuges:
Hic leniens moleſtias,
Amara reddit dulcia.
Draui decus tu patrij,
Tu fontis Aonij iubar,
Suadæ & medulla, maximo
Es os oculusq; Cæſari.
Tibiſcus id nouit tuus,
Nouit Tibris, nouit Padus,
Scit Viſtula, Albis, Odera:
Quis flumen eloquentiæ,
Mentisq; ſolertis vigor,

Boni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Bonitasq; fidi pectoris
Innotuere iam tui.
Sis ſponſe felix optime,
Felixq; ſemper permane.
Domi interim coniux tua
Decens, pudica, nobilis,
Prudentiumq; coniugum
Ornata blandis moribus,
Feßum labore recreet,
Sermonibus dulcißimis,
Suauißimoq; baſio,
Arctißimisq; amplexibus.
Nihilq; turbet tam ſacra
Tori pudici gaudia.
Quin veri amoris pignora
Vobis Deus det liberos,
Pios, modeſtos, ſobrios,
Qui pro parente publicis
Cum laude præſint commodis:
Qui pro parentibus Deum
Colant, adorent, prædicent.
Hæc pauca Chytræi tui,
Sint qualiacunq; carmina,
Vix digna tantis nuptijs,
Æqui boniq; conſule,
Vir oro præſtantißime.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic vota cordis intimi
Læto probentur exitu.

Nathani Chytræo & Gertrudi Prengeriæ.

Nouis coniugibus.

GEORGIVS FABRICIVS *Chemnicenſis, Hoſpes.*

TVVM *rigorem flectere*
Nec Belgicæ nec Gallicæ
Potuere formæ, & quas habent
Vrbs Hadriæ atq; Tibridis:
Vicit Nathan te Saxonis
Puella, moribus, fide,
Pudore, temperantia,
Nitore, tota amabilis.
Hæc digna ſcilicet tuis
Faſtis politis & ſacris.
Tinxere quis Horæ manus,
Manus decentes Gratiæ.
Non his pares Maßurius,
Non Cingius & Fuluius
Scripſere, quondam Romuli
In urbe magna nobiles.

Sis ſponſe felix, cum nouis
Qui priſca confers tempora,
Qui bella, paces & viros,
Inuenta & artes prædicas.
Sis ſponſa felix quæ bono
Viro, poëtæ nobili,
Vna domo, vno pectore,
Vnoq; latere iungeris.
Qui te, & ſororis coniugem,
Clarum, pium, doctum virum,
Gentemq; totam dulcibus
Potens ſonare cantibus.
Qui nunc ocellus Balthici
Freti, velut ſolem Heſperus
Fratrem ſecutus, nominis
Famam decusq; duplicat.
O ſplendidum connubium,
In quo marita ſedula
Prudensq; ſedulo viro
Et erudito traditur!.
Huic culta mens ad publica
Curanda, & huic vis ingeni
Domum gubernandi: ô bonæ,
O auſpicatæ nuptiæ!

Amici familiares.

AMicus abſens grex tibi
Nathan precatur, & tuæ,
Quæcunq; poſſunt à bonis
Optata dici mentibus.
Eberhardus hæc, templi tuba,
Vrbisq; cuſtos: nec minus
Lechnerus hæc verbis ſuis
Optat, ſacri lux ordinis.
Tuæ Chytræe ſint domo
Virtus, honeſtas, copia,
Tuoq; Gertrudi thoro
Pax, gaudium, fœcunditas.
In nutriendis liberis
Sit mater vxor optima,
In educandis liberis
Sis ipſe præclarus parens.
„ Quot liberi tot angeli
„ Verſantur in piorum ædibus.
„ O ter beatum, talia
„ Fert à Deo qui munera.
Leuſchnerus his vota inſuper
Addit ſua, artis Cynthiæ
Sciens, & Eileburgius
Morum magiſter diligens.

Non

Non obſtat abſenti pijs
Præſentem adeſſe gaudijs,
Preces ab ortu cardinem
Ad vſq; mundi permeant.
Adſit Deus vocantibus,
Veſtros labores dirigat,
Et in ſuo ambos munere,
Cum gratia felicitet.
Rebus beatis & bonis ‹‹
Vxor viro ſolamen eſt. ‹‹
Rebus vir vxori quoque ‹‹
Ruentibus, ſufflamen eſt. ‹‹
Nil ſolida frangat gaudia
Ægrum, inquietum, turbidum:
At ſi quid eſt, id mitiget
Dei potentis dextera.

Iohan. Schoſſerus Æmilianus.

CVM ſociata fuit lectiſſima nympha Chytræo,
Nomen honoratum quæ Geredrudis habet.
Amplexusq; dedit, quales deducere poſſent
Ætherea ſummum de regione Iouem.
Riſit amor, colloq; geras adamantina dixit
Vincula, ne rurſus Gallica rura petas.
Aut ſuperes curſu celſum caput Apennini,
Iſta ſed aſſiduò blanda roſeta colas.

Nam poſtquam celebris ſublata eſt cura Boceri,
Eſt opus ingenio culte poëta tuo.
Dixerat. applauſit formoſis Varnus ab vndis,
Et multum populi murmur in ore fuit.
Laurea ſed ſponſo donarunt ſerta Camœnæ,
Et Phœbus docta perculit arte lyram.

Iacobus Fabricius Chemnicenſis.

ECquis Dei non ſentiat
Curam iuuantis prouidam,
Seu quis profundo nauiget,
Seu carpat in terris viam?
Dum tu Chytræe induſtrius
Oræ Italæ, oræ Gallicæ,
Opulenta lautaq́; oppida
Virtutis ergo obambulas:
Dum digna cognitu notas,
Legiq́; digna colligis,
Ac nomini decus tuo
Famæ paras pulcherrimum.
Dumq́; anteponis omnibus
Rebus timorem numinis:
Chriſtiq́; credis gratiam
Portum ſalutis vnicum:
Ad littus interea tibi
Nutritur ecce Balthicum,

Quam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quam tu reuerſus expetas,
Quæ te reuerſo gaudeat.
Et tu puella nobilis
Gertrudis, aßidens domi
Iußo labori dum vacas,
Morata, caſta, ſedula:
Dum dedita es piè Deo,
Et obſequens parentibus
Virtute claris, & benè
De publico merentibus:
Tam dignus ecce adducitur
Sponſus remotis è locis,
Ex omnibus te diligat
Sociam ſui qui lectuli.
Qui cum iuuentutis tuæ
Annos pudicè tranſigas,
Quem diligas, cui pignora
Fructum feras connubij.
Qui cum ſeneſcas, & Dei
In liberis, nepotibus,
Rebusq́; cunctis perpetim
Benignitatem prædices.
Ecquis Dei non ſentiat
Iuuantis admirabilem
Curam, feratq́; gratias
E corde gratus intimo?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Es digne tali virgine
Qualem Nathan complecteris,
Taliq́; Gertrudis viro
Es digna, qualem diligis.
Sic ſic beati viuite
Chari inuicem, chari & Deo
Semper, torum qui ſoſpitet
Et hunc, piorumq́; omnium.

Hiobus Madeburgus.

Ἔχει πόθος βίοιο
κοινωνίας βρότειον
ἅπαν γένος. τίς ἐστιν
πάντων γὰρ ὃς θέλει ζῆν
βίον μόνος, τὸ πλῆθος
κἂν σχῇ παλῶν μεγίστων;
Ἄλλη δὲ τῶν ἐξ ἁπασῶν
οὐκ ἐστὶν, οὔτ' ἀμείνων
οὔτε πλέον γλυκείας
τῆς τέρψεως ἔχουσα,
ἡ συμβίωσις ἀνδρὸς
χρηστοῖο, καὶ φρονούσης
θ' ὅμοια τῆς γυναικός.
Φύσει ἔνεστιν αὕτη
ἅπασιν, ἢ τὸ ἄῤῥεν,

καὶ

καὶ θῆλυ ἐξοτρύνει
Συνοικέειν, μέγ' ἀμφοῖν
ἐμποιέουσα φρεσὶν
πόθον, γένος βρότειον
ἐκλείπει ὡς ἅπαν μή.
Ἔστ' αἴτιος καὶ αὐτὸς
ταύτης θεός, γάμοιο
δεσμῷ ζυγῶν τὸν ἄνδρα
Σὺν τῇ γυναικὶ πρῶτος.
αὐτὸς φιλεῖ γαμοῦντας
ἐπισκοπῶν πρὸς αὐτούς,
καὶ ποιεῖ γλυκίστην
τὴν συμβίωσιν αὐτῶν,
φίλοισι παισὶ κοσμῶν
τὸν οἶκον. ἄλλο μὲν γὰρ
οὐκ ἔστι κτῆμ' ἄμεινον
ἢ ἥδιον γονεῦσιν.
Τὰ δ' οὖν φρεσὶν μενοινῶν
ΧΥΤΡΑΙΕ ἠδ' ὅμοια
τούτοις τὰ ἄλλα, ὅτι
γλύκιστον, ἠδ' ἄριστον
τὸ θεῖόν ἐστι, καὶ τὴν
κοινωνίαν γαμούντων

κατὰ τὴν φύσιν μάλιστα
εἶναι, θεῷ φύσει τε
ἔικεις, καὶ ὡς πότ᾽ οἷαι
κοῦραι Διὸς ἔρως σοί,
οὕτως κόρη φρένας νῦν
ἄλλη τρέφει φλεγούσας.
Φλὸξ θέιη ἐστὶν αὕτη,
ἣν οὐχ ὅ γε Κυθήρης
παῖς, ὃν λέγουσι μῦθοι
ἐνέπρησεν, ἀλλὰ θεῖον
πῦρ ἔσ᾽ ἔρως ὁ αἴθων
ἀντίστροφός τ᾽ ἰόντων
πρὸς τὸν γάμον τὸν ἁγνόν.
τούτου μὲν οὖν τυχόντι
σοὶ στῆθος ἔνδον αἴθει,
καὶ πῦρ φίλον φλέγει σέ
κόρη τὸ κάλλος ἐσθλή.
Ἔγωγε ταῦτ᾽ ἀκούων
ἥδομαι, καὶ ὡς πρέπει μοι
μάλ᾽ εὔχομαι δοθῆναι
φλογὸς θεῶ ἑοῖο
τοῦ πνεύματος παρεῖναι
σοὶ νυμφαγωγὸν αὐτόν.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Δοίη ὁμοφρονοῦντας
νοήμασιν, βίον ζῆν
εὐδαίμον᾽ οὐδὲν ὑμῶν
ἀποσβέσῃ ἔρωτα
καλὸν, βέβαιος αἰεὶ
καὶ μᾶλλον ἢ διαρκής.
Εἴη γυνὴ φίλανδρος
οἰκουρός, ἠδὲ κεδνὴ,
μήτηρ δὲ εὐσεβὴς σοι
τεκοῦσα πλεῖστα τέκνα.
Γονεῦσι τέκνα ψυχὴ,
πολλὸν γυναικὶ κόσμος
χρυσοῖο, ἠδὲ κόσμου
μείζων, ἄτερ γ᾽ οὐ ἐστὶν
ἀτελὴς γάμοιο τέρψις.
Καὶ ὡς ἔρημος οἶκος.
χρηστῶν δὲ μεστὸς υἱῶν
πανόλβιος, χ᾽ ἁπάσης
ἀρετῆς ἔφυ ταμεῖον.
Τοῖος σοὶ ὡς γένοιτο
ΝΑΘΑΝ, θεοῦ διδόντος
οἶκος, γυνὴ, φίλοιτε
παῖδες, καὶ ἄλλα πλεῖστα
ὅσα

ὅσα φρεσὶν μενοινᾷς,
Νῦν εὔχομαι, θεόντε
σε λίσσομαι λαβέσθαι.

Ioannes Poſselius.

Παντοίων ἀρετῶν ἀγαθὴ γυνὴ ἐστὶ ταμεῖον,
ἠδὲ βοηθὸς ἄγαν χρήσιμος ἀνδρὶ ἑῷ.
ἀλλ' ἡ κακῆς πέλεται οὐδὲν χαλεπώτερον ἄλλο
ἢ χωρὶς δαλοῦ ἄνδρα εὔνου ἐόν,
πῆμα γυνὴ κακὴ ὅσσον ἔφυ ἀγαθὴ μέγ' ὄνε-
τιμῆεντα ἔχει, σώφρονα ὅστις ἔχει.
οὐδὲ βροτῶν ἀνδρῶν, αὐτὰρ μούνοιο θεοῖο
δῶρον τοιαύτη ἐστ' ὀβρίεσσα γυνή.
τοὔνεκα συζυγίης ῥεκτῆρα θεὸν λιτανεύω,
ἤδη ζευγνύμεναι σοι ἀγαθὴν ἄλοχον,
ἣ σοὶ ἀεὶ φρονέει φίλα ὤμου γήραος ἄχρι,
ὕμμιν ἵν' οὐκ ἐκλοχὴ ἐμπέσῃ ἄνδιχ' ἔρις,
σὸν γέρας ἐστὶ θεὸν τιμᾶν, πονέειν τε ἀοκνως
ἠδὲ συνοικῆσαι συγγάμῳ εὐπρεπέως.
ζῆθ' εὖ σὺν νύμφῃ χ' ἁγνῶς τέκε, ὡς ἐλοχεύθης
ἀντὶ σέβειν παῖδας τοὺς θεῷ ἀμφιπόλους.

Georgius Typtoleontius.

EXpectata diu tandem tibi ſponſe, tuæq;
Lux oritur, quæ vos æterno fœdere iunctos

Ducat in optati genialia fœdera lecti.
Sit felix & fauſta tibi Chytræe, tuæq́;,
Andreæ ſacrata dies, ſignanda lapillo
Candidulo, veſtros quia primó cœpit amores.
At vos ô Charites, voſq́; optima numina Muſæ,
Laurea ſerta comis imponite, iungite dextras,
Et Phœbo præeunte ſacras iterate choreas,
Et pariter lætis noua carmina dicite linguis.
Hic ille eſt iuuenis, non veſtro indignus amore,
Hic ille à teneris vobis bene cognitus annis,
Nec veſtris indigna choris quandoq; locutus.
Hæc ego: mox illæ. nobis an cognitus ille
Non foret, illiusq́; domus? quin nouimus ipſum
Et patriam, fratresq́; duos, carumq́; parentem,
Hisq́; fuit longo nobis nil carius æuo.
Eſt regio non ampla quidem, contermina Rheno
Et Nicro, veteri Graiorum nomine gaudens,
Vitreus exiguo Græcus quam diuidit amne.
Illa Chytræorum patria eſt, Mencingia colles
Hic vbi vitiferos, & pingues aſpicit agros,
Non procul à patria diuiq́; Melanthonis vrbe.
Illorum pater hic ſacro Matthæus ouili
Præfuit, inſtillans populo pietatis amorem,
Auguſta grauitate ſenex, annisq́; verendus.
Fortunate parens, tu tres poſt funera natos
Liquiſti, nobis caros, noſtræq́; cohorti,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quod raro aut nunquam noſtro cui contigit æuo.
Nam tuus hîc Dauid gelidam ſemotus ad Arcton,
Quicquid Socraticis latuit quandoq; libellis,
Quidquid im hiſtorijs ſacris pariterq́; profanis
Inſigne eſt, didicit, perfectum & callet ad vnguem.
Quin alijs has pandit opes. nunć maximus illum
Cæſar, & Auſtriaci proceres, ad nobile veræ
Relligionis opus, formandaq́; ſacra vocarunt:
Dux illi, fidusq́; comes Deus optimus adſit,
Ex animi vt votis commiſſa negocia tractet,
Saluus & ad ſolitas redeat feliciter oras.
Filius hic primus. minimum cui iungere natu
Iam libet, is patrio Matthæi nomine notus,
In patria manet, & docilem cum laude iuuentam,
Hic vbi ſunt claræ Charitini principis arces
Erudit, ingenio præſtans, fandiq́; lepore.
Sed redeo ad ſponſum, patri qui filius alter
Inter vtrumq; fuit medius, cui nomina Nathan
Pſalmographi vates regis, dedit optimus idem
Præceptor, cuſtosq́; olim Salomonis amicus.
Sponſe decus Phœbi, blando te lumine natum
Melpomene vidit, placidus tibi riſit Apollo,
Duximus ad cunas Charites, Muſæq́; choreas.
Hinc ſine labe puer florentes paruulus annos
Duxiſti in patria: celebrem mox miſſus ad vrbem
Sturmius eloquij celebrem quam reddidit arte,

Cœpiſti Latiæ, Græcæq; exordia linguæ
Diſcere, tam magni non pars poſtrema Lycei.
Illinc Varniadum claram traductus ad vrbem,
Caſtalios propius cœpiſti accedere fontes,
Et puer ingenuas didiciſti ſedulus artes.
Quàm ſæpe, ad virides cum carmen amabile ripas
Cantares, hac Varnus ouans te voce ſecutus!
Creſce puer dixit, per te mea gloria quondam
Creſcet, & Aonios flumen ſpirabit odores.
Quin idem tibi littoreo de germine myrti
Impoſuit ſertum, primi geſtamen honoris.
Inde ſacros Sophiæ titulos, & iura docendi
Attribuit, cathedraſq; ſcholæ te ſcandere iuſsit:
Illic tu veterum præclara poëmata vatum
Enarrare alijs magna cum laude ſolebas.
Nec contentus eo, peregrinas viſere gentes
Cura tibi generoſa fuit. te Dania, culti
Te Bataui, Belgæq; ſimul, forteſq; Britanni,
Te Soma, te Scaldis, te ſacra Lutetia Muſis,
Et pater Oceanus vidit, te Sequana quando,
Ad Tameſin, vectum ſpumoſa per æquora, miſit.
Inſuper aëreis minitantes nubibus Alpes,
Concretaſq; niues ſuperaſti in montibus illis,
Italiæ, & veteris cupiens veſtigia Romæ
Viſere, Parthenopenq; ſacri monumenta Maronis.
Ergo tibi regna maris, pulcherrima rerum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vrbs Venetûm viſa eſt, ſunt viſæ Antenoris arces
Pauſilypiq; iugum, Sarnusq; & celſa Veſeui
Culmina, Baianusq; ſinus coniunctus Auerno,
Multaq; Campanis circum miracula terris,
Commemorata tuo quæ ſunt quandoq; libello.
Quin etiam varios populorum diſcere mores
Et linguas tibi cura fuit. quare omine dextro
Nunc reducem Roſei te pulpita culta Lycæi
Obſeruant, vbi tot noſtros ſtudioſus alumnos
Informas, monſtrasq; viam, dux præuius ipſe,
Quæ bene Caſtalias illos perducat ad vndas.
Sit certare mero, ſit pocula vertere, verſus
Eructare rudes, alijs ſuprema voluptas:
Dum tibi ſobrietas placeat, quæ maxima laus eſt,
Qua ſine Pegaſeas nemo ſibi ſomniet vndas.
Deformare bonos alijs, & lædere verſu
Sit labor: ingenui dum tu cum laude pudoris
Grata Deo, ſanctisq; canas encomia rebus.
Perpetuo fœdos alij ſectentur amores:
Tu tibi legitimi ſociatam fœdere lecti
Dilige Gertrudin: noſtri contentus amore
Hactenus, & caſtis in Muſas ignibus ardens.
Quos tibi non vndæ, non vlla extinxerit ætas.
Nec quod Gertrudin poſthac conſtanter amabis,
Propterea nos deſertas ſpretasq; relinques,
Ex te quin plures nobis ſperamus alumnos,

Qui viuant, noſtrumq́; ferant ſuper æthera nomen.
At tu ſponſa decens, tali iungenda marito,
Optima Gertrudis, læto tua gaudia vultu
Aſpice, dilectumq́; tibi venerare Chytræum.
Ille quidem nos ardenti complexus amore
Iam dudum reuerenter amat, quin ſemper amabit
Poſtmodo, ſed veſtros non hoc turbabit amores.
Quin tuus & noſter ſimul eſt. quid lumina torques,
Inſidiasq́; ſtrui tacito tibi pectore credis?
Non ſtruimus: ſed ſollicitos partimur amores.
Non amor eſt ſimilis noſtro tuus: illius ergo
Mens, animus, corpus tua ſint: ſolummodo mentis
Concedas aciem nobis, acrisq́; vigorem
Ingenij, multos ſtudijs quo ſeruiat annos.
Fallor an hoc Muſis concedes læta, tuoq́;
Chytræo, qui te ſolam ſuſpirat & ardet.
Sic tamen vt noſtri non extinguantur amores.
Quin conceſsiſti dudum. Salue optima, ſalue
Gertrudis, patre præſtanti prognata, pioq́;
Prengerio, cui tranquillam ſub mole quietem
Optamus, quia nos olim dilexit, & inter
Te reliquas etiam genuit quandoq; puellas,
Quæ noſtri fieres cariſsima ſponſa Chytræi.
Qui velut Aonij lux eſt & gloria fontis:
Sic tu præ reliquis luces formoſa puellis,
Ingenio Phœbe, Venus ore, manuq́; Minerua.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Intuituq́; Charis, ſincero Veſta pudore.
Te circum placido generoſa modeſtia vultu,
Et morum probitas incedit & aurea virtus:
Et quæ virtutes in ſe complectitur omnes
Vera animi pietas. Gertrudis eburnea ſalue,
Clara bonis animi, & forma, vultuq́; venuſto.
Tu longe ante alias felicior vna puellas,
Vſq; adeo veteres laudant quas carmine vates.
Cynthia blanda tace, vultumq́; abſconde Neæra,
Non ita perpetuus veſtris vos vatibus ardor
Iunxerat, in tenues qui ſæpe euanuit auras,
Suſpicione aliqua vel ſemine litis oborto.
En alio tibi iungetur Chytræus amore,
Sincero magis, & ſeros qui duret in annos.
Scilicet ipſe faces & veſtros ventilat ignes
Spiritus, ætherei procedens corde parentis.
Ecquod amabilius vinclum eſt aut firmius illo?
Hoc vos vnanimes, & dulci fœdere iuncti,
Serpite in amplexus: certantia figite labris
Baſia: ſit vobis eadem mens, vna voluntas:
Sit ſine lite torus. vultus tibi coniugis inſtar
Sit ſpeculi: ſi lætus eris, lætetur & ipſa:
Si mœſtus; ſit mœſta ſimul Chytræe, tibiq́;
Conſors in multos viuat feliciter annos,
Sæpe futura parens generoſæ ſedula prolis.
Hæc Charites Muſæq́; ſimul tibi ſponſe tueq́;

Vnanimi cecinere ſono: tibi mittimus illa,
Tu cape pacato quæ mittimus omnia vultu.

IOANNES CASELIVS Nathani Chytræo Sponſo. S.

Χαῖρέ μοι ὦ Νάθαν. χαίρειν δὲ τε καὶ τι κελεύω;
Οἶδα μάλ' εὖ. χαίρειν γε νεηνιέων μέγ' ἄριστον
Νυμφίον, οὐδεμίη νέμεσις, μοῦσαν τε γαμοῦντα,
Μοῦσαν τὴν δεκάτην: δεκάτην σοι ἐπ' ἐννέα μούσαις. (ἄλλη:
Ἐννέα γὰρ πάλαι ἦσαν ἀπ' ἀρχῆς: οὐδέ τις
Ταῖς δεκάτη μετέπειτα νέη τις ἐνηριθμήθη,
Εὖτ' ἐδῦα λύρας φρενοτέρπους πότνια Σαπφώ.
Τίς δὲ φθονοίη σοι, ἑτέρης τετυχηκότι μούσης
Σοὶ δεκάτης; καὶ γὰρ σὺ ἔχεις τὸ πρὶν ἐννέα πάσας,
Ἡ σέγ' ἔχουσι κασίγνηται, Διὸς ἐκγεγαυῖαι.
Μοῦσαι ἰοστέφανοι, μεγαλώνυμοι, ἠπιόδωροι.
Αὗται μὲν γάρ σ' εἰς ἱερὰν ἑλικωνίδα πηγὴν,
Διψῶντ' ἀμβροσίου προπισοῦσ' ἅλις ὕδατος, ἦγον:

Σ᾽ ἦγον ἀσπασίως ἁπαλοῦ ἀπὸ παιδὸς ἐς
ἥβην,
Ἐξ ἥβης εἰς ἄνδρα, χ᾽ ὅσος νῦν ἄμμι τέθηλας,
Ἐσθλὸς ἀνήρ, ἐσθλοῖς γὰρ ἀοιδοῖς ἐσθλὸς ἀοιδός.
Αἰδῶ ἔτι νῦν σε φιλεῦσι, καὶ οὔ ποτε σεῖο
λάβοιντο,
Μηδὲ σὺ τῶνδε λάθου μετέπειτ᾽ ἄλλης τῆς
ἐραστής:
Ἢν δὲ θέλεις καὶ φιλέεις, κεῖναι σε φιλῆσαι ἀνώγα
Μοῦσαν τερπνοτάτην, πολὺ σοι θυμήρεα μοῦσαν
Πῶς δέ νιν ἀείσω; φίλε νυμφίε: πῶς δὲ σ᾽
ἀείσω;
Δωτίνης σὺ μὲν εἶ: ἐρατῷ δ᾽ αὖ ὄζιν ἐκείνη:
Οὕνεκα Δωτίνη ὁ θεὸς μεγάλη σε γεραίρει.
Δοὺς σ᾽ ἐρατὴν ἐρατῷ, καὶ μούσῃ ὁμώνυμον αὐτῇ,
Ἣν μὲν τοι μουσῶν δεκάτην σοι ἔμμεν ἔφησθα.
Δωτίνης ἐρατοῦς ἔραται, ἐρατῷ Δωτίνου:
Δωτίνη δέδοται δ᾽ ἐρατῷ, ἐρατοῖ Δωτίνης.
Ὃς δὲ θ᾽ ὑμᾶς συζεύξεν ἄμ᾽ ἵλαος ἐκτελέσειε
Τἄλλα, ξυνὴν φιλίην, μακρόν τ᾽ αἰῶνα, τε οἶκον
Θεσπεσίην σώτειραν ὁμοφροσύνην ἐρατεινήν.
Τὴν δὲ δότω, καὶ εὐτεκνίην: ἧς εἵνεκ᾽ ἔρωτι
Παγκαθαρῷ σφὰς ἁγνοὶ ὁμόζυγοι ἠμείψαντο.

Nathan Chytræus Ioanni Caſelio V. CL. S.

SVnt iucunda mihi tua carmina, clare Caſeli,
Carmina de thalami fœdere ſcripta mei.
Quæ dum forte lego tacitus, mirabile quiddam
Accidit; id mecum ſi tibi ſcire libet.
Scilicet ante meos Erato pulcherrima vultus
Aſtitit, à dextra conſpicienda manu.
Aſtitit & placido Gertrudis amabilis ore,
Illa decus thalami ſponſa futura mei.
Vt vidi obſtupui, vix & diſcernere formas
Tunc potui: facies par in vtraq; fuit.
Vtraq; formoſa eſt, & amabilis vtraq; vultu.
Vtraq; in amplexus iuit amata meos.
Vtraq; dulce canit, micat vtraq; fronte ſerena,
Purpureusq; genas veſtit vtriq; pudor.
Altera blanditur, blanditur & altera nobis,
Hæc mihi tu meus es, tu meus illa refert.
Hæc tua ſum dicit, tua ſum mox ſubijcit illa,
Hæc ſit an illa prior non ego ſcire queo.
Quid facerem? neutram fas eſt contemnere, dixi,
Vtraq; iudicio digna fauore meo eſt.
Blandior hac illa eſt, hæc eſt quoq; blandior illa,
Quin ſatis hæc nobis & ſatis illa placet.
Quod ſi igitur poſſem tantas componere lites,
Exemploq; nouo ſolus amare duas,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quid facto melius? tentabimus ergo puellas,
Inter ſe placidè conciliare duas.
Nec mora blandiloquo ſic illas alloquor ore,
Auribus hæ faciles omnia verba notant.
O mihi dilectæ, ſemper mea cura, puellæ,
Cordaq; plus oculis ſemper amata meis.
Blanda Erato, noſtriq; decus Gertrudis amoris,
An ego vos vnquam deſeruiſſe queam?
Non queo, ſint procul à nobis tam ferrea corda,
Ingenuas colimus qui ſine fraude deas.
Quæ prior es, teneris Erato me ſemper ab annis
Fouiſti, in curas officioſa meas.
Tu mihi Pierij monſtraſti culmina montis,
Culmina difficili vix adeunda pede.
Totiusq; meæ, ſi ſint modo, commoda vitæ,
Accepta officijs ſunt referenda tuis.
Ergo tibi grates ſtudioſo pectore dico,
Meq; tuis totum dono dicoq; ſacris.
Nec tamen idcirco Gertrudim deſero ſponſam,
Quæ pars eſt thalami grata futura mei.
Hanc ego præ cunctis vnam ſolamq; puellis
Plus etiam credi quam mihi poſſit, amo.
Non tamen inde tuo quidquam decedet amori,
Tu ſponſa ingenio grata futura meo es.
Gertrudi quoq; grata meæ: non inuidet illa
Hoc tibi, quin etiam te reuerenter amet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hanc tu ſi redames, nihil eſt quod poſtmodo rixas,
Aut metuam domui iurgia crebra meæ.
Sunt vobis ſimiles formoſo in corpore mores,
Eſt eadem facies, eſt quoq; nomen idem,
Cur quoq; non eadem ſit mens, eademq́; voluntas?
Quas faciunt mores, nomen & ora pares.
Nondum finieram, læto blandiſſima vultu
Altera in alterius brachia quando ruit.
Et cito coniunctis, leni cum murmure, dextris,
Perpetuæ ſpondent fœdus amiciciæ.
Has ego, ſperatis vtriuſq; amplexibus hærens,
Laudo, meam rurſus polliceorq́; fidem.
Pacta mihi, geminiſq; placent vtrinq; puellis,
Sic ego conſortes ſemper habebo duas.
Dic mihi, præcipuos inter memorande Caſeli,
Vt mea facta probes, iudiciumq́;. vale.

Ἀπόκρισις Κασηλίου πρὸς νυμφίον.

Πάντα μάλ' εὖ σοι ἔχει, καὶ καλῶς, νυμφίε Ναθάν,
Εὖ γε προήρησαι σαῖς φρεσίν: εὖ γε ἔγραφες.
Εὖ γε διέλεξαι: εὖ γε δρᾷς. εὖ γε ἄρα πράξαις,
Μηκέτι δίσταζης, πάντα μάλ' εὖ σοι ἔχει.

Ἰωάν-

Ἰωάννου Εἰρηναίου, πρὸς νύμφην πα-
νυφίλην πομπηΐαν.

Χαῖρε φίλη νυμφη, γαμέεις γὰρ μάντιν, ὃς
ἄλλα
χρήσιματε θνητοῖς, ταῦτάτε τερπνὰ θεοῖς
Μείζονος ἢ χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου ἔμμορε τιμῆς
Εἰς μουσῶν δόξης ἀθανάτοιο λαχών.
Σοίγε μεγα κλέος ὦ κούρη Χυτραῖος ἔην,
ἠδὲ σὺ Χυτραίῳ ἠδὺ γλύοιο κλέος,
Εἴης πανυφίλη αὐτοῦ, πομπηΐας ἔης,
εὗρες δ' ἀμφοτέραν νύμφη ἐπωνυμίην.

Valentinus Hantſchius.

TVRTVR.

INter volucres lucidum
Pennis ſecantes aërem,
Ob caſtitatem cæteris
Turtur celebris maximè.
Non mas maritam deſerit,
Marita nec marem ſuum.
Vno perempto, reſpuit,
Mirum, ſecundas nuptias.
Volantium qui mentibus
Motus pudicos indidit,
Vult caſtitatem pectore
Lucere ſic mortalium.

Nempe

Nempe vt maritus coniugem
    Coniunx maritum diligat,
    Et ducat vnus vnicam,
    Et vna nubat vnico.
Vt ſalua ſit fides viri,
    Fidesq́; ſalua coniugis,
    Nec ſoluat hanc vllum malum,
    Mortis nec ipſa diritas.
Hæc clare vir, perfectior
    In te pudico eſt turture.
    Hæc è politis moribus
    Nunc ſole ſplendet clarior.
Gertrudis hac domus tuæ
    Stabilis columna nititur,
    Quæ fulgidis præſtantior
    Orientis vnionibus.
Rerum ſupremus conditor
    Mens caſta caſtam diligit
    Mentem mariti & coniugis,
    Sanctisq́; honorat præmijs.

COLVMBA.

Tædæ pudicæ qui ſacra
    Volunt inire fœdera,
    Illis columbæ ſimplices,
    Exempla dant concordiæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

His vna mens, & nidulus
Eſt vnus, ex quo ſæpius
Fœcundæ, in anni tempore
Concepta reddunt pignora.
Auctor Deus concordiæ
Tantæ volucrum, ſic quoque
Conſentientes præcipit
Tædas iugales viuere.
Vt ſcilicet ſi congruant
Mentes ſacratæ coniugum,
Et charitas ſit mutua,
Quæ nexa munit vincula.
Veſtris vt hæc in ædibus,
Cunctis & actionibus,
Per veſtra vitæ tempora
Florendo creſcat indies,
Tibi tuæq; compari
Vetuſta ab vrbe Miſnica
Hæc ſacra vota mittimus,
Ad Cherſoneſum Cimbricam.
Fructus ſequetur deniq;,
Cum paruus ante filius
Vultus parentum luſerit,
Et oſcula illis iunxerit.
Connubium quæ muniunt
Sunt, caſtitas, concordia,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

His abſq; non felix torus,
Toriq; verum gaudium.

Chriſtianus Calenius.

CVius Hyperboreis iam fama attollitur oris,
Fama per emenſas nuper oborta plagas.
Cuius & eximium fecerunt carmina nomen,
Carmina per varias ducta reducta vias.
Eius vt ad noſtros peruenit epiſtola vultus,
Lectaq; vix oculo tranſiliente fuit:
Mox ſenſi elicitum caſti Nathanis amorem,
Pectore Gertrudis Prengeriana tuo.
Protinus vt ſenſi, cordis mea vota profeßus,
Trinus in hoc dixi regnet amore Deus.
Regnet & auſpicijs thalami primordia lætis
Inchoet, & fauſtum terminet auctor opus.
Vinciat vnanimi concordes fœdere mentes,
Mutuus vt nunquam diminuatur amor.
Addat coniugij numeroſam præmia prolem,
Quæ vocet hinc matrem, quæ vocet inde patrem.
Cætera ſubijciat cœleſtis munera vitæ
Quæ vitam vera cum pietate beant.
Reſtat vt hoc votum quo non mihi ſanctius vllum
Excidit, in ſeros experiare dies.
Nam quod honoratos quoq; me cupis inter amicos
Coniugij ſacris participare tui.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Plena quidem veteris video argumenta fauoris,
Vir mihi Theſca ſemper amate fide.
Sed tamen optati precibus parere ſodalis
Ægra puerperij coniugis hora vetat.
A qua quòd deceat iam non procul ire maritum,
Conditio ſatis hoc propria ſponſe docet.
Ergo quod in proprio non fert affectus amore,
Id minus hic fieri lenius oro feras.

Petrus Memmius Medicus.

TE lætum faciat coniunx Chytræe maritum,
Et multos habeant gaudia veſtra dies.
Legibus vxorem naturæ ducis honeſtam,
Et tibi quod Veneris ſit medicamen habes.
Eſt formoſa tibi coniunx, haud parua voluptas,
Et multas coniunx optima vincit opes.
Sed tamen haud carnis rapiant vos gaudia ſolum,
Plura etenim coniunx quæ meditetur habet.
Coniugij celebres mî Nathan aſpice fructus,
Hoc decet officium ſponſe nouelle tuum.
Nam ſine coniugio qui ſe bene nouerit ipſum,
Naturamq́; ſuam, nullus in orbe fuit.
Hic tibi principiumq́; tui, tibi panditur ortus,
Stemmata ſint generis qualiacunq; tui.
Cernitur hic tenui quam ſimus origine creti,
Maßaq́; quam tenui fonte ſuperba fluat.

Inſuper exacuunt puerilis tempora vitæ
Notitiam patribus principiumq́; ſui.
Nam bene ſi videas puerum puerilibus annis,
Imbellesq́; manus, indocilesq́; pedes,
Ingenium rude, vagitus, lacrymasq́; perennes,
Labraq́; clauſa diu, molliculumq́; caput.
Tunc animus gradibus magnus mox decidit altis,
Ac ſublata nimis turgida criſta cadit.
Præſcribunt teneri nobis exempla puelli,
Quam fuerit varijs vita repleta malis.
Quorum nos memores animum mutamus inertem,
Et colimus verum cum pietate Deum.
Hoc ipſum quamuis alio quoq; patre creati
Nos doceant ortu principijsq́; ſuis:
Plus tamen hic nos noſtra mouent et ſanguine noſtro
Edita plus proprio pignora cara patri.
Adde quod hinc etiam certos Reſpublica fructus
Percipit, & multum commoditatis habet.
Coniuge nam quo quis fruitur tranquillius apta,
Hoc magis hic alijs præficiendus erit.
Obtinet imperium certè regnumq́; maritus,
Id regat vt felix, hoc erit artis opus.
Si coniunx noſtris contingat moribus æqua,
Vt maneat talis hoc opus hic labor eſt.
Imperij multos vexat regniq́; libido,
Et prior in regno quilibet eſſe cupit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hic ſibi ne noceat regnumq́; inuertere tentet
 Imprudens, paruo tempore regna cadunt.
Vt teneat regni tranquillus ſceptra maritus,
 Eſt opus ingenio iudicioq́; graui.
Tantæ molis erit gratum ſeruare decorem
 Coniugis, vt maneat quæ fuit illa prius.
Horrida tempeſtas ſequitur, ſi ſit mala coniunx,
 Et cedit raro moribus ipſa ſuis.
Eſt ideo incultæ lex præſcribenda puellæ:
 Sunt retinenda diu candida iura viri.
Hinc pueris æquam debemus condere legem,
 Perpetuo vitæ quæ ſit imago piæ.
Hos ſeruare decet, quicquid monuere parentes,
 Legibus vt maneat conſona vita pijs.
Egregioſq́; habeat quondam Reſpublica ciues,
 Et proceres habeant templa, ſcholæq́; ſuos.
Coniugij hos obiter placuit deſcribere fructus,
 Ne lateant tanti commoda tanta boni.
Quos faciunt regni priuata exempla peritos,
 Ex his dependet publica ſæpe ſalus.
Collocet hos igitur numero Reſpublica primo,
 Præq́; alijs grauibus rebus adeſſe ſinat.
" Qui ſua non curat, qui regna domeſtica neſcit,
" A patriæ ſceptris abſtrahat ille manus.
His tua te coniunx reddit Chytræe beatum,
 Cui nihil his opus eſt, nec monitoris eget.

Ipſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ipſa tibi multas poterit præſcindere curas,
  Quas vitæ leges ipſa ſequatur habet.
Vtere nec muta, dos eſt pulcherrima virtus,
  Sit tibi Gertrudis vita decuſq; tuum.
Tempore vos longo Chriſti clementia ſeruet,
  Concordes vna mente, animáq; duos.

NICOLAVS GONIAEVS.

HActenus es vigili libros complexus amore,
  Sed fuit in libris nulla puella tuis.
Et dum perpetuo tibi quæ ſit commoda quæris,
  Mens tua ſolliciti plena timoris erat.
Cernere vix ſociam poteras è millibus vnam,
  Magno in virgineo, fœmineoq; choro.
Nunc tibi purpureo lux aurea ſplendet Eoo,
  Qua venit ante oculos caſta puella tuos.
Protinus hac viſa, reliquæ ſecedite dixti,
  Nil mihi vobiſcum eſt, iſta puella placet.
Cedite iam mites Gallæ, tumidæq; Britannæ,
  Gertrudem vobis omnibus antefero.
Cedite Senenſes pulchræ, Venetæq; ſuperbæ,
  Vnica Gertrudis baſia pura dabit,
Cœlitus illa placet, cœlo mihi iungitur illa,
  Et fore ſe dixit tempus in omne meam.
Et ſoror & fratres mihi conſenſere, nec vſquam
  A votis abijt cætera turba meis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Gratulor ergo tibi fortunam ſponſe benignam,
Quæ tribuit votis vela ſecunda tuis.
Viue diu noſtræ Nathan honor vrbis, & huius
Gymnaſij celebris gloria, fama, decus.
Dij tibi dent placidos annos, lætamq; ſenectam,
Filioloſq; pios, & ſine lite torum.

Michaël Haslobius.

NOuum ſonabo carmen,
Toriq; iura dicam
Nouo, Thalia, ſponſo,
Venuſtulæq; Nymphæ.
Faue benigna cœpto
Laboribuſq; caſtis.
Tepente vere nato
Feram roſas capillis.
Beate ſponſe vates
Chytræe, cui dicauit
Potens Dei voluntas
Amabilem puellam.
Charis triplex Amorum
Lepôre ſingulari
Colorat & venuſtat
Tuæ genas puellæ.
Et auget elegantis
Amor bonis iuuentæ
Nitens honore corpus.

Pudore

Pudore frons relucet,
Fideq; mens niteſcit.
Latus decens honeſtas
Grauisq; cura cingit.
Quater beata rurſus
Quaterque ſponſa felix
Puella danda vati
Apollinis, merenti
Tegi virente lauro:
Quod in ſuis libellis
Apollinis nitorem
Et omne reddit aptum,
In exteris Lycæis
Secutus expeditos
Modos, & expolitos.
Venuſta ſcripta teſtes
Quibus viæ labores
Canit, vel optimates.
Vtrinque vos beati
Amore coniugali
Deo fauente iuncti.
In vrbe vos roſarum
Roſas legatis oro.
Roſæ ſub ore vernent,
Roſæq; corde ſurgant,
Roſisq; vita ſpiret.

Nihil pijs moleſtum
Sit hinc & inde votis.
Quod in virentis horti
Agellullis amœnis
Amaracos odoras
Videmus eſſe, verno
Die ſouente terras:
Id eſt honeſta virgo,
Tuis cupita votis,
Tuoq́; iuncta lecto,
Magis tuis ocellis
Amata, plusq́; cunctis
Sub vrbe quas roſarum
Seuera cura nutrit.
Chytræe docte vates,
Quod in ſolo feraci
Roſas marisúe rorem
Videmus inter herbas
Odoribus refertas,
Aquæ liquore tinctas,
Et adſtrepentis auræ
Sono leui refotas:
Id ore mente præſtas
Lyræ ſonantis autor,
Thalia cui miniſtrat
Modos amore plenos:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Adhæret his honeſtas,
Refertq; vita Muſam,
Refertq; Muſa vitam.
Beate ſponſe multum,
Beata ſponſa multum,
Honeſta nupta votis
Amaracos vt æquas
Odoribus, vel illas
Honore vincis ore:
Marisq; ſponſe rorem
Vt exhibes in omni
Tuæ fluore vitæ,
Per omne tempus illi
Fluant vtrinq; ſucci.
Viden' ſub irrigatis
Aqua recente campis
Virere delicatas
Soli nitentis herbas,
Tenellulosq; flores?
Viden' quod vna felix
Feraci vite ſurgit,
Decusq; ſoluit agro,
Ocellulosq; paſcit
Colore, fronde, fructu?
Viden' Chytræe menſas
Oliua ſi recingat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Decus venire menſis:
Opemq́ue pectus haurit,
Et alta mens, & ipſis
Leuamen eſt ocellis:
Imago ſponſe talis
Tori, Dei timentis
Amore colligati
Pari, pariq́ue voto.
Vterque vos beati
Dei fauore ſitis,
Et affluat per annos
Quies ſalusq́; vobis.
Pius Dei iuuamen
Per omne ſentit æuum.
Sat eſt Thalia dictum,
Nimisq́ue, ſed placebit
Fide bona profectum.
Abire nunc licebit.
Gelu cadente terris
Roſas geres capillis,
Amaracumq́ue mollem
Marisq́; ſæpe rorem.
Caret Poëta nummis,
Habet Poëta vinum,
Habet Poëta verſus,
Habet Poëta flores

Et myrteas corollas,
Et ocium, ſed aſtat
Grauis dolor canenti,
Lyra ſonante fractus.

Bernardus Oreſtes.

DVxit ut Hippodamen audaci Ixione natus,
Æmonijq́; toris diſcubuere viri:
Gaudia Pirithoi Theſeus communia duxit,
Et lætus miris geſtijt ipſe modis.
Concipiensq́; ſuo pleniſsima pectore vota,
Lætitiæ ſocijs præuia ſigna dedit.
Haud aliter vatum præſtans decus, optime Nathan
Nomine tum fratris, tum quoq; clare tuo:
Exultans hæſi, noſtras vbi venit ad aures
Sedula coniugij nuncia fama tui.
Lætitiæ fuit at cauſa iſta potiſsima noſtræ,
Gaudiaq́; iccirco conduplicata tuli:
Illa puellarum quod nunc tibi iungitur vxor,
Quæ viſa eſt oculis eſſe venuſta meis.
Quando ſacros Sophiæ titulos ad flumina Varni
Accipiens, duxi te præeunte choros.
Et cur non eſſet pulcherrima dicta? meoq́;
Iudicio pomum tollere digna foret?
Stellarum decus eſt vt Lucifer aureus: illa
Sic eſt virginei fulgida gemma chori.

Non hanc Andromede ſuperat, non candida Thiſbe,
Huic habuit formam non Atalanta parem.
Quid, quod habet formæ non diſpar nobile nomen,
Cætera qui obſeruas hoc quoq; ſponſe vide.
Terrent nominibus multæ, velut Vrſula, Bertha,
Brigida, Reginæ, Barbara, Murgarides.
At tua quod forma quod fronte quod indole nomen
Exprimit, id fati proſperitate gerit.
Gratia Gardrudi blandum dat Romula nomen,
Nomen idem fecit nympha pelaſga Charis.
Et dubitas vultus nitor unde ſit ille decentis,
Et blandus neſcis vnde ſit ille lepor?
Cum Charitum fuerit viuis nutrita ſub antris,
Ingenium formæ iungere iuſſa ſuæ.
Imbibit hic tenerum ſolidæ virtutis amorem,
Hic mores hauſit ſedula virgo bonos.
Arte domus qua ſit dulci cum prole regenda,
Sint ibi ut obſequijs dedita quæq; ſuis,
Et ſit tractandus quanam ratione maritus,
Rideat iratus, gaudeat vtq; dolens.
Hoc Charitum ludo didicit, nutricibus illis,
Blanditiæ callet quodlibet illa genus.
Non criſpantis ab hac metues faſtidia naſi,
Non reſponſa procax ſponſe proterua dabit.
Frigida feruebunt citius, dulceſcet amarum,
Ante canes leporis præda timentis erunt:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Iurgia quàm nectat, quam rixis gaudia turbet,
Murmure quam verbis obſtrepat auſa viri.
Nam quæ diſcipulæ finxerunt pectora diuæ
Non natura ſui degener iſta feret:
Æmula ridentes referet ſed alumna magiſtras,
Et documenta ſatæ quæ ſit origo dabit.
Huc progreſſus eram vix cura nominis, ecce
Alma Fides oculos aſtitit ante meos.
Atq; ait: ô vati iuuenis gratiſſime ſponſo,
Quod das augurium nominis ipſa probo.
Inuida nec diuis, poſſem licet, eius honori
Detraho, ſit Charitum nomine dicta, ſino.
Sed quia Romanis Græcisq; hanc diſsita terris
Teutonici genuit Balthica ripa ſoli:
Hic aliquid merito iuris mihi vendico, partem
Iure hic cœlipotens aſſero diua meam.
Hic tibi Gardrudam penitus ſi dixero fidam,
Ingratus ſponſo hoc nomine credis ero?
Magna fuit vatum Druidarum gloria quondam,
Quos legum Gallis vincla dediſſe ferunt.
Horum te nolim de poſteritate negare
Gardrudam clari ſtemmatis eſſe ſatam.
Stirpis at illius pauciſſima nomina reſtant,
Vt ſum multorum crimine rara fides.
Eſt, mihi crede, parum præclaræ gratia formæ,
Ni laus accedat fida pudiciciæ,

Seduxit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Seduxit multas niuei decor aureus oris,
Formaq́; peccandi maxima cauſa fuit.
Sancta fides thalami quæ cingit fulcra iugalis,
Forma eſt coniugij præcipuumq́; decus.
Ergo ſuæ formæ qui ſponſæ gaudet honeſta,
Gaudeat eiusdem non minus ille fide.
Nulla ſuo alterius metuet veſtigia lecto,
Qui cum Gartrudis fida ſodalis erit.
Non ſi callidius, Cephalus quam Procrida, tent
Expugnata ſuam deſeret ære fidem.
Fidet ei dempta cor ſollicitudine ſponſi,
Siue domi maneat, ſeu foris hoſpes agat.
Dixerat iſta fides: reſpeximus; aurea riſit
Dixit & Aſsyrio diua Milytta ſono.
Edita ſi Charitum de nomine ſponſa negatur,
Non dictam fidei cur ego voce negem.
Pygmalion quondam quod virginis inſtar amaret
Sculpſit ebur, vitam cui miſerata dedi.
Et lingua nomen Phœnicum nexile feci
Gardrudis, quod nunc hæc quoq; ſponſa geri
Cuius ſignificat vox altera ſculpere, gemmam
Altera: ſculptura vt gemmea iuncta ſonet.
Sic Venus: At Charitum Fidei ſeu nomine ſponſa
Dicta ſit, aut Veneris, ſponſe beatus age.
Cumq́; tua multos traduc feliciter annos,
Perpetuo & noſtri viue valeq́; memor.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

IOHANNES FREDERVS.

ET labor & virtus, & cultæ gloria linguæ,
Et vigor ingenij dant tibi ſponſe decus.
Fronte tibi decor, ore fides, in pectore candor,
In vita morum gratia ſuauis ineſt.
Ergo mei, placet illa Deo conſtantia, cordis
Altera pars, donec vita manebit, eris.
Quod dotata venit tibi pulchris moribus vxor,
Gaudeo, cuncta tuis fauſta precorq́; toris.
Nomen & omen habes fauſtum, tua ſponſa viciſsim,
Gertrudis fauſtum nomen & omen habet.
Te dat ei Deus, illa Deo tibi dante ſit vxor,
Vxor fida tibi, grata futura tibi.
Sicut amat ficus rutam, ceu vitis adhæret
Vlmo, ceu muris bacchica gaudet helix:
Sic tibi iuncta, tui flagret Gertrudis amore,
Sit mens vna, fides vna, ſit vnus amor.
Auctrix paruarum ſtabilis concordia rerum
Ambiat, & veſtram ditet amica domum.
Cornicum ſuperate dies, annosq́; Sibyllæ,
Sit ſine clade domus, non ſine prole torus.
Viuite ſic terris, vt poſt viuatis olympo,
Nullo vbi lætitiæ tempore finis erit.

Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Chriſtophorus Hortenſius. Lubecenſis.

COmis, blanda, decens, & moribus apta mariti
Fæmina cordato eſt vita vigorq́; viro.
Argento præſtans, fuluo precioſior auro,
Quod vehit aut Ganges, aut celer amne Tagus.
Nil ſortuna iuuat, Venus hinc procul improba ce-
Munere cœleſti ſi venit illa venit. (dat
Talem ſponſe tibi ſincero gratulor ore,
Et tibi cum ſponſa fata benigna precor.
Omnibus eſt idem votum, gratantur & omnes,
Quotquot amant caſtas, hoc Helicone Deas.
Frater in his primus, noſtri lux ſumma Lycæi,
Exoptat tædis omnia fauſta tuis.
Quem pia cauſa mouet procul hic diſcedere terris
Nunc vbi brumali frigore cuncta rigent.
Proſper eat, vitæ diſcrimine tutus ab omni,
Auxilio fultus præſidioq́; Dei.
Cuius agit cauſam, Deus huic penetralia cordis,
Atq; dicata ſibi plectra diſerta regat.
Viue vale felix, decus inuiolabile noſtræ,
Viue vale felix, gentis & vrbis honor.
Hoc frater Matthæus idem tibi ſponſe precatur,
Abſens in patria ſic licet ille tua.
Hic ſeu nunc licito Veneris ſuccumbit amori,
Vt reor, aut tutum vulnere pectus habet.

Viuat in æternos, noſtri non immemor annos,
Chriſtophoriq́; ſui ſit ſine fine memor.
Quem Tubingiaca quondum dilexit in vrbe,
Neccarus Aonias hic vbi ſpirat aquas.
Suauiter interea Gerdrudis amore quieſce,
Inq́; tuo rurſus molliter illa ſinu.
Vos liget vnanimis ſincero gratia ceſto,
Vt ſine labe domus ſit ſine lite torus.
Veſter & æternos thalamus ſic floreat annos,
Culta velut veris tempore floret humus.

Franciſcus Dumſtorphius.

Et tua laudanda eſt merito Chytræe voluntas,
Qui cupis in caſto viuere coniugio.
Hac ratione probans, te ſummi iuſſa parentis
Incœptis normam ponere velle tuis.
Proſpera eant quæcunq́; facis, tuaq́; omnia caſtus
Fortunet ſolita pro bonitate Deus.
Inſtar erit vitis tua coniunx, inſtar oliuæ
Ad menſam cernes pignora multa tuam.
Inde grauis ſenio poteris numerare nepotes,
Et tibi nullarum copia deêrit opum,
Ne dubites ſuperum nunquam te gratia linquet,
Quem teget hæc, omni tempore tutus erit.
Nam quid virtutum recitem decora alta tuarum,
Quæq́; bona in claro pectore multa nitent?

Doctus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Doctus es, ingenij bonitate & acumine præſtas,
Sermonisq́; fluunt verba diſerta tui.
Quid quod & Italiæ vidiſti prouidus vrbes,
Anglia quidquid habet, Gallia quidquid habet.
Eſt aliquid magni patriam vidiße Maronis,
Et quo iam ſita ſit maxima Roma loco.
Eſt doctos audiße viros non parua voluptas,
Quorum eſt in dictis copia magna locis.
Rectius hic poterit veteres euoluere libros,
Qui dominam ſcribunt geſta per Italiam.
Rectius hic animo varias percurrere gentes,
Et poterit fama non pereunte frui.
Adde quod & frater toto celeberrimus orbe,
Innumera rerum cognitione valet,
Abſq; ſupercilio præſtans: quæ tempore noſtro
Pluribus ô vtinam laus tribuenda foret.
Veſtra domus merito tali ſe iactat alumno,
Non minimum ex illo patria laudis habet.

Verba cantilenæ Eucharij Hofmanni Muſici.

Argentum à patrib. fuluumq́; relinquitur aurum,
Sed datur à ſolo commoda ſponſa Deo.
Sic Chytræe tibi Gertrudis amabilis vxor
Iungitur, & ſtabilem ſpondet amata fidem.
Viuite felices, vna duo corpora mente,
Veſtra liget ſacro flamine corda Deus.

Verba cantilenæ Henrici Rolichij.

En Chytreæ tibi tua lux & ſola voluptas
Aurea Gertrudis conſocianda venit.
Quæ tecum multos feliciter exigat annos,
Intima pars animæ vita calorq́; tuæ.
Nulla dies unquam veſtros perturbet amores,
Exſuperet ſeros viuidus ille rogos.

Alterius cantilenæ verba, de nuptijs Charidori & Pancharitones, quibus ſponſi de Ebræa, & ſponſæ de Germanica origine, nomina, feliciter exprimuntur.

FLos Charitum Charidorus amans, ait: ô Charitum flos
Sic ſtatuunt Charites, Pancharitona mea es.
Contra, ô flos Charitum, Charitum flos Pancharitone,
Sic ſtatuunt Charites, es Charidore meus.
Nunc Charidore igitur dilectam Pancharitonen,
Et Charidorum habeas Pancharitona tuum.
Et vultu, ſermone, oculis, animoq́; ſereno,
Progenerate nouas perpetuo Charitas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Lectori.

Deſine mirari lætis quod triſtia iungam,
Hoc tua perpetuo vita tenore fluit.

NATHANIS CHYTRÆI TRISTIVM LIBER PRIMVS.

AD DN. VDALRICVM ET DN. ELISABETHAM PRINcip. Megap. &c. Coniuges illuſtriſsimos.

ΠΑΡΑΜΥΘΗΤΙΚΟΝ.

PEctora quid gemitu excrucias clariſsime princeps?
Quod tibi fraterna ſemper ama-
mata fide
Doreothea iacet? quid fletu rum-
pis ocellos
Germanæ ad tumulos Eliſabetha tuæ?
Occidit illa quidem frigus lethale videnti
Corporis, & gelidæ pallida labra genæ:
Verum animus ſuperum felici ſede receptus,
Ærumnis, lacrymis, funere liber agit.
Cum Chriſtoq; ſuo (quem viua ardenter ama-
Intrepida tenuit quem moritura fide, (uit,
Per quem nec rabiem mortis nec tartara ſenſit)
Suauiter æternæ dona quietis habet.
" Quiſnam igitur lacrymis locus eſt? quæ cauſa do-
" Omnia lætitiæ ſunt vbi plena nouæ. (lorum?

ILLV

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

ILLVSTRISS. DOROTHEÆ
Danorum regis FRIDERICI I
Filiæ, Chriſtophori Ducis Megap. coniugis.

Christophori coniunx, Friderici filia primi,
Holſatiæq; ducum laude vehenda ſoror,
Quin ſoror Eliſabethæ etiam, qua Cimbrias ora
Et vix maius habent Balthica regna decus,
Doreothêa caui iacet hic ſub marmore ſaxi,
Dulce Dei munus quæ modò viua fuit.
Ingenio & veræ excellens pietatis amore,
Sancta oculis, lingua, pectore, corde, manu.
Ore decens, ſermone grauis, non dura clienti,
Veſtitu & victu ſobria, blanda viro.
Dulce ſed hoc munus, qui contulit, abſtulit idem,
Cuius in æterna ſunt ſita cuncta manu.
Pareat huic coniunx, fratres, ſoror aurea: quando
Non periiſſe illam ſed præiſſe liquet.
Non moritur, bene tranſactæ poſt tempora vitæ „
Qui moritur, neſcit vita beata mori. „

Aliud eiuſdem.

Cimbrorum regis Friderici filia primi
Doreothêa iſto fornice tecta cubat.
Quæ ſoror, & neptis, glos, vxor, fratria regum,
Non tamen inflato turgida corde fuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Fatalis eidem dies.

CAllioream arcem quando noua nupta ſubiuit
Doreothêa ſuo conſociata Duci,
Martino ſacrata dies illuxerat orbi,
Plenaq́; erant riſus omnia, plena ioci:
En vix Phillyridæ bis ſpicula Phœbus aduſsit,
Fecit & autumnos Pleïas orta duos,
Lux eadem cum vix nuptæ funeſta, repleuit
Omnia lamentis, omnia lacrymulis.
Terreniſq́; illam ſublatam ex arcibus, aſtris
Intulit, & cœli regna tenere dedit.
„ Diſce hinc mundanis quæ ſit conſtantia rebus,
„ Si ſapis, & ſuperæ gaudia quære domus.

D. ALBERTO DVCI MEGA-POLITANO. Illuſtriſs.

HEnrico generatus auo Magnoq́; parente
Hoc dux Albertus conditur in tumulo.
Magnificus, magniq́; animi, patriamq́; iuuando,
Ornandoq́; ſimul iuſtitiaq́; potens.
Quin etiam multa natorum prole beatus,
Quos colit eximios Herula terra Duces.
Fortunate ſenex, tua molliter oſsa quieſcant,
Vita etiam natis ſit diuturna tuis.

Georgio Duci Megap. fortiſs.

HIc Magno prognatus auo, Albertoq́; parente
Dux iacet, Herculeo robore, corde, manu.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Pro patria primo pugnare Georgius æuo
Suetus, & hoſtiles vi ſuperare minas.
Mars dolet, effundit lachrymarum flumina Mœnus,
Optantes tantum non cecidiſſe Ducem.

Henrico Pacifico Duci Megapolitano.

HEnrico prognatus auo Magnoq́; parente,
Hic ſitus Henricus condita membra tegit.
Qui bonitate ſua & meritis, linguaq́; ſenili
Neſtor erat, patriæ duxq́; paterq́; ſuæ:
Neſtore quin melior pietate & pacis amore,
Nunc ergo æternæ gaudia pacis habet.

Magno Henrici filio Duci Megapolitano erudititiſſ.

FIlius Henrici princeps re & nomine Magnus,
Flos patriæ ante patris funera mœſta cadit,
Par fatum Antilocho nactus, ſed clarior illo,
Et melior ſtudij nobilitate ſui.
Scilicet ingenio cunctos ſuperauit & arte
Quos habet eximios Teutonis ora Duces.
Illius ad tumulum Pitho, Aonidesq́;, Themisq́;,
Tam celebrem lugent non ſupereſſe Ducem.

Alberto, Iohannis Alberti filio Duci Megapolitano, puero generoſiſſ.

HIc ſitus Albertus, quo ſe iactabat alumno
Herula gens, hic ille patri matriq́; voluptas,

Spes patriæ, magni proles generoſa parentis.
Felicis nimium, propria hæc ſi dona fuiſſent,
Quæ tantum Deus oſtendit, mox abſtulit orbi.
Heu miſerande puer, tu nunc eris alter ab illo,
Tu Marcellus eris, tumulo date lilia plenis
Pierides calathis, veſtri monimenta doloris.

Alberto Marchioni Brandeburgenſi, Duci Boruſsiæ primo.

HEroum decus, & ſpecimen virtutis auitæ,
Dux iacet hic belli gloria, pacis honos.
Marchiaca quem ſtirpe ſatum coluere Boruſſi,
Primus in hac princeps nam regione fuit.
Cui quinquaginta placidè & ſex præfuit annos,
Dux pius, & legum iuſtitiæq; parens.
Hic Academiam primo his fundauit in oris,
Qua non maius habet terra Boruſſa decus.
Hoc duce Caſtalios ſpirat mons Regis odores,
Spirat & Aonias Bregela cultus aquas.
Nunc dolet exanimem Pietas, Reſpublica plangit,
Amiſſumq; dolent templa ſcholæq; patrem.
Vna patrem patriæ lux vt dedit, abſtulit vna:
Vix illi ſimilem ſecula longa dabunt.

Ioanni Alberto Duci Megap. celeberrimo.

NVlli animis, nulli ingenio, nulli arte ſecundus,
Iuſtitia multis & pietate prior,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Mente grauis, vultu facilis, dextraq; benignus
Munifica, veri plenus amore Dei,
Muſarum columen, legum defenſor & æqui,
Et commune ſua pro bonitate bonum,
Hic ſitus eſt dux Ioannes Albertus, amauit
Quem veluti carum Vandala terra patrem.
Qui ludis templisq; fuit profugisq; patronus,
Viuere qui longo tempore dignus erat;
Multo alijs citius tumulis infertur auitis,
Nec potuit decimam claudere Olympiadem.
Diſce hinc quam rapido regum quoq; gloria curſu "
Effluat, & vitæ ſpem melioris habe. "

D. Emerano Ciringio.

INclyta Parthenope Megalepolis inclyta plange,
Occubuit veſtros ſummum decus inter alumnos.
Occubuit patris eximij clariſsima proles,
Ciringa de gente ſatus, flos aureus illi,
Flos nimium breuis & fluxus. quandoq; tenellum
Parthenope genuit: genitumq; aluere ſalubri
Ambroſiæ ſucco dulces ante omnia Muſæ.
Mox, quæ fida Iouæ ſummo comes aſsidet, illum
Iura Themis docuit, iuſtumq; oſtendit & æquum:
Innumeris quibus ille alijs, dum vita maneret,
Profuit: inprimis quas Balthica littora tundunt
Totas impleuit meritis ingentibus vrbes:
Eximijs carus ducibus, populoq; ſuisq;,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sincerusq́; iterum, caris & amicus amicis.
Huic tali licet & tanto, fera parcere Parca
Noluit in primo vernantis flore iuuentæ.
Pierides tamen æternum meminere iacentis:
Cumq́; illis Themis alma gemit: gemit optimus ip
Dux, patriæ columen: populus lacrymantia terg
Lumina: patroniq́; memor Chytræus amici,
Hoc quoq; cum lacrymis ſummi dat pignus amor

Eidem Ciringio.

IGnis vt accenſus flammis qui illuſtribus ardet
Eſt breuior, citiusq́; iacet: ſi fumus eundem
Materia ſudante premat: viuacior ille
Ingratùm micat è tenebris, alimenta peroſus
Parca nimis. ſic Ciringi clarißima virtus,
Illuſtre ingenium, & gnaræ ſapientia mentis,
Iudiciumq́; ſenis iuuenili in pectore ſaluum
Non potuit ſupereße diu: locus incremento
Nullus erat, virtutum apices & ſumma tenenti.
Non mirare igitur iuuenem periјße, per omnia
Eximium. quin præclaris virtutibus eius,
Non annis ſenium numera, canumq́; videbis
Neſtora, quem Antilochum conſpecta fronte putaru

Georgio Fabricio.

FAbricium quando magni domus ardua cœli
Abſtulit, & ſanctos inter diuosq́; locauit,
Terra decus periјße ſuum, laudemq́; perennem
Ing

Ingemuit, fecitq; adeo conuicia cœlo,
Obijciens illi inuidiam iniuſtasq; rapinas.
Cui contra Cœlum: & rectè tibi perfida tantum
Eripui virtute virum, quo indigna fuiſti.
Nec tuus ille fuit miſero dum vixit in orbe,
Sed meus. hinc illi æternam poſt fata coronam
Impoſui merito, quam ſpes illius & ardens
Cum pietate fides dudum expectare ſolebat.
Cur retinere velis, qui terræ filius eſſe
Non voluit, ſed cœleſti flagrauit amore?
Audijt hæc probra & rixas magni arbiter orbis,
Et medius placidè tantas componere lites
Talibus aggreditur. probris deſiſtite tandem,
Et cohibete animos. neuter priuabitur illo
Quem petitis. nam Fabricio tam nobile nomen,
Quod nec fata queunt, nec mors abolere, nec vrna
Conceſſi: libroſq; eius nulla eximet æuo
Annorum ſeries, non inuidioſa vetuſtas.
Præterea mens cœleſtes in pace triumphos
Exiget, & mundi curas contemnet inanes.
Aſſenſere Deo cœlum & lætiſſima tellus.
Sic igitur laus Fabricij, ſic gloria viuet
Perpetuo in terris: in cœli ſpiritus arce
Exiget æternos vitæ immortalis honores.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

D. Otthoni Comiti Schoumburgio. Bellatori heroico.

HIC utrinq; ſuæ conſortis imagine cinctus
Stat Comes illuſtris Iodoci filius Ottho,
Ottho Comes, Schoumburgiacæ primaria gentis
Gloria, conſilio præſtans dextraq; fidelis
Enſifera, Turcisq; olim Gallisq; tremenda,
Cæſaribus dum pro patrijs & rege Philippo
Bella gerit victor. ſed quem nec tela, nec hoſtes
Deuicêre, ardens mox puſtula vicit, amanti
Et patriæ eripuit. flet Mars, fleuere Camœnæ,
Ipſe agit æternos cœleſti in pace triumphos.

Dn. Mariæ Pomeranæ, D. Otthonis Comitis Schoumburgij vxori primæ.

HÆc Maria eſt Pomeranorum ſata principe ſe
Barnimo, quam conſpicuus florentibus annis
Ottho comes ſibi conſortem delegit, amore
Caſto ardens, cui fuluo auro magis aurea virtus
Corpore in eximio regnans, animusq; pudicus,
Admorant faculas. quater illam maſculus hæres
Effecit matrem, quorum Ottho hac conditur vrna
Tres etiam nunc conſilio & virtute ſuperſunt
In patria & foris illuſtres, & honoribus aucti,
E cœlo genitrix quibus omnia fauſta precatur.

In

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In ſtatuam Eliſabetæ Vrſulæ Lunæburgiacæ D. Otthonis Comitis Schoumburgij relictæ viduæ.

Pulcra quidem hæc ſtatua, & matronæ illuſtris imago eſt,
Pulcra oculos, formoſa genas, digitosq́; tenellos.
Sed quæ viua memor mortis ſibi talia condi
Vrſula mandauit, longè eſt formoſior illis.
Omnia ſunt muta hic, motuq́; & ſenſibus orba;
Illi autem pulcro mens eſt in corpore longe
Pulcrior, eſt ſermo mentis pulcherrimus index,
Eſt pietas grege caſtarum comitata ſororum.
Ergo illam viuam potius quam flebile marmor
Vt liceat ſpectare, omnes vno ore precemur.

Hermanno Vechtoldo conſuli Lubecenſi.

Vechtoldus qui corde Themin Charin ore ferebat,
Cæſarei quondam pars celebrata fori.
Maximus ingenio, dicendi maximus arte,
Vir tutela vrbis confugiumq́; ſuæ,
Hic iacet ante diem lugubri morte peremptus,
Conſulibus toties orba Lubeca dole.
Non illo melior, non excellentior alter,
Non bonitate prior non pietate fuit.
Tempore nam pacis, Suetici nam tempore belli,
Suſtinuit fidi grande laboris onus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vt ſibi commiſsam regeret feliciter vrbem,
Eſset & optato clara Lubeca loco.
Quæ nunc, & meritò, exanimem triſtiſsima plangit
In patriam lacrymis officioſa ſuam,
„ Nam ſi quando Deus pœnas meditatur acerbas
„ Vrbibus, egregios eximit inde viros:
„ Imprimisq́; ſenes, mente, vſu, ætate peritos,
„ Conſilio placidos, iudicioq́; graues,
„ Illis ſi iuuenum ſuccedat feruida proles,
„ Spe, liuore, odijs, ambitione tumens:
„ In peius tum cuncta ruunt, retroq́; feruntur,
„ Quisquis es hinc peſtem diſce cauere tuam.

Iacobo Potcamero.

GRyphiaci præſes montis, pia regula morum,
Et Pomeranorum dextra oculusq́; ducum,
Iacobus iacet hic priſcæ virtutis amator,
Potcameræ ſummus nobilitatis honos.
Ad tumulum luget pietas, prudentia, candor,
Relligio, bonitas, patria, cana fides.
Effundunt Muſæ lacrymas, tantumq́; patronum,
Cultoremq́; ſibi non ſupereſſe gemunt.

Dauidi Fredero.

VIta quid? exilium, citius vel tardius omnes
In quo iactati tecta paterna petunt.
O infelices! qui multum ambagibus vſi,
Per breuia & ſyrtes hanc iniere viam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Felices autem compendia nota ſecutos,
  Quos vitæ in primo limine meta manet.
Hic tuus eſt etiam ſuperis hoc nomine Dauid
  Carior, abſentis nomen adeptus aui.
Qui vix hoc iter ingreßus, iam vela reduxit,
  Et portum lacrymis liber ouansq; tenet.
Gaude igitur, curisq; modum cum coniuge pone,
  Nil melius natum quam bene poße mori. 66

Ad Io. Fichardum I C. C L. de morte filij.

SVmme vir, & legum antiſtes, carißime Muſis,
  O decus & Mœni fama Ficharde tui.
Forſitan, vnde tuas veniant, miraris, ad ædes
  Ignota penitus carmina ſcripta manu:
Mirari tamen incipies deſiſtere, quando
  Officij fuerit cognita cauſa mei.
Scilicet arrepta cithara lugubribus odis
  Cum canerem affinis lubrica fata mei:
Cui iuueni Themidis felicia caſtra ſequenti,
  Pro lauro dederat buſta ſuprema Padus:
Traditur Albini quoq; littera conſcia luctus
  Orti ex Chriſtophori morte, Ficharde, tui.
Quid facerem? vnius qui iam modo morte dolebam,
  Mox ſenſi gemino corda dolore premi.
Quem ſimul & gemino teſtari carmine viſum eſt,
  Hoc foret vt nati notior vrna tui.

Sic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic tua me virtus, ſic ſcriptis nobile nomen
Impulit, & generis ſplendor honosq́; tui.
Ignoſces igitur temeraria forte camœna
Si mea conſpecto carmine, viſa fuit.
Si pecco; peccauit amor, reuerentia, candor,
Et te quæ nunquam fama latere ſinit.
Sed ſpondet meliora mihi tua prona voluntas
In ſtudia & Muſas, magne Fícharde, meas:
Quas placuiße tibi cur non mihi gratuler? vnus
Inſtar cunctorum nam potes eße. Vale.

Chriſtophoro Fichardo I. F.

CLaro patre ſatus, clarißimus indole clara,
Et clarum à Chriſti nomine nomen haben[s]
Extinctus viridi iacet hic ætate Fìchardus,
Medoacus Clarias hic vbi ſpirat aquas.
Ille equidem patris veſtigia nota ſecutus,
Ad iuga virtutis nobile cepit iter.
Iamq́; Aſtræa illi ſacri de vertice Pindi
Monſtrabat nitidis ſerta ferenda comis.
Non tulit hoc Lacheſis præſtantibus inuida cœptis
Qua duce Chriſtophori ſtamina rupta cadunt.
Sic flos ille iacet crudeli falce reciſus,
Obrutus & glebis Itala terra tuis.
Parce hoſtes tam fœcundas effringere glebas,
Scilicet hæ vitæ nobile ſemen habent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quod quondam æterno reuireſcens flore nitebit,
Non metuens falces mors violenta tuas.
Spiritus interea, tumulari neſcius vrna,
Incolit ætherei læta theatra chori.
Expectatq́; ſibi iungendi corporis artus,
Cum tuba viuificos edet acuta ſonos.
Pone modum lacrymis pater optime, ponite fratres,
Chriſtophorus cœlum funere nactus habet.
Quin meliora tenens & nobiliora relictis,
Æternis fruitur mens opulenta bonis.

Philippo à Gemmingen.

Corporis excellens & mentis dotibus heros,
Et Gemmingiacæ gloria prima domus,
Magnanimus, ſapiens, facundo commodus ore,
Aonidum excellens munere, diues opum,
Hic iacet ad Nicrum celeberrimus ille Philippus,
Nobilibus carus principibusq́; viris.
Quippe Bipontinæ præfectus ſtrenuus arcis,
Vuolfgangoq́; fuit proximus ille Duci.
Qui moriens curam natorum credidit iſti
Ceu noto ante alios integritate viro.
Fecit idem princeps Charitini heroicus agri,
Cum peteret ſuperas ſpe præeunte domos.
Sed nec amiciciæ, nec opes, nec nomen auorum “
Mortiferas poßunt hîc inhibere manus, “

Felix

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

„ *Felix qui vera diues pietate fideq́;*
„ *Hæredi æternas morte relinquit opes.*

Eraſ. Steinuico architecto & ſtatuario peritiſſ.

SObrius, aßiduus, verax, induſtrius, æquus,
Cultor honeſtatis, relligionis amans,
Editus ad Rheni ripam officioſus Eraſmus
Hic procul à patria gente domoq́; cubo.
Ingenium puero felix mihi contigit; artem
Diſcere Vitruuij cui labor omnis erat.
Hinc vſum perpendiculi normæ atq; dioptræ
Vix quiſquam, melius qui modo noßet, erat.
His ars Lyſippi acceßit clariq; Myronis;
Marmora nam variè ſingere doctus eram.
Quorum vtrumq; docent & ſigna & ſplendida te-
(cta
Artifici à nobis ſæpe polita manu.
Sed Deus extremi non temporis inſcius æui,
Me forſan plures ædificare domos
Non voluit. ſubitæq; ideo me mole ruinæ
Suſtulit in cœli læta theatra ſui.
„ *Quisquis es, ingentes qui tollis in aëra moles,*
„ *Quid ſit homo interitu credere diſce meo.*

Franciſco Vuitzendorfio.

EGregius Lunæ conſul, patre conſule natus,
Hic ſua Franciſcus condita membra teg-

Cui puero placidis arriſit Pallas ocellis,
  Quem Muſæ ætherijs excoluere bonis.
Qui iuuenis Gallos adijt, linguæq́; magiſtram
  Vberis, atq; animi diuitis Italiam.
Hinc rediens, fido rexit moderamine ciues,
  Præſes & in magna maximus vrbe fuit.
Illius ora fides, placidam facundia linguam,
  Incoluit pietas pectora, corda Themis.
Sic patrias cumulans meritis ingentibus oras,
  Creditus eſt vrbis prima columna ſuæ.
Nunc eius concuſſa gemit Reſpublica lapſu,
  Irrigat & madidas quilibet ordo genas.
Ipſa gemit virtus Muſis comitata, ſibiq́;
  Patronum talem non ſupereſſe dolet.
Fida tamen tumuli cuſtos eſt gloria, cœlum
  Incolit æterno mens fruitura bono.

Conrado Albino.

PLangite laurigeri vocales plangite cycni,
  Excidit è veſtro candidus ille choro.
Candidus Albinus, niueo cui pectus olore
  Candidius, cordi conſona lingua fuit.
Cui cunctis prodeſſe bonis, nulliq́; nocere
  Cura erat, egregijs & placuiſſe viris.
Carminis auctores qui carminis auctor amabat,
  Et ſibi qua poterat conciliabat ope.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Qui hoſpitio vates placido acceptare ſolebat,
Ad Mœni aurifluas lucra vehentis aquas.
Cum conſorte iacet nunc optimus ille, peremtus
Peſtifera multos interimente lue.
Quærite nunc vobis alibi hoſpita tecta poëtæ,
Albinus ſuperis iam nouuus hoſpes adeſt.

Ioanni Borkio.

IN patrias reuocaretur cum Borkius arces;
Et iam præſto illi miſſa quadriga foret:
Tum Deus ingeniumq́; bonum miſeratus, & a…
Tot freta tot ſyrtes, tot vada tot ſcopulos:
In veram hunc patriam iuuenilibus intulit anni…
Iura vbi ſiderei myſtica ciuis habet.
Hic illum non inſani contagia mundi,
Non lædet genij liberioris iter.
» Non iterum mors affliget. verè ille beatus
» Contigit in vitæ cui bene flore mori.

Laurentius Kirchouius

Maritus vxori.

TE viua, tecum atq; in te cariſſima vixi,
O etiam poſſem, te moriente mori.
Sed Deus hoc, fatumq́; tenax quia denegat ægro,
Qua licet & poſſum commoditate fruar.
Inuita tu morte meo ſub pectore viues,
Meq́; animo eripient funera nulla tuo.

Iu…

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Iuſtina Rudelia Vxor marito.

Pone modum lacrymis coniunx cariſsime, mecum
Si cupis vſq; adeo viuere, parua mora eſt.
Parua mora eſt, vitaq; ſimul meliore fruemur,
Nam mihi viuenti, mortua vita fuit.
Interea tamen ipſa tuo ſub pectore viuam,
Teq; animo eripient funera nulla meo.

Annæ Kirchouiæ.

Conſule nata patre, & coniunx quoque conſulis Anna,
Kirchouiæ cubat hic lausq; decusq; domus.
Vix quæquam ingenio, vel caſti laude pudoris,
Par erat huic, morum vel grauitate prior.
Quid formam memorem? quid opes? quid ſtirpis auitæ,
Matris adhuc viuæ quid memorabo decus?
Quid recitem fratres? quorum Laurentius, alter
Scæuola iuridici gloria prima fori eſt.
Sed nihil arcendæ proſunt hæc omnia morti, “
Illa pari cunctos conditione rapit. “
Quisquis es humanis neglectis omnibus, vni “
Et ſoli, & ſummo fidere diſce bono. “
Quod placidè moriens, vere cum fecerit Anna;
Quis neget hanc vita iam meliore frui?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Thomæ Mauero.

ELmena cur ſolitum præter tuus æſtuat amni
Dic mihi lucidulas quid tibi turbat aq
Quid lepidos tibi Luna ſales, ipſasq́; ſalinas
Inquinat, vt ſapidas iam minus eſſe putes?
Fallor an in cauſa eſt Maueri funus adempti,
Cuius in ore Charis ſalq́; leporq́; fuit.
Qui perſæpe pio mulcebat carmine ripas
Elmena ſiue tuas, ſeu celer Albi tuas.
Credibile eſt. ſed vos nimio deſiſtite luctu,
Cui nulla aut ſaltem cauſa oneroſa ſubeſt.
Ille etenim in ſupera vates non vltimus arce
Nobiliora loco nobiliore canit.

Dauides Chytræi pueri vita defuncti.

VNa Chytræorum multos gens parua Dauid
Scitos ingenijs, indole, flore, dedit.
Sed teneras ceu turbo roſas, ſic rurſus eoſdem
Suſtulit immiti mors properata manu.
Suſtulit, & miſeræ poſitis in limine vitæ,
Recluſit patriæ nobilioris opes.
Dilecti ſiquidem Domino, quod amabile nom
Indicat, hic longas non habuere moras.
„ Felix quem vacuum ſceleris, vitæq́; laborum,
„ Inſers angelicis optime Chriſte choris.

Dauidi Chytræo F. Pater loquitur.

EN iacet exanimis pallente Dauidulus ore,
Corporis atq; animi dulcis imago mei.
Quo veluti grano aut vitali ſemine glebas
Conſero Chriſte tui ſemiſepultus agri.
Semiſepultus enim cur deneger? inſero terræ
Qui partes animæ tot totiesq́; meæ?
Sed tamen eſt animus, certa eſt fiducia mœſto,
Quæ bene ſe vitæ ſpe melioris alit.
" Poſt ſiquidem miſeræ mortalia tempora brumæ
" Viuida perpetui gaudia veris erunt.
" Tum granum hoc fundet rediuiuum ad ſidera florem,
" Quem neq; vis[venti nec fera lædet hiems:
Fragrantemq́; Deo ſemper qui ſparget odorem,
Iam paradiſiaci flos precioſus agri.

D. Vuernero Stainchio, I. C.

INgenio placidus, verbis vultuq́; modeſtus,
Vir bonus, & iuris iuſtitiæq́; decus,
Vuernerus iacet hîc, paredrus bis quatuor annos
Cæſarei fuerat qui ſine labe fori;
Cum quartana tribus furijs ſoror addita febris,
Morti illum, in tabem poſtmodo verſa, dedit.
Quam patiente animo tres totos fortiter annos
Suſtinuit, vitæ ſpem melioris alens.
Quem nunc in ſupera Paredrus fulgentior arce
Obtinet angelici lux ſpecioſa fori.

Vuirichio à Gemmingen Phi-lippi filio.

QVid tibi flaue Nicer lutulentas inquinat undas?
Dic mihi, dic vitreas quid tibi turbet aquas?
Dic mihi nympha tuæ cur mœſta in margine ripæ
Implet flebilibus prata nemusq́; ſonis?
An cauſam ignoras? pridem meus ille Philippus
Tum Gemmingiacæ fida columna domus
Occubuit, tutorq́; mihi fidusq́; patronus,
Nunc etiam natus patris iniuit iter:
Vuirichius cecidit, qui dum iſti præfuit arci,
Impoſuit ripis quam domus illa meis;
Nil metuêre meo celeres in gurgite piſces,
Nil mihi lucidulas impediebat aquas.
Nunc lutulentus eo, & turbatis triſtior undis,
Hæc natum, iſta patrem quando ſepulcra tegunt.
Heu natum unigenam, qui ſpes erat unica gentis,
Stirpis honor, patris gloria, matris amor.
Quæ nunc ſidereos fletu corrumpit ocellos,
A nato in vidua ſola relicta domo.
Cauſa quidem ſat iuſta ſubeſt: ſed comprime luctus
Flaue Nicer; lacrymas mater amica tene.
,, Non nimium ſunt deflendi, quos fletibus expers
,, Nunc habet æternis vita opulenta bonis.

Margaritæ Luſcouiæ.

GEmma domus Croniæ caſtiſſima Margarita,
Luſcouiæq́; ſimul fulgida gemma domus, Hic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hic iacet, exanimi ſpectes ſi corporis artus;
Si mentem; angelici pars ea certa chori eſt.
Huic genitor conſul, vir præſtans laude ſenator,
Cui dedit è thalamo pignora trina, fuit.
Virtutes patrias nati ſine labe ſequuntur,
Filia ſed matris dulcis imago ſuæ eſt.
Sed nihil arcendæ proſunt hæc omnia morti, "
Felix qui ad ſuperos hic ſibi munit iter. "

Othoni von der Luhe, equiti Megapolitano.

HIC ſitus eſt pietate ſenex meritisq́; verendus,
Vandalicæq́; decus nobilitatis Otho.
Iuſticiæ & virtutis amans, ſtudioſus honeſti,
Et patriæ carus principibusq́; viris.
Quinq; mares, totidem natas in flore iuuentæ,
Ceu thalami genuit pignora certa parens.
Coniuge ſublata bis denos inſuper annos
Incubuit viduo, ſed ſine labe, toro.
Sedecimiq́; licet premerent confinia luſtri,
Mente tamen ſemper conſtitit ille ſibi.
Et Chriſto precibusq́; vacans animæq́; ſaluti,
Emeritus ſummum clauſit in orbe diem.
Huius ſi fueris conſtans imitator Othonis,
Et patriæ poteris carus & eſſe Deo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

D. Laurentio Kirchouio I C. C L. obitum filiæ lugenti.

SI toties morimur quoties priuamur amicis,
Vt grauis arguto Publius ore canit:
Heu quoties vir clare mori te deniq; dicam?
Qui toties video te ſepelire tuos.
Nunc etenim fratrum, nunc luges fata ſororis,
Nunc tumulas caſti pignora cara tori.
Hæ ſunt delitiæ, terrenæ hæc gaudia vitæ,
Hæc varia alternis ſunt mala mixta bonis.
» *Sed tamen hæc miſtura pijs ſua commoda præſtat,*
» *Ipſaq; mors ſummi proxima cauſa boni eſt.*
Nam quoties noſtros ſæuæ inclementia mortis
Abripit; & nobis viuere pæne graue eſt.
Atq; ita mens pertæſa domus patriæq; caducæ,
Paulatim ſummi flagrat amore Dei,
Æternæq; adeo patriæ, quam morte recludi
Virtutum ſtatuit dux animoſa fides.
» *Præterea quia mors veræ reparatio vitæ eſt;*
» *Nec bene qui moritur iam miſer eſſe poteſt:*
Sed verè potius felix, vereq; beatus,
Poßideat votis cum potiora ſuis.
Hæc repetens animo legum clarißime vindex,
Filiolæ vt fatum lenius oro feras.
» *At tu quisquis ades, mortem non ſperne, ſepulchro*
» *Aßiſtens hodie, cras potes ipſe tegi.*

Ioan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ioanni Prengerio.

BAlthica Mænalio celebris Rhodus adiacet axi,
Varnus cygniferas hic vbi voluit aquas.
Hac vrbe & patria florentibus integer annis
Eſt ſatus, Aonij ſpes celebranda chori
Prengerius, patre Henrico prudente bonoq́;
Editus, & patriæ cara columna domus.
Illius ingenium Rhodiæ excoluere camœnæ,
Lanus & Aonijs clarus Eliſter aquis.
Ingenium facile, & varijs verſatile donis
Argutum, lepidum, nobile, come, fuit.
Ingenui mores, cordatum pectus, & altè
Conſpicuum heroo robore corpus erat.
Quin iuueni albebant laudati in vertice cani,
Olim quo notus nomine Cycnus erat,
Strenuus & Tarchon, agilisq́; Erginus, vterq;
Canitie celebris redditus ante diem.
Pindaricas hic ad citharas laudatus; at ille
Virgilij à Muſa nobile nomen habens.
Talis vita fuit, placide perferre patiq́;
Officijsq́; pares conciliare ſibi:
Non temerè aduerſari alijs, contemnere nullum,
Atq; adeo quouis Pamphilus eſſe loco.
Teſtis erit Rhenus, Lycus, Iſara, Mœnus & Oenus,
Quin etiam Venetûm regia teſtis erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Teſtis erit mundi domiti caput inclyta Roma,
Et Tybris, & rapidis Arnus amœnus aquis.
Nec celer Eridanus fluuiorum rector idipſum,
Ruperit huic quamuis viuida fila, negat.
Scilicet Auſonijs rediens huc feßus ab oris,
Vrbs vbi de ferro nobile nomen habet:
Iam patriæ cupidus, patriæ cœleſtis adiuit
Gaudia, quæ longi meta laboris erunt.
Hinc ille excelſa veluti ſpeculatur ab arce
Omnia, quæ viuo viſere dulce fuit.
Hic doctrinarum diſcit de fonte perenni
Omnia, quæ viuo diſcere dulce fuit.
Hic ille, haud Themidis ſtudiorum præmia laurum
Aut ſponſus Cypriæ myrtea ſerta capit:
Verum amaranteo vitalem è flore coronam
Accipit è manibus Chriſte benigne tuis.

Henrico Prengerio ſeni optimo, &
Gertrudi Leuardiæ matronæ
prudentiſs. ſocero & ſo-
crui S. cariſs.

ET vobis dilectæ animæ quod debeo carmen
Accipe cum cara compare, care ſocer.
Tu ciuis bonus, & patriæ primarius vrbis,
Cultor honeſtatis, lux pietatis eras.
Illa decus matronarum, lepida ore, pudica
Corde erat, ingenio, corpore, mente valens.

Pro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Pro turba rixiſq; fori pia templa placebant
  Vtriq;, & ſimplex relligionis amor.
In rebus factiſq; fides, in pectore, noſtro
  Hei nimium rarus tempore! candor erat.
Larga manus fidei ſocijs, templiq; miniſtris,
  Verus & in quoſuis non ſimulatus amor.
Veſtitus moreſq; graues, & ſobria victu
  Mundicies, domui non oneroſa ſuæ.
Inprimis grauiter numeroſam educere prolem
  Curæ erat, exemplis huicq; præire bonis.
Nomine quo grates vobis debere fatentur
  Cum generis caſtæ ſollicitæq; nurus.
Inprimis vero generi, quibus optima ſocrus
  Virtutis liquit ceu ſimulacra ſuæ
Quatuor egregias natas, domuiq; regendæ
  Aſſuetas teneris prorſus ab vnguiculis.
Hoc cum Pauliade grato fert Stuuius ore,
  Hoc ego Gertrudis lætus amore meæ.
Quarta etenim matri in cœlum tumulata præiuit:
  Tres ſuperant domibus fulcra decora ſuis.
Quas vt cumq; viris teneriſq; nepotibus omnes
  Seruet, qui voti eſt conſcius, oro Deum.
Interea dilecte ſocer, ſocruſq; verenda,
  Veſtra hic iuncta vrnis molliter oßa cubent.
Dum tuba vos in ſublimem ſubita euocet æthram,
  Donet & angelici gaudia vera chori.

Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Chriſtophoro Hortenſio.

OCcubuit Roſei cultor fidiſſimus horti,
Hortenſius ſuauiſſimus.
Lugete ô herbæ, plantæ lugete tenellæ,
Lugete dulces floſculi.
Vix hoc candidior, vix accuratior vllus
Vnquam hortulanus contigit.
Qui melius noſſet firmo circundare ſepto
Sophiæ ſacratos hortulos.
Qui melius poſſet purgare, rigare, fouere
Breui feraces ſurculos.
Qui magis optaret nimio turgentia luxu
Falce amputare germina.
Qui magis odiſſet ranas, lappaſq; ſequaces,
Talpas, rubetas, viperas.
Verum ita dum plantas & flores tractat amœnos,
Cœleſtis ecce floſculus
Eſt factus, ſubito ſuperos translatus in hortos,
Vbi perenni viuidus,
Imbribus & ventis illæſo flore micabit
Illuſtris inſtar ſideris.

Ioanni Placotomo.

IOannes iacet hic clariſſimus arte medendi,
Cui placos illa tome nomina nota dedit.
Pregela flaue tui Rectoris funera plange,
Cumq; hoc vnanimi Viſtula plange ſono.

Ripam

Ripam etenim veſtram medicis ornare ſolebat
Floribus, & morbos arte fugare graues.
Barbariæ ſimul impatiens, cui fortibus armis
Reſtitit, Aonij cultor honosq́; chori.
Hic amor, hoc ſtudium, ſeros ſic attigit annos,
Felix hac ipſa conditione ſenex:
Ni prius armorum fremitus, funeſtaq́; belli
Principia in patrijs ingemuiſſet agris.
Tunc igitur, ne morte ipſa grauiora videret,
Intulit huic cupidas mors ſatis æqua manus.
Namq; alij impliciti curis dum anguntur, et hærent,
Quæ ſit tam varijs meta futura malis:
Illius tumulum florens Hygiea corollis
Et decorat querulis Calliopea modis.

Chriſtophoro Schellenbergo.

Conditur hoc vates ſub ceſpite Schellenbergus,
Cui nomen mons & tinnula nola dedit.
Scilicet Aonij contendit in ardua montis,
Et ſonuit caſtis carmina grata choris.
Nomine quo Muſis cariſſimus ille Siberus,
Vranie cuius vim grauitatis habet,
Collegam & generum hunc legit, nūc vnde nepotes
Hei nimium ſubito patre iacente videt.
Hei videt, & gemitus imo de pectore fundit,
Dum curam & munus patris auiq; gerit.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hoc Domino, ſibi fidentem qui fallere neſcit.
Sic placuit, curas pone Sibere tuas.
Qui vitam dedit, is vitæ quod poſtulat vſus,
Vt dedit ante tibi, ſic dabit inde tuis.
Mons generi interea caput inter nubila condat,
Æternumq́; ſonet nola canora melos.
E tumulis donec rediuiui buccina Chriſti
Euocet ad vitæ nos melioris opes.

Dorotheæ Melchioris Dancquardi Filiolæ.

COndidit hic humili Dancquardus Melchior
Dorotheam thalami pignora cara ſui.
Supra annos hilarem, blandam, lepidamq́; puell
Matris delicias, effigiemq́; patris.
Sed prope ſexennem, fuerat qui muneris auctor,
Hanc Deus in gremium ſuſtulit ipſe ſuum.

Annæ Battæ.

DVM malus accenſo minitatur ab æthere va
Igniuomam ducens ſtella comata facem:
Battiadæ cara de coniuge naſcitur infans,
Vagitu ærumnæ tum quoq; præco ſuæ.
Mox etenim inſtantes mater gemebunda labores
Finit in æternas morte recepta domos.
Heu quanto infante eſt genitrix felicior! ipſa
Nam quîs perfuncta eſt, hunc ſua fata manent

Ben

Benedicto Teuberio.

LEucoridum decus, & Themidis caſtæq́; Mineruæ
Teuberius ſenior, meritis ingentibus vrbem
Dum cumulat Varni, Rhodiasq́; hoc nomine Muſas
Exhilarat, litiq́; vetat connectere lites:
Indignè tulit hoc Eris inuida, cumq́; parentem
Lædere non poſſet, fato prohibente Deoq́; ;
Atropon induxit, quæ illius ſtamina nato
Rumperet, & patri preſſo anxietate, dolorem
Longe etiam propria grauiorem morte crearet.
Sic Benedicte iaces clari patris optima proles.
Nec te vel probitas, Latijúe ſcientia iuris,
Non matris lacrymæ, gemitus non patris amati,
Non Aſtræa potens morti ſubduxit auaræ.
Sed Chriſto tamen innitens, Chriſtiq́; cruentis
Vulneribus, vitæ cum curſum abſolueris ægræ;
Quis te non vero Benedictum dixerit ore?
Felicemq́; adeo & carum cœleſtibus ipſis,
Præreptum tot iam ærumnis, tot gaudia nactum.

Iohanni ab Heruerden conſuli Roſtochienſi.

COnſul honor patriæ, canis venerandus & an-
Ambitionis & inuidiæ, liuoris & iræ (nis,
Expers iniuſtæ, iuris defenſor & æqui
Sollicitus, facilisq́; bonis, prauisq́; ſeuerus,

Percu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Percupidus prodeſſe alijs, nulliq́; nocere,
Omnigenæ virtutis amans, & amabilis ipſe
Simplicitate ſua, & niuei candoris amore,
Hic pater Heruordæ gentis iacet, optimus ille
Emeritusq́; ſenex, qui pridem conſulis amplo
Depoſito officio, priuatam degere vitam
In viduo inſtituit thalamo, precibusq́; vacare
Diuinisq́; adeo libris, animæq́; ſaluti.
Quam dubio procul in cœlo iam nactus, & olim
Defunctæ vxori & natis iam redditus, inter
Cœlicolas non poſtremus, videt aſtra ſerena
Sub pedibus, natisq́; pijs poſt fata relictis
Cum generis, nuribus, tenerisq́; nepotibus opt
Omnia præſenti venturæq́; optima vitæ.

HENRICO CHYTRÆO filiolo ſuauiſs. pater.

Ex animo te dilexi cariſſime fili,
 Fecit idem flagrans mater amore tui.
Fecere id fratres. patrium ſed vicit amorem
 In te ſiderei cura benigna patris.
Fraternum frater ſuperauit Chriſtus amorem,
 Pro terra in cœli dans tibi ſede locum.
O factum pulcre! Dominus dedit, abſtulit idem,
 Illius æternum ſit benedicta fides.

Vuilhelmo Pancalo Laurentij F.

A multis galeis veteres dixere Vilelmum,
Nomen id eſt nato Pancale care tuo.
A Duce ſic dicto, quem Luna veretur & Ocra,
Qui geſtans Roſeæ fulgida ſceptra ſcholæ,
Compater eſt etiam factus tibi, quando tenellum
Pancalon è ſacræ fonte leuauit aquæ.
Sed nihil hic galeæ, nil regum ſceptra Ducumq́;, "
Vulnificæ contra ſpicula mortis agunt. "
Illa rapit pueros, pariter iuueneſq́; ſeneſq́;, "
Optima ſi nondum ſollicitata venit. "
Hoc cum clare tuo contingat Pancale nato,
Deſiſte à querulis cum genitrice ſonis.
Namq́; ibi nunc ille eſt, vbi nullus caßidis vſus,
Dux vbi cum populo conditione pari eſt.
Nullæ vbi ſunt lacrymæ, nullus dolor, omnia læta,
Omnia de ſummi fonte beata boni.
Hic nunc ille ſuo cum nomine congruus, omni
Ex parte, & vere πάγκαλος eſſe poteſt.

Iulio Cummerſtadio.

Qvondam ſollicita fuerat cui nomen ab vrbe,
Conditur hic patria clarus Iulus humo.
Patria Miſna fuit, iuuenem informanit Eliſter,
Et Padus, & Clarijs turgidus Arnus aquis.

Fidus ubi cultor Themidis caſtæq; Mineruæ
Creditus eſt gentis fama futura ſuæ.
Et fuit. aſt illi nunquam raroüe valenti
Iniecit lentas inuida Parca manus,
Se iuueni nocuiſſe putans. veruntamen ille
Qui modo ſollicita ciuis in urbe fuit,
Indigena æternæ patriæ eſt, urbisq; beatæ,
A qua iam melius nomen & omen habet.

Arnoldo Burenio. V. CL.

PHillyrides iacet hîc, non Theſſalus ille, ſed ille
Genti huic, qui Graijs Theſſalus ille fuit.
Formator iuuenum linguæ, morumq; magiſter,
Socraticiq; caput, norma, decusq; chori:
Burenium dico, cuius doctrina fidesq;
Huius erat columen, vita, vigorq; ſcholæ.
Dulcis erat Ciceroneæ vox æmula linguæ,
Et ſummus Chriſto dicere grata labor.
Quod ſi ſigniferum Chironis ſidera pingunt;
Quanta erit in cœlis gloria Burenij?

Valentino Haslochio conſuli Vuormatienſi, & Eliſabethæ Schonbergerinæ. ad M. Fridericum Zornium V. doctiſs.

HIC vbi Vangionum tempe ſecat aurea Rhenus
Haslochius fida cum coniuge Calliorea
Illam

Illatus, tumulo eſt, præſtans pietate fideq́;,
Treſq́; decemq́; inter proceres illuſtris honore,
Bis Berbetomagi conſul primarius vrbis.
Digna viri virtute fuit laudabilis vxor
Eliſabetha, domus columen, proliſq́; venuſtæ
Et caſtæ genitrix, cariq́; corona mariti,
Matronæq́; adeo ſpecimen grauis atq; pudicæ.
Quos veluti thalamo viuos coniunxerat vno
Mens vna; exſangues ſic mors quoq; funere triſti
Vicinis iterum tumulis coniungit & vrnis,
Donec perpetuæ euiglent ad gaudia vitæ.
Id quod eis Friderice gener cum coniuge, fido
Exoptas animo, ſoceri qui carmine manes
Nos ornare iubes, tibi cum meliora camœnæ
Suppeditent, qui iampridem ductore Micyllo
Lotichioq́; vſus fontis penetraueris vndas
Caſtalij, & Muſas tibi ſis expertus amicas.
Gratificor tanto tamen haud inuitus amico.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

NATHANIS CHYTRÆI
TRISTIVM
LIBER SECVNDVS.

Ad prudentiſsimum Franciſcum Vuitzendorſium, coſ. Luneburgenſem.

MIR Aris cur iſta tibi lugubria
mittam,
Clare vir, & patriæ ſida co-
lumna tuæ.
Triſtia ſunt fateor: tibi læta li-
bentius ipſe
Miſiſſem, ſed non ſors id iniqua tulit.
„ Lætos læta decent, vt triſtes triſtia; quare
Dum ſentis vidui triſtia damni tori:
Accipe quæ mitto placidè; ſic plurima gen
Vxoriſq; tuæ nomina grata leges.
Inuenies etiam complura domeſtica vobis
Funera, quæ luctus cauſſa fuere mei.
„ Hęc tibi, cum lacrymis inſit quandoq; volupt
Nomine amicorum grata futura ſcio.
Tu ſoſpes gentiq; tuæ natiſq; duobus,
Aſpicias patriæ proſpera fata tuæ.
Det Deus, vt quos vxori mors abſtulit annos,
Augeat his vitæ candida ſila tuæ.
Vt ſenior videas tua per veſtigia natos
Ingreſſos, laudes æquiparare tuas:
Florentiſq; adeo patriæ ſeruire ſaluti,
Cuius tu flagras totus amore. Vale.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hieronymo Vuicendorſio coſ. Luneb. ipſiusq́ꝫ viduæ Annæ, matronæ eximiæ.

Quisquis es, hic, quamuis properes, ſubſiſte viator,
Nam tegit hic vnus corpora bina locus.
Quorum mens ſuperas feliciter incolit arces,
Nam meritis coniunx rarus vterq; fuit.
Ipſe maritus enim Lunæ Vuicedorffius arcis
Et pater & conſul publicus vrbis erat.
Anna domi cunctos, ceu mater, iuuit egenos,
Quorum præſidium confugiumq́; fuit.
Ergo patrem & matrem patriæ locus iſte recondit,
Ignarum quem te præteriiſſe nefas.

Aliud.

Hic Vuicedorffe tui præſtans Hieronyme lecti
Et decus & requies Anna ſepulta cubat,
Fœminei exemplum generis, matrisq́; verendæ,
Inter honoratas ſummaq́; fama nurus.
Larga manu, pia corde, pijs ſanctiſsima factis,
Eſt quibus ardentem teſtificata fidem.
Et paſsim toti quibus olim profuit vrbi,
Pauperibus columen præſidiumq́; pijs.
Salue ſancta parens, cœli quæ ſede recepta,
Nunc æternarum fœnora carpis opum.
Cumq́; ſuos patriæ patres vrbs Romula iactet,
Cur patriæ matrem te tua Luna neget?

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vrſulæ Garlopiæ.

HEroina decus domui, ſoboli, atque marito,
Inter laudatas gloria prima nurus,
Vrſæ nomen habens, oue blandior Vrſula, corpus
Hic poſuit placida morte perempta ſuum.
Conſule nata patre, & ſummi poſt conſulis uxor.
Garlopius genitor, vir Vuicedorſſus erat.
Vrbis uterq; ſuæ columen, laus magna ſenatus,
Arx vbi de Luna nobile nomen habet.
Tanto nata viro, tanto coniuncta marito,
Nunc hominum ſolita conditione iacet.
Vir gemit, uxoris tumulo ſua gaudia condens.
Illa ſed ætherijs gaudet ineſſe choris.

Conrado Pegelio.

HAc ego Conradus candor Pegellius vrna,
Quo ſenior tota nullus in vrbe fuit.
Patria Vuiſmaria eſt, Varnus mihi cygnifer artes,
Muſa animum, mores Gratia grata dedit.
Hinc dux Magne tua fidus præceptor in aula,
Emerui cuſtos principis eſſe mei.
Quin duodena ferè iuuenes me luſtra docentem
Viderunt Roſeæ pulpita ſacra ſcholæ.
Dedita mens ſtudijs, blandi ſine crimine mores,
Ingenium placidum, ſobria menſa fuit.
Inde mihi florens & non oneroſa ſenectus,
Diſſoluit placida fila ſuprema manu.

Nunc ego longæuus merito poſt funera dicor,
Incipiam vita cum meliore frui.
Inſtar vbi heſternæ ſunt anni mille diei,
Dicitur hæc merito longa, ſed illa breuis.
Qui ſim, quis fuerim, noſti: iam perge viator, "
Et vitam veluti cras moriturus age. "
Si tamen ad ſeros aſpiras viuidus annos, "
Vt tua ſit vitijs pura iuuenta, vide. "

Ioſiæ Richio.

QVis iacet hîc? Chriſti præco. quo nomine? regis
Ioſiæ. in patria num iacet ille ſua?
Non iacet: infantem procul hinc mons Regius olim
Edidit, ad ripas Bregela culte tuas,
Cum patre Varniadum iuuenis poſt venit ad vndas,
Factus & eſt Roſeæ pars quotacunq; ſcholæ.
Quod ſtudium? pietas illi, et ſacra ſcripta placebant,
In quibus & tituli præmia certa tulit.
Quin alias etiam ſæpe eſt digreſſus in oras,
Qua ſita ſunt medio Balthica regna mari.
Illum cum Batauis culti videre Britanni,
Videre & populi Gallia dira tui.
Qui fuerit candor, quam mores labe carentes,
Quam fuerit ſtudijs deditus ille ſuis:
Sequana teſtis erit, populoſa Lutetia teſtis,
Teſtis erit Scaldis, Delia teſtis erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quid rediens? pietate parens ſenioq́; verendus
    Cum peteret ſuperas morte vocante domos?
Natus in officio patri hac ſucceßit in æde,
    Cui ſimilis ſtudio mente fideq́; fuit.
Sed breue curriculum & cœptos cito meta labores
    Finijt, in cœlo iam ſine fine manet.
Hæc verè patria eſt, hæc illi manſio vera,
    Non hic certa quies, non domus vna fuit.
Quin placidè moriens mortem non vidit, & ipſe
    Quod docuit, cœli lætus adiuit iter.
Quis dolet extinctum? demiſſo Eccleſia vultu,
    Mater & in vidua ſola relicta domo.
Vnicus & frater Phœbea clarus in arte.
    Quid coniunx? cœlebs mortuus ille cubat.
Carmina quis fecit? charo Chytræus amico
    Edidit hæc ſtudij ſigna ſuprema ſui.
Quem quondam ſociumq́; viæ, comitemq́; laborum
    Ad cathedras habuit Sequana flaue tuas.
Littoris Armorici cum quo luſtrauerat oras,
    Oceani refluas & ſuperarat aquas.
Vnanimis cum quo Tameſin conſpexit, & vrbes
    Quas Morini, Franci, Bellouaciq́; colunt.
Iam meliore loco Ioſia & ſede receptus,
    Æternum vero nomine diues eris.
Me mea fata manent, caſu tu liber ab omni es.
    Hei quantò melior ſors tua ſorte mea eſt!

Mat-

Matthæo Chytræo patri ca-
riſsimo.

QVI te ſincero coluit Matthæus amore,
Qui ſparſit verbi ſemina Chriſte tui.
Qui tecum crebris optauit viuere votis,
Ardenti coluit qui tua iußa fide,
Sentit in excelſo iam maxima gaudia cœlo,
Lætus & angelico gaudet ineſſe choro.
Iam placuiße ſuos tibi maxime Chriſte labores
Gaudet & in gremio diſcere multa tuo.
Iam cur non aliter roſeo quam ſanguine Chriſti
Poßint placari crimina noſtra videt.
Aſpicit & præſens, quam miro fœdere Chriſtus
Sit Deus & pariter crimine purus homo.
Deniq; iam fœlix omniq́; ex parte beatus,
Forti mundanas pectore ſpernit opes.
Viuus enim veræ curam pietatis habebat,
Et cuſtos puræ relligionis erat.
Nam ſibi commißum ter denos paſtor in annos,
Conſtanter ſanctum rexit ouile Dei.
Egit & excubias ne perfida turba luporum,
Inferrent caro noxia damna gregi.
Quatuor & natas natos totidemq́; reliquit,
In vera erudijt quos pietate pater.
Officij tandem cum munera iuſta ſubiret,
Quod gratum ſummo nouerat eſſe Deo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Emeritus vitæ ſupremam finijt horam,
Seq́; pia iuſtum credidit eſſe fide.
Eius in hoc tumulo mortalia membra quieſcunt,
Mens capit in ſummo gaudia vera polo.
Hæc igitur quicunq́; vides monumenta, precare
Vt recubent patris molliter oſſa mei.

Catharinæ Friſiæ.

HOC *tumulo Catharina cubat pietate fideq́;*
Conſpicua, & ſexus lausq́; decusq́; ſui.
Friſius huic Nicolaus erat virtute maritus
Præſtans, ad ripas Varne canore tuas.
Filius huic clarus legum iuriſq́; patronus,
Aſtreæq́; ſacræ dux Ioachimus erat.
Iuditha Paſelico pulcherrima filia nupſit,
Paſelico, cuius Dania nomen amat,
Ingenium & linguam propter mentemq́; fidelem,
Quem caros inter Rex Fridericus habet.
Quem propter vultus Charites, moresq́; venuſtos
Et lapis & ferrum eſt, quisquis amare nequit.
Hoc Catharina viro, nato, generoq́; beata
Hic fuit, in viduo ſola relicta toro.
Nunc ſuperis illata choris, ſobolemq́; virumq́;
Ceu poſtliminij iure reuerſa, videt.
Expectatq́; ſimul generum carosq́; nepotes,
Pro quorum in cœlo vota ſalute facit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sed tu Paſelico diuturnæ munera vitæ,
Da Deus, vt multis vtilis eſſe queat.
Florenteſq́; adeo ſenior ſpectare nepotes,
Percipere & meritis præmia digna ſuis.
Clingus hoc illi & Chytræus vterq; precantur,
Optat idem votis Muſicus ordo pijs.

Iohanni Borcholto I. F.

BArda cui vitam tribuit, quam rurſus ademit
Roſtochium, hac ſacra conditur æde puer,
Scitus, & egregium riſu exhilarando parentem
Blandus, & à patrio nomine nomen habens,
Vitæ oculus matri, fratri vnica cura tenello,
Lachrymulis quorum lumina mœſta rubent.
Vix ille ingreſſus miſerandæ limina vitæ,
Cum videt innumeris omnia plena malis,
Obſtupuit, retroq́; pedem tulit, & tibi Chriſte
Reddidit vltro animæ munera grata ſuæ.
Felix qui potuit, mundo minitante ruinam ‟
Et clades varias, ſic ſine labe mori. ‟

Dauidi Chytræo D. filio.

DEus videns pulcherrimum
Domus Chytræi floſculum,
Inter roſas amabiles
Qui creuerat, vel Heſpero,
Vel ipſo Eoo pulchrior:

Ait,

Ait, mihi tu natus es,
Meæq; laudi ſeruies.
Ergo nec inter aſpera
Dumeta, ſpinas, & rubos,
Mundiq́; ſentes horridas,
Sed cœli in horto nobili,
Sacer mihi educabere.
Choris vt in cœleſtibus,
Puris canas me laudibus:
Meq́; innocentiæ piæ
Fragranti odore recrees.
Nec plura: ſed ſtatim manu
Carpit Chytræi ex hortulo
Tanti decoris floſculum,
Qui plantulas inter ſacras,
Florebit inſtar lilij,
Fulgebit vt ſol aureus.

Eidem.

PAruulus hic parua iaceo Chytræus in vrna,
Qui Dauid patrio nomine dictus eram.
Dictus eram, charusq́; fui matriq́; patriq́;,
Hoc etiam ratio nominis apta monet.
Vicit amore patrem mundi ſeruator Ieſus,
Ardenti matrem vicit amore Deus.
Vos lachrymas ſaltem; pro me ſed Chriſte cruorem
Fundis, & hoc ſordes abluis ipſe meas:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Vos me mortalem voluiſtis degere vitam:
Tu recipis gremio me bone Chriſte tuo.

Sophiæ Chytrææ D. filiæ.

FLoſculus vt tenui ventorum flamine motus “
Decidit, & ſubito ceu roſa verna perit; “
Sic quoq; vita leui momento extinguitur, omnes “
Nam ſimiles bullæ, pulueris vmbra ſumus. “
Sed tamen infantes ſacro baptiſmate loti,
Quotquot & in domino ſpem poſuere ſuam,
Protinus ad veram veniunt per funera vitam,
Et gaudent viuum concelebrare Deum.
Hoc Sophia in numero Dauidis nata Chytræi
Viuit, vt in primo flore perempta fuit.
Cui flos mirificum reddes Ießæe vigorem,
Te canat vt lætis glorificata modis.
Namq; per infantum, laudem tibi perficis, ora,
Illorumq; tibi verba tenella placent.
Ipſe etiam pueris ad te qui rite feruntur,
Promittis ſuperi regna beata poli.

Petro à Mencingen.

IVſtitia magni, & vera pietate probati,
Hic Mencingiaci ſunt monumenta Petri.
Pro patria hic Turcas repulit florentibus annis,
Eſt auratus vbi poſtmodo factus eques.
Redditus inde ſuis placido moderamine rexit,
Iuſtaq; iura reis innocuiſq; dedit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Inprimis ſummi protexit ouilia Chriſti,
Paſtoresq́; pium qui docuere gregem.
Fouerit vt Muſas, dederit quæ præmia doctis,
Tota Chytræorum ſtirps mihi teſtis erit.
Sunt alij teſtes, clara qui voce fatentur,
Quod fuerit viduis pauperibusq́; parens.
Ergo opibus rurſum magnis diuinitus auctus
Floruit, & ſummo dignus honore fuit.
„ Sed nihil ampla domus, nihil inclyta nomin
„ Turgida diuitijs nil iuuat arca ſuis.
„ Mors magnos humilesq́; rapit. verè ille beat
„ Qui pius in Chriſtum ſpemq́; fidemq́; loc
Sicut & hac Petrus occubuit tumulatus in v
Mens cuius ſuperæ gaudia lucis habet.
Illius exemplum fida fac mente ſequaris,
Quisquis in illius ſubſtituere locum.

Margaritæ à Gemmingen.

Gemma Gemingiacæ iacet hic pulcherrima g
Margaridos dulci nomine grata vir
Cui dum iuncta fuit, ceu Margaris inclyta fu
Ore, pudicicia, nobilitate, fide.
Annulus & pulcher gemma vt ſit pulchrior iſ
Dulce decus charo ſit fuit illa viro.
Inter & ætherias ſic nobilis heroinas
Iam micat, angelici gemma decusq́; chori.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Margaridiq; comes, Chriſtum quæ ſanguine faſſa eſt,
Concinit ad citharæ carmina læta ſonum,
Pignoribusq; ſuis, iterum coniuncta marito,
Optat ab æterno plurima fauſta Deo.
Salue gemma nitens, gemma ô pulcherrima ſalue,
Gemma Gemingiacæ floſq; nitorq; domus.

Odyliæ à Roſſauu.

HIC matrona cubat Roſianæ gloria gentis,
Odyliæ claro nomine nota ſuis.
Vt florum regina roſa eſt: ſic illa pudicas
Inter matronas regia ſceptra tulit.
Vt roſa fragrantem folijs exhalat odorem:
Sic illa ardentes fudit ab ore preces.
Vtq; ornamentum terræ eſt roſa: non ſecus illa
Ornauit clari limina clara viri.
Plantarum vt decus eſt eadem: ſic illa ſuorum
Et patriæ vixit gloria ſumma ſuæ.
Vtq; oculus florum, atq; horti nitor illa vocatur:
Sic oculus ſoboli, ſic nitor illa fuit.
Deniq; virgineo velut eſt roſa plena rubore:
Sic illa innocuo plena pudore fuit.
Nunc roſa tam ſpecioſa iacet contecta ſepulchro,
Sed ſpirant loculi marmora tota roſas.
Æterni donec redeant primordia veris,
Hæc iterum noſtræ vita futura roſæ eſt.

Quis-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

» Quisquis es, è tumulo roſeas ſuſpende corollas,
» His ſimilem vitam nec dubita eſſe tuam.

Cornelio Grapheo, ad Alexandrum Grapheum F.

IN tumulum volui contexere pauca Graphei
Carmina, marmoreo conſpicienda tholo.
Talia ſed Clio. fruſtra quid perdere tempus
Niteris, & vano multa labore queri?
» Omnis namque virûm magnorum terra ſepulchrum eſt,
» Non eget inſculptis gloria vera notis.
» Gloria vera etiam ſcripto ſine nota vagatur,
» Implet & eoas occiduasq; plagas.
Et licet in tumulo veſtigia nulla ſuperſint,
Quæ qui conſpiciant vnus & alter erunt:
Mente tamen memoriq; manet ſub pectore virtus,
Multorum & volitat nota per ora virûm.
Verius hæc tumba eſt magni dicenda Graphei,
Quam quæ magnificis conſpicitur titulis.
Talibus admonitus, flexo pede, detraho tegmen,
Obſequor & dictis diua beniga tuis:
Hinc promiſſa tuo iam pridem carmina patri,
Ignoſce, euentum non habuere ſuum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ioh. Iacobo Oermanno Vangioni, in gratiam viri opt. Chriſtoph. Oermanni eius fratris.

HOSPES ET IVVENTAS colloquuntur.

H. QVis ſitus hîc? I. Iuuenis florenti ætate perem-
Corporis excellens ingenijq́; bonis. (tus
H. Quid cruor? I. Incautum letali vulnere læſit,
In ſcelus à furijs exagitata manus. (tus
H. Quæ diuæ aſsiſtunt tumulo? I. prima inclyta uir-
Eſt comes in lacrymas officioſa meas.
H. Altera quæ? I. Nemeſis, qua vindice criminis au-
Ibit ad infernas ſanguinolentus aquas. (ctor
H. O dubios vitæ caſus, finemq́; latentem! "
Humana ô quantum pectora noctis habent! "
I. Ergo Deum pietas vitæq́; modeſtia placet, "
Exitus in dubio eſt, mors ſua quemq́; manet. "

Eliſabethæ Boltiæ.

INgenioſa, decens, & amabilis ore venuſto,
Hic quoq; cum reliquis Eliſabeta cubat.
Paruula quæ pariles inter ſecura puellas
Dum ludit, ſubito pondere tacta iacet.
Exanimem fleuere patres, fleuere propinqui,
Illa ſed in ſummo ridet ouatq́; polo.
Cœleſteſq́; inter nunquam moritura puellas,
Exſilit, hîc lætam nulla ruina premet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

» Mors certa eſt, incerta dies, modus, horaq́; mor

» Quis ſcit an hæc eadem te quoq; fata vocem

Iohanni Gallo.

CEdite degeneres, criſtati cedite Galli,
Sanctior hic Gallus nobiliorq́; iacet.
Quem pietas, doctrina, fides, conſtantia, candor
Et Charites donis excoluere ſuis.
Gallus hic in multos huic templo præfuit annos,
Et cecinit ſummo carmina ſæpe Deo.
Gallus hic excubias oculis vigilantibus egit,
Semine pro Chriſti, Chriſticolaq́; grege.
Stertentesq́; animos & pigros ſurgere iuſsit,
Iudicij clamans non procul eſſe diem.
Acris hic inſpector cunctorum facta notabat,
Blandus & aſperior quando decebat erat.
Nemo fuit coruis vpupisq́; infenſior hoſtis,
Cygnæo melior carmine nemo fuit.
Ille Dei plena præconia voce canebat,
Ille Dei vehemens hoſtibus hoſtis erat.
Hic contra accipitres & ſæuos vulturis vngues
Defendit pullos voce ſonante ſuos.
Luſciniæ conſtans & fidus amicus alaudæ,
Illarum adiunxit carmina ſæpe ſuis.
Iam ſacras inter volucres, quæ facta Iehouæ
Concelebrant, nunquam poſt moriturus agit.
H

Huic Gallo exequias gratæ celebrate volucres,
Vix ſimilis vobis poſtmodo Gallus erit.

Matthæo Roſelero. M. F.

HAC ego filiolus Roſceleri contegor vrna,
Spes exorta patri, ſed cito rapta meo.
Sæpe diu curis alij cruciantur acerbis,
Hic vbi ſunt miſeris omnia plena malis.
Me Deus oſtendit tantum, mox abſtulit orbi. "
O quanto melior ſors mea ſorte tua eſt! "

Matthæo Roſelero.

SParge roſas lacrymis madidas, ſubſiſte viator,
Hic roſa perpetuo digna vigore iacet.
Quæ roſa? non Roſelerus erat tibi cognitus ille?
Eximius Roſeæ ſplendor honosq; ſcholæ.
An notus non ille foret? Roſa candida ſalue.
Integer & niueus nam Roſelerus erat:
Fragrantemq; ſui paßim ſpirabat odorem,
Dotibus ingenij, dotibus eloquij.
Omnibus aſpectu gratus, ni vulnera ſpinæ
Senſißet varijs vita repleta malis.
Sic igitur Roſelere iaces, vt amabilis orta
Quæ roſa luce fuit, veſpere ſicca perit.
Dum roſa plena viret grata eſt, cum decidit illa, "
Arida tum nulli ſpina placere poteſt. "
Momento roſa tacta perit: ſic optima vitæ "
Pars fugit, & morti præda cruenta ſumus. "

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

" Necte puer roſeas tumuloq; appone corollas,
" Non dubius vitam ſic properare tuam.

Beatæ, coniugi Holgerij Geræ.

AVrati hic equitis Boßonis filia, coniunx
Holgerij Geræ, ſancta Beata cubat.
Pulchra animo, formoſa genis, & corpore toto,
Eximioq; decus confugiumq; viro,
Hac matre, & Carolus, fraterq; Georgius, vno
Cœperunt nati tempore luce frui.
Ambo Geranæ decus & pulcherrima gentis
Lumina, Palladij præſidiumq; chori.
Salue magna parens, patriæ fœcunda ſaluti,
Quam pariens geminos, iure Beata beas.

Benedicto Holgerio.

HIc Benedictus eques gemmato torque decorus
Enſifer, optatæ dona quietis habet.
Donec ad ætherij reuocatus lumina cœli,
Incipiat vita non pereunte frui.

Chriſtinæ vxori Caroli Geræ.

HIc Caroli Geræ coniunx Chriſtina quieſcit,
Præſtans ingenio, nobilitate, fide.
Cara Deo, dilecta viro, ſpes vnica nato,
Cum patre qui matris cladibus ingemuit.
Aſt illa ætherias inter decus heroinas,
Vitæ habet æternas nobilioris opes.

Hol

Holgerio Geræ.

HIC puer ingenio, præſtantiq́; indole clarus,
Spes patris & matris conditur Holgerius.
Holgerius, Caroli Geræ pulcherrima proles,
Cum quo iam veræ gaudia pacis habet.

Iohanni Kampferbego.

VIr bonus, & prudens, pietatis amator & æqui,
Patronus doctis confugiumq́; viris,
Hic Kampferbegus mortales condidit artus,
Orba viro tali clara Lubeca dole.
Hic pace & bello præſtans grauitate ſenator,
Suſtinuit patriæ grande ſalutis onus.
Deditus huic, toto cum nil antiquius orbe
Crederet, antiquam præſtitit ille fidem.
Ciuibus huic prodeſſe labor, ſuccurrere egenis,
Et prorſus nulli cura nocere fuit.
Nunc quam ſupremo vxorem præmiſerat anno,
Hanc vno ſequitur conſequiturq́; die.
Felix qui portum, dum nos iactamur in alto, „
Attigit, & cœli regna beata tenet. „

Aliud.

QVis ſitus hic? Chriſto et patriæ cariſſimus heros,
Maximus inuicto pectore, mente, manu.
Cuius non animum vis aut fortuna ſubegit,
Victus inaudita fraude doloq́; iacet.

Quis iacet? immani primo illum vulnere læſit
Seruus ad hoc ipſum turpiter emptus opus.
Mox contra ius & toties data fœdera rurſum
Saucius, ex alto præcipitatus obit.
Quæ diuæ aßiſtunt tumulo? prima optima rerum
Relligio ſciſſas dilaniata comas.
Altera quæ? Nemeſis, qua vindice conſcia cædis
turba cruenta Ad ſtygios ibit ſanguine tincta lacus.
At generoſe heros laus vita & gloria parta eſt
Non occidendo ſed moriendo tibi.

Ezechiæ Richio.

GRyphſuualdi decus, & medica Podalirius a
Et Pomeranorum cura benigna ducum
Ezechias iacet extinctus, quem magnus Apollo,
Et Charitum deflent Pieridumq́; chori.
Vix illo quisquam veraci ſuauior ore,
Aut fuit ingenua ſimplicitate prior.
Vix illo veræ pietatis amantior vllus,
Ingenio aut maior conſilioq́; fuit.
Vix quisquam norat medicas exactius herbas,
Aut ægris fidas applicuiße manus.
Contulit hoc docili felix Bordingus alumno,
Fidaq́; Felſineæ cura laborq́; ſcholæ.
Et nunc ille alios magna cum laude docebat,
Iam morbis pallor, febribus horror erat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Non tulit hoc Lacheſis, toties ſua fila teneri
Impatiens, ſæuam ſubſecuitq́; colum.
Dumq́; illum putat exanimem, verè ille ſuperſtes,
Gaudebat vita iam meliore frui.
Namq; illi æternam radix Ieſſæa ſalutem,
Radicisq́; dedit germine nixa fides.

Φιλαδελφία & obitus Georgij & Iacobi Fabriciorum.

Vixere vnanimi concordes pectore fratres
Iacobus & Georgius.
Hic equidem ſenior, nam natu maximus, illi
Fuerat magiſter & parens:
Officijsq́; ſimul meritisq́; adiuuerat olim,
Ornauerat, euexerat:
Non tamen idcirco vento turgebat inani,
Fratremq́; more patrui,
Antiqua grauitate rigens, terrere ſolebat,
Aut exprobrare iam viro
Quæ puero beneſeciſſet: non commoda fratris
Sibi arrogabat omnia.
Sed velut ex animo, non quærens propria, quondam
Annis minorem iuuerat:
Sic etiam verè complectebatur adultum,
Amore ſuaui & candido.
Nulla ibi ſuſpicio, nulla exprobratio, nullum
Faſtidium vel toruitas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Non ſalſo perfuſa ioci mordacis aceto
Nigræq; linguæ verbera.
Nulla ſupercilij nubes, ſimulatio nulla,
Et nulla diffidentia.
Nullæ etiam ſine corde manus, ſine pectore linguæ
Ingrata quarum gratia eſt.
Sed ſincerus amor, ſed amabilis illa venuſtas,
Et cuncta aperta & libera.
Sed fraterna fides, niueoq; in pectore candor,
Vereq; grata gratia.
Iunior hinc etiam ſeniorem ſemper amabat,
Et fratris & patris loco.
Velle duobus idem, ſed idem quoq; nolle duobus,
Eratq; cura mutua:
Vnus vt alterius ſua commoda crederet, illum
Et ſe putaret alterum.
Quidquid & optaret fieri ſibi, ſemper idipſum
Præſtaret alteri libens:
Vitalemq; ſibi vitam non crederet vnus,
Niſi altero ſuperſtite.
Hinc Iacobe tui poſt triſtia fata GeorgI
Saluus diu eſſe non potes:
Hinc deſiderio flagranti & victus amore,
Ætatis in flore tuæ
Occidis, & viuo vt fratri præſto eſſe ſolebas,
Et ſic ades nunc mortuo.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quin viuo potius; nam vos ſacra regia cœli,
Inter magiſtros optimos
Inter & eximios gaudet numerare poëtas,
Viroſq; candidiſsimos.
Cedite Tyndaridæ: fratrum par ſanctius hic eſt
Concordia & vera fide.
Hinc petite exemplum diſcordes nobile fratres,
Quos liuor & lis conficit.
Illuſtres animæ, viuas quas viuus amaui,
Domeſtico in conſortio;
Nunc quoq; poſt obitum veſtro ſaluete Chytræo,
Valete fratres optimi.

Ioachimo Holſtenio.

VIR veræ pietatis amans, vir ſtirpis auitæ
Gloria, laudatæ vir nobilitatis imago,
Qui iuuenis Turcas, per mille pericula victor,
Qui Gallos Italoſq; adijt ſæuoſq; Britannos,
Quiq; per Oceanum ſitientes vectus ad Afros
Aſſeruit Romanam aquilam, fortiſsimus heros
Hoſtibus haud tergo ſed vultu & fronte timendus:
Qui rediens, viduis columen, templiſq; ſcholiſq;
Confugium, cunctiſq; fuit ſolamen egenis:
Hac Ioachimus humo ſitus eſt Holſtenius ille
Corpora ſi quæris: cœli mens incolit arces.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nicolao Stoteroggio.

EXcellens iſta Stoteroggus conditur urna,
Condere tam magnum ſi breuis urna p
Conſule patre ſatus, conſul mox præfuit ipſe,
Lunæburga decus præſidiumq́; tuum.
Prima viro pietas cordi, vitæq́; beatæ
Gaudia, vulneribus Chriſte parata tuis.
Hinc populi patriæq́; parens ſic omnia fecit,
Publica priuatis ut potiora forent.
Largus opum, comis vultu, grauitate ſeuerus,
Mors ſimilis vitæ ſancta breuisq́; fuit.
Nunc proceres inter ſanctos cœliq́; ſenatum
» Quam naſci ſatius nos docet eſſe mori.

Andreæ Martino.

HIC ſcelerum terror, diuini buccina verbi
Martinus iacet Andreas, venerabilis ore
Auguſto, præſtans animi, zeloq́; verendus,
Itala quem iuuenem tellus cultiſsima vidit,
Dania quem magni pandentem oracula Chriſti
Obſtupuit, cum rege ipſo, regumq́; miniſtris:
Poſt etiam patrij quem templa ſcholæq́; Roſcti
Audiuere grauem eloquio, vitaq́; decenti
Innocuum. nunc ille caua iacet obrutus urna,
Templa, ſcholæ, domuumq́; patres et patria plang
Vix habitura viro ſimilem venientibus annis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Gerardo Paulo, in gratiam Andreæ Pauli F. V. CL.

HIC mea Paulinus ferali membra ſepulchro,
Et poſui moriens corporis oſſa mei.
Me claris Brunſuiga viris celeberrima, claro
Conſule prognatum fouit & erudijt.
Poſt quoq; Leucoream me prouida miſit ad Albim,
Doctrina vt fruerer magne Philippe tua.
Hinc patris Italicas iuſſu ablegatus in oras
Ingenio fructus vberiore tuli.
Attamen ante alias mihi clara ſcientia iuris,
Et placuit ſuperi lumina noſſe poli:
Mox iuuenis patrijs eſſem cum redditus oris,
Laudibus eloquij iudicijq; valens:
Vrbs populoſa meæ ſua ſæpe negocia curæ
Credidit, ingenij dotibus vſa mei.
Sæpe ego Muſarum pulcherrima caſtra ſecutos,
Adiuui larga ſuſtinuiq; manu.
Sæpe mihi magnas egit Reſpublica grates,
Conſilijs gaudens tuta vigere meis.
Sed Dominus veram patriam, veramq; quietem
Iam dedit. huic lætus carmina læta cano.
Patria cara vale, & noſtros complectere natos,
Vt facie ſimiles, ſic quoq; mente patri.
Tu quoq; cara vale coniunx, victrixq; dolorum,
Iam lacrymis facito triſtitiæq; modum.

Me

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

" Me ſine morte quies, ſine funere vita, ſine v
" Gaudia peccato, lux ſine nube beant.

Eraſmo Albero.

HIC ſitus Alberus, magni collega Lutheri
Qui fuit, & verbi buccina clara Dei.
Acta quidem patria eſt, ſed dicta docentis alum
Non quanta decuit relligioné tulit.
Nam grauis eloquio, vita ſanctiſsimus ille
Cum foret, & Chriſti vera doceret oues:
Non tulit hoc Sathanas: qui pulſum hinc inde v
Et voluit duræ pondera ferre crucis.
Teſtis Hauelus erit, Rhenus mihi teſtis, & Al
Damna quibus tanti ſunt bene nota viri.
Nunc tamen ingrati ridens conuicia mundi,
Præmia fert niueis palmea ſerta comis.
Scripta viri ingenium multis teſtantur in orb
Puraq́; Teutonicis carmina facta modis.
Tres natæ faciem referunt. Gertrudis at uxor
Permanet in viduo caſta decenſq́; toro.
" Quisquis es hunc auſus præconem lædere Chriſ
" Te grauis ira Dei, te tua pœna manet.

Annæ Molleræ.

HIC quoque cum reliquis tua ſtirps Heruo
proles
Molleri coniunx Anna ſepulta iacet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

nna bonis animi, formoſo corpore præſtans,
Inter honoratas nomen adepta nurus.
ra viro & ſoboli, dilectæ cara ſorori,
Nunc tamen in ſupera carior arce Deo:
ſt mortem quia morte caret mens dedita Chriſto;
Huic moriens firma ſe dedit illa fide.
tera ſic cœlo pars ceßit, & altera terræ,
Extremus donec iungat vtramq́; dies.
ui legis iſta, mori viridi quoq; corpore diſce, “
Mors, cum vita breuis ſit, procul eſſe nequit: “

Hermanno Carſtenio.

HAc iacet Hermannus, patri cognominis, vrna,
Ingenio excellens & probitate puer.
lara Lubeca illi patria eſt, Carſtenia vitam
Gens dedit, egregijs nomen adepta viris.
ec minus ille fuit materno clarus ab ortu,
Meieræ quis non nomina ſtirpis amat?
ic ſatus, & recte primis eductus ab annis,
Creditus eſt, rapto patre, columna domus,
t viduæ columen matri, doctoq́; bonoq́;,
Poſt Engelſtedio quæ bene nupta fuit.
riuignum verè patrio qui amplexus amore,
Illius inſpector dux ſtudijsq́; fuit.
oc duce Caſtalias Varni dimißus ad vndas,
Cœperat ingenio cultior eſſe ſuo,

Et ſu-

Et ſuperare pares: quod mors tamen improba
Non tulit, huic ſæuas intulit illa manus.
Carſteniæ ergo iacet ſpes optatiſſima gentis,
Reddita mens cœlo eſt, corpora condit hu
Fortunate puer roſeis cariſſime Muſis,
Annua quæ matris munere dona ferunt,
Molliter hic placideq́; iſta ſub mole quieſce,
Te tuba viuifico dum vocet alta ſono.
" At tu diſce mori. pueri ſi conſpicis vrnam,
" Quis ſcit an ad metam te quoq; fata trahan

Iohanni Durero.

TRaua dole, tuus ecce iacet Durerus alum
Qui magno ingenio, corpore paruus e
Calliope placidis natum quem vidit ocellis,
Cui facilem tribuit doctus Apollo chelyn.
Quem Varnus triplicis myſteria pandere ling
Et numeris cœli vidit adire plagas.
Quem Nicer & Viadrus, cumq́; Albi flauus E
Mirati vultus exſeruêre ſuos.
Nunc tamen ille iacet diuturna tabe peremptus,
Deploratq́; decus Muſica turba ſuum.
Varne gemis, repetuntq́; tui ſua carmina cygni,
Tu Durere poli flammea tecta ſubis,
Ante alios fœlix, famaq́; ſuperſtite viuus,
" Principium vitæ eſt tam bene poſſe mori.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Alberto Kirchouio.

Spes generis, fratrumq́; decus, matrisq́; voluptas,
Huic dedit Albertus membra caduca ſolo.
Qui genitor Bartoldus erat, quo conſule quondam
Res fuit optato Roſtochiana loco.
Hic puer ingenium ſtudijs & moribus ornans,
In varijs adijt clara Lycæa plagis.
Delia teſtis erit, mihi Sequana teſtis & Albis,
Cumq́; Moſa & Ligeri Matrona teſtis erit.
Qui videre ſuæ ſpaciantem in marginæ ripæ,
Cum peteret cupido Celtica regna pede.
Illic ciuis eum Biturix dilexit, & acres
Ingenio & legum cognitione viri.
Quorum doctiloquo ſtudioſus ab ore pependit,
Aſtrææ addictus Pieridumq́; gregi.
Subdita tum gladijs nondum ſacra iura ſilebant,
Sed pax Muſarum dulcis alumna fuit.
Aſt vbi concuſsit ſtreperum Bellona flagellum,
Et furiæ celebres diripuere ſcholas;
Redditus eſt patriæ, iuuenilibus integer annis,
Spes erat hunc multos vincere poſse pares.
Non tulit hoc Lacheſis, quæ primo in flore iuuentæ,
Crudeli abrupit pendula fila manu.
Varne dole, repetantq́; tui lugubria cygni
Carmina, nam nymphis ſpes iacet ampla tuis.

Vt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

» Vt puer accenſam ſtillante bitumine tædam,
» Aut fouet, aut lapſo cœlitus imbre necat:
» Momento ſic vita leui iam robora ſumit:
» Iam ſubitò in cineres, morte ſoluta, redit.
» Felix qui ſuperûm lætas ſuſceptus in arces,
» Tranſigit æternos abſq; labore dies.

Magdalenæ Schœzeniæ.

MAgdalis hic Haßi carißima conditur vxor,
Vxoris ſpecimen fœmineiq; gregis.
Quæ cum nobilibus prognata parentibus eſſet,
Et iam coniugio proxima virgo foret:
Maluit ætherei præconi nubere verbi,
Illum nobilibus prætulit ipſa procis.
Illius è vultu formoſa modeſtia, virtus,
Et pudor, & probitas luxit & alma fides.
Dona quid ingenij, quid formæ munera laudem?
Quidúe ſui fuerit quam ſtudioſa viri?
Cætera quid repetam? nihil hac vrbs pulcrius inter
Fæmineos habuit Roſtochiana choros.
Non tamen erubuit tantum decus improba peſtis
Tollere, nec ſummis parcere ſueta viris.
Exanimem luget pietas, dolet ipſe maritus,
Pro thalamo tumuli iam monumenta videns.
Sed tu, qua gaudet iam ſede puerpera cœli,
Sidereas inter ludis ouasq; nurus.

Dile-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Dilectoq; optas felicia cuncta marito:
Cum gemitu & lacrymis qui tua fata dolet.
Cui tu cara quidem fueras, ſed carior ipſis
Cœlicolis, ſummo carior atq; Deo.
Huic quicunq; placet, moritur cito: Magdalis illo
Sicut & in numero, tam cito rapta, fuit.

Aliud.

PRO Chriſto contra Turcam qui bella ſecutus,
Auxilio Iſtricolis Pannoniæq; fuit.
Hec viuens ſibi Chriſtophorus monumenta parauit
Chriſtophorus, mortis cum pietate memor.
Vt belli requiem cœleſti à principe nactus,
Hic olim latitans ocia pacis agat.

Danieli Rantſouio.

CONſilio dextraq; potens, & gloria Martis,
Hoc ſitus eſt Daniel marmore Rantſouius.
Cimbrica gens patriam, præclarum Goſgius ortum
Præbuit, antiqua nobilitate parens.
Leucoris ingenium excoluit, gens Itala mores
Et linguam, fortes Gallia culta manus.
Omnia quæ patriæ rediens conuertit in vſum,
Dum caput eſt belli Rex Friderice tui.
Dum ſponſæ & vitæ patriæ præponit amorem,
Et ruit intrepida ſponſus in arma manu:
Pro patria nunc ille iacet, non enſe peremptus,
Machina muralis talia damna dedit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Defunctum luget virtus, Rex, patria, fratres,
Sponſa, Fides, Bonitas, Cypria, Pallas, Hy
Hoſtis & ipſe dolet, rapuit lux vna, ſed illi
Poſtmodo vix ſimilem ſecula longa dabunt.

Eidem.

CVI robur Diomedis erat, cui pectus Vlyſſis,
Hoc Daniel tegitur marmore Rantſoui
Cimbrica gens patriam, præclaros Goſgius ort
Præbuit, ingenium Leucoris excoluit.
Qui mores, arma & linguam callebat ad vng
Romule cumprimis culteq́; Galle tuam:
Præclaram qui ſpem patriæ regiq́; ciebat,
Dum gerit intrepida fortia bella manu:
Pro patria nunc ille iacet. num clarius vnquam
Aut potuit naſci, ſplendidiuſue mori?

Eidem.

QVOd rarum eſt, Marti & Muſis cariſſi
heros,
Rantſouius præſtans corpore, mente, manu
Hic cubat. æquales virtuti credidit annos
Parca virum rapiens, quem putat eſſe ſenem
Sed domitrix fati Muſa eſt, & gloria Martis
Durat in extremos non peritura dies.
Ambos Rantſouius meritis ſibi fecit amicos,
Illius hinc ſemper nobile nomen erit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hermanno Carſtenio.

SAnguine patritio Trauæ prognatus ad vndas,
Inſtat vbi Arctoo clara Lubeca mari,
Carſtenius iacet hîc, clara puer indole notus,
Et columen matri præſidiumq; domus.
Ille tener Roſeam Varni dimiſſus in vrbem
Dum ſtudet ingenio cultior eſſe ſuo:
Abripitur ſuperas Chriſto dilectus in auras,
Pars vbi Gymnaſij nobilioris erit.
Rector vbi doctorq; Deus, cui tota piorum
Concio, & aligerum plaudit ouatq; chorus.
Siſte tuas mater lacrymas, nam carior ille,
Quam tibi, ſiderea viuit in arce Deo.
Omnia ſunt hominum gemitus, labor, omnia luctus, "
Qui mortem effugeret nullus in orbe fuit. "
Nil hic forma poteſt, nil primo in flore iuuentus, "
Fretus opum cumulo mox iacet in tumulo. "
Omnibus hiſce malis liber, tuus æthera natus
Incolit, æternis perfruiturq; bonis.
At tu qui niueos iam cernis in arbore flores, "
Quos dedit & ſubito mobilis aura rapit: "
Diſce tibi agnatos alieno in funere caſus, "
Et memor eſto dies ſic properare tuos. "

Catharinæ Celichiæ.

CElichius Chriſti præco, vateſq; fidelis,
Filiolæ hic poſuit membra tenella ſuæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quæ quia ſanguinea lota eſt baptiſmatis vnda;
Nomine, quin etiam re Catharina fuit.
Munda Deo, dilecta patri, ſed carior orbis
Rectori, in cuius iam cubat illa ſinu.
Et pater in terris Chriſti dum ſeruit honori,
Eloquioq́; pio carminibusq́; pijs:
Sidereis Catharina choris caſtisq́; puellis
Addita, cœleſti concinit ore Deum.

Ioanni Flaminio.

ECquis non doleat? quis lacrymis modum
Nunc vllum ſtatuat? quando vir optimus
Muſarumq́; decus concidit aureum.
Quando flos Charitum iacet.
Ergo Flaminium, Flaminium meum,
Mors velox manibus ſuſtulit inuidis,
Cui ſimplex pietas, iuſtitia & fides,
Laudem contulit inclytam.
Mitis cui bonitas, puraq́; veritas,
Inq́; amplis opibus rara modeſtia,
In Muſasq́; ſacras munificentia,
Quando vllum inuenient parem?
Cunctis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quam miſero mihi,
Qui patrocinio deſtituor viri,
Quo ſol nil melius videt.

Cum quo ſancta fides, & mea gaudia,
Cum quo Pieridum ſpes iacet obruta
Nocturnis tenebris, & Charites latent
Tectæ nube ſilentij.
O ſi iam liceat fata recludere
Effuſis precibus & querimonijs!
O huic ſi redeat ſanguis imagini,
Tam caro & capiti decus!
Sed fruſtra gemitu talia lugubri,
Quin & Flaminium non ita creditum
Cauſſantes petimus. quod fieri nequit,
Molleſcat patientia.
Arces interea tu colis igneas,
Illuſtres animas condecorans tuo
Vultu, colloquio, cantibus, & Deum
Mundi conſpicis immemor.
In terris ſed ego, quod tibi debui,
Perfuſo calidis carmine lacrymis,
Muſæ trado tuum iam Polyhymniæ
Nomen, laude superſtite.

Barbaræ Fabriciæ Matri cariſs.

Tu quoq; cara parens non re, ſed nomine tantum
Barbara, in hoc tumulo morte perempta iaces.
Morte quidem ſubita nimium natisq; patriq;,
Qui crebro officijs indiguere tuis.

Sed tu cara parens meliori ſede recepta,
Deſpicis humanæ conditionis onus.
Felicesq́; inter fœlicior ipſa, ſupremo
Grata facis, blando dicis & ore Deo.
Da Deus vt quondam matri coniunctus amatæ,
Grata tibi ſimili conditione canam.
Interea hos dilecta parens cum carmine fletus,
A nato ſummi pignus amoris habe.

Theophilo Chytræo fratri.

ET tu care mihi, Chriſto ſed carior, vrna
Frater in hac tenerum corpus & oſſa
tegis.
Scilicet vt ratio te nominis apta monebat,
Paruulus ætheria ſede receptus obis.
» Dilectus ſuperis, vereq́; Theophilus ille eſt,
» Qui patitur primo funera flore puer.
» Iam mihi dic, toto quid ſit precioſius orbe,
» Quàm puerum ſummo complacuiſſe Deo.

Titis Chytræis duob. F R B.

VOS etiam viridi fratres ætate perempti,
Quorum habuit magni nomen vterq; Titi,
Corporis hac poſuiſtis humo fragmenta tenelli,
Æternæ mentes gaudia lucis agunt.
Coniunctæq́; patri caro, matriq́;, viciſſim
Oſcula dant matri baſiolumq́; patri.

Cœle-

Cœleſteſq́; animas inter, pueroſq́; beatos,
Exercent hilares ad caua plectra choros.
Viuite felices animæ, æternumq́; valete,
Donec & ad ſuperos me mea meta vocet.
Interea has lacrymas dilecto à fratre profuſas,
Carmen & hoc animi pignus habete mei.

Mariæ Chytrææ Sorori.

ET tu præ reliquis mihi cara ſororcula ſalue,
Sidereæ nomen quæ genitricis habes.
Tu forma, ingenio, præclaraq́; indole, longè
Es ſolita æquales vincere parua tuas.
Balbutire tibi tenero vix ore licebat,
Cùm poteras tremula fundere voce preces:
Doctrinæq́; ſacræ cùm fundamenta teneres,
Literulas tenui iungere docta ſono.
Vnde pio ſpes magna patri, matriq́; voluptas
Orta, ſed exiguo tempore rapta fuit.
Scilicet angelicæ viſa aptior eſſe cohorti,
Paruula cœlicolis es ſociata choris.
Voce ubi nunc, teneraq́; manu, facieq́; venuſta
Plaudis, & ad patrios ludis ouaſq́; pedes.
Vtinam ſimili mihi blanda ſororcula vultu
Occurras, cœli cùm ſacra tecta petam.
Porrectaq́; manu, tenera me voce ſalutes,
Fratris & infigas oſcula mille genis.

Fallor an adueniet celeri optatiſsima curſu
Lux ea, non adeo quam procul eſſe puto.
Lux ea finis erit cunctorum & meta malorum,
Et fons lætitiæ principiumq́; nouæ.
Hac pariter ſi Chriſte voles, poſt fata fruemur,
Interea placidè cara quieſce ſoror.

Dauidi Aetio ſororis filio.

ET tu blande nepos Helena prognate ſorore,
Dauid in hoc numero commemorandus eris.
Non mihi viſe quidem, ſed nomine care parentis,
Hic tua ſunt humili condita membra loco.
Quod ſi vera mihi de te bona fama recenſet,
Corpore in exiguo mens tibi magna fuit.
Et ſi vita tibi paulò data longior eſſet,
Par fueras patri parq́; futurus auo.
Sed quia Pſalmographi nomen te nobile regis,
Dilectum miti prædicat eſſe Deo:
Prorſus & in toto nihil eſt optabile mundo,
Cunctaq́; ſunt vitijs, cuncta repleta malis:
Te non ille diu miſera tellure relinqui,
Sed voluit ſupera luce domoq́; frui.
Parue puer, pueroq́; puer cariſsime Chriſto,
Salue omni felix tempore, parue puer.
Et quibus orno tuam dilectus auunculus vrnam,
Carmina ſinceri pignora cordis habe.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Annæ Vœgelinæ.

Fida mente Deum, fido quæ corde maritum
Dilexit, clari filia clara Papæ,
Hic cubat Erneſti coniunx cariſſima, luge
Quisquis amas tanti prela typosq; viri.
Non illo melius quidquam, non doctius, inter
Egregios edunt qui bona ſcripta viros.
Non etiam melius quidquam, non ſuauius illa,
Non pietate prius, non bonitate fuit.
At nunc ille gemens, Anna cum coniuge condit
Gaudia, lætitiam, deliciasq; ſuas.
Et niſi ſpem faceret mundi ſeruator Ieſus,
Non poſſet rupto viuere coniugio.
Hic luctus minuens, animum ſpe diuite paſcit,
Et ſpondet ſuperæ gaudia certa domus.
Hæc olim veteres iterum renouabit amores,
Et dabit æterna poſſe quiete frui.
Quisquis es, ô nimium rebus ne crede caducis, "
Securas pulſat mors inopina fores. "

Rodolpho Machenio.

Ciuis amans patriæ, nulli bonitate ſecundus,
Hic ſua Machenius buſta Rodolphus habet.
Integer, innocuus, veraci candidus ore,
Iuſtitiæ, fidei, ſimplicitatis amans.
Non illo duce vel ſocio diſcordia ciues
Extulit in patriæ damna necemq; ſuæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Non illo duce vel ſocio plebs vana, regentes
Inſurgens contrà, tela faceſq; tulit.
Vrbis honos illi & pietas ante omnia cordi.
Atq; adeo nulli cura nocere fuit.
Huic, vbi iam pacem turbari denuo ſenſit,
Donauit cœli regna beata Deus.
Paruit ille libens, quia deſijt illa videre,
Quæ viuo grauius morte videre fuit.
Quiſquis es, has placidi laudes imitare Rodolp
Opprimet & patriam nulla ruina tuam.

Andreæ Vueslingo.

FRiſia quem genuit, ſtudijſq; Colonia primis
Imbuit, & ſacras docuit quem Leucoris arte
Quemq; audiuerunt tractantem Ebræa Boruſſi,
Grammaticumq; ſacræ linguæ quem Varnus ama
Pelle quieſcentem in propria, & maiora negan
Viribus apta ſuis, ſitus hac Vueſlingus in vrna
Longæuus multis habitus dictuſq;. ſed inſit
» Cum nihil humanis firmum & durabile rebus,
» Nil proprium; longi merito quid dixeris æui?
» Quid vitrum fragile à fracto differre putandum

Eliſabethæ Clingiæ.

HIC matrona iacet nulli virtute ſecunda,
Fida tori conſors Bartholomæe tui.
Cara Deo, dilecta viro, laudata per vrbem
Omnibus ob fidam munificamq; manum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

uca ſed apta loqui, placide parere marito,
Cuſtodire domum cui pia cura fuit.
am pudor & probitas, blandiq́; modeſtia vultus,
Et veræ ornauit relligionis amor:
ua duce iam moriens mortem non ſenſit acerbam,
Viſa ſoporifera feſſa quiete frui.
go foris pariterq́; domi hac conſorte beatus
Clingius, id donec fata tulere, fuit.
ando domo in pulcra nil compare pulcrius iſta,
Nouerat aut cordi carius eſſe ſuo.
q; ideo grauius, tam ſæuo ſaucius ictu
Ingemit, orbato pectore parte ſui.
or quem, ſupera deſpectans mitis ab arce,
Eſſe animo læto, lætior ipſa, iubet.
m nil paſſa mali, ſedes nunc incolat illas,
Quas Deus & cœli gens numeroſa colit.
q; adeo ſimili claudas tua tempora fine,
His te compellat, quisquis es, illa ſonis.
ſancte moriare olim, bene viuere diſce, "
Et bene quò poſsis viuere, diſce mori. "

Hectori Æmylio.

Hic ſitus eſt Hector, non is quem Troia candentem
Ingemuit columen præſidiumq́; ſuum.
rum alius, ſimul Æmylij qui nomina nactus,
Concidit ad Clarij pulcra fluenta Nicri.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Qui tantum ingenio potuit linguaq́; ſonora;
Priamides quantum viribus, enſe, manu.
Non negat hoc Biturix, iuueni qui laurea ſerta
Ceu legum eximio cognitione, dedit.
Qua contentus agens, alijs ſua iurgia liquit,
Actaq́; perplexi litigioſa fori,
Interea ſtudijs & amicis deditus, inter
Quos Ciſnere etiam nobile nomen habes:
Iam quoq; defuncti qui perſtudioſus honoris,
Vis lacrymis iungi carmina noſtra tuis.
„ At tu finitimam qui conſpicis Hectoris vrnam,
„ Prætereas quamuis, non tamen effugies.

Autor, mortis memor, ſibiïpſi.

Θνατὸς ἐγὼ Νάθαν ἑνὸς ἀθανάτοιο θανόν-
Θνήσκων σὺν πόλλοις, νῦν γέγον' ἀθά-
νατος.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

ECLOGARVM ET EPISTOLARVM SATYRICARVM LIBER.

Ad illuſtriſs. Principem, D. Gulielmum, Cliuorum, Iuliæ, & Montis Ducem.

MAGnanimis dum maior auis Gullelme, penates
Varniadum paruos maximus hoſpes adis:
Lætantur Muſæ, niuei lætantur olores,
Ipſa urbs hoſpitij gaudet honore tui.
Proſequitur voto te Muſicus ordo fideli,
Hic ſpecimen cuius dux generoſe vides.
Si locus exiguis, inter tot ſumma, camœnis,
Siq; vacat, quæſo carmina pauca lege.
Nec ſtudijs te patronum, te pacis adorant,
Teq; optant faciles ire redire vias.
Nec patriæ tibi ſinceros teſtantur amores,
Quamq; tui reditus ſit ſtudioſa, monent.
Viue diu incolumis noſtro dux optime ſeclo,
Omnia ſint vitæ candida fila tuæ.

EC-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

CLEVVS.

NVper vbi æquoreas illinc Moſa tendit
undas,
Hinc ſua paulatim diffundere cornua Rhenus,
Incipit, inſolitis ripas implere querelis
Non ceſſabat agens lacrymarum flumina Cle
Paſtores gregis eximios & ouilia plorans
Præſidijs viduata ſuis, quæ maximus ille
Paſtorum Melibœus amor luſtrare ſolebat:
Vos mihi Pierides Cleui memorate querelas.
Egregij Cleui, quo non formoſior alter,
Non adeo diues pecoris, non diues agrorum,
Lanigeras ſectatur oues in margine Rheni.
Dicite, namq; eius perhibent ad carmina nymph
Obſtupuiſſe maris, ſiluas gemuiſſe: nec vllos
A paſtu veniſſe boues ad flumina, nullos
Gramina tum tetigiſſe agnos, cytiſumue capell
Sic igitur Cleuus mœſto comitatus Iulo,
O noſtrum decus! ô noſtri quoq; cauſa doloris
Et gemitus Melibœe! quibus iam viuis in oris!
Cum caris operum ſocijs defenſor ouilis
Eximius: te prata vocant, te læta tuorum
Paſcua: nil ſine te gratum nec amabile quidqu
O cur permiſi, vt noſtris egreſſus ab agris
Mutares patriæ ſedes & dulcia rura?

O

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

O cur non comes eſſe tibi, ſociusq́; laborum
Tum potui? quando pulcros pulcherrimus inter
Ingrederere vias: non me vel murmura ponti,
Ventorumúe minæ, non nubibus Auſter aquoſis
Terrerent: ego prima viæ diſcrimina fortis
Aggrederer, tu me tutus ſequerere: tibiq́;
Nulla profecturo vis aut fortuna noceret.
Teq́; reuertentem (quæuis mora lædit amantes)
Feſtino, celeriq́; gradu mea rura viderent.
Nunc aliud viſum ſuperis. mea gaudia tellus
Nunc aliena tenet: triſtes & nuncius aures
(Omina ſint procul & mœſtæ præſagia mentis)
Perturbat, longæq́; viæ cœptisq́; minatur.
Sed meliora iubet ſummi clementia cœli,
Ipſiusq́; Dei bonitas ſperare timentem.
O nimium diuturnus abes Melibœe, reuerti
Quid ceßas? pecoriq́; tuo pecorisq́; magiſtris
Reddere lætitiam ſolitam, veteresq́; camœnas?
Quæ nimium ſiluere diu: paſtoria nuſquam
Fiſtula dulce canit: pecudes, armenta, volucres,
Omnia muta ſilent: philomelæ noctua, alaudæ
Succeßere ſtriges, & rauco murmure ranæ.
Quid memorare opus eſt, hoc quam mihi tempore ſe-
Prorepant, tardiq́; dies? quam deſide curru, (gnes
Inuitis & Phœbus equis ſeſe æquore condat:
Vt geminæ noctes, ſolitoq́; ignauius horæ,

Ipſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ipſe & cum ſtellis lentè voluatur Olympus.
Ah quoties nimio forſan compulſus amore,
Deuoueo longasq; vias, cauſasq; morandi!
Ah quoties numero tardi momenta diei!
Et menſes ſegni labentes increpo curſu!
Inuideoq; alijs, qui te Melibœe tuosq;
Aſpiciunt, vultusq; tui ſplendore fruuntur. (di
Quando erit hæc Melibœe dies pulcherrima, quan
Quando erit, incolumis patrijs qua redditus agris
Gaudiaq; & plauſus tecum ſublata reducas?
Ipſe ego nec calamos vidi, nec labra cicutis,
Dum tu lentus abes, tetigi, verſusq; coactus,
Sæpe reluctando plectrum lugubre refugit.
Et ſine te quæcunq; agerem, lacrymoſa fuerunt.
Mollia quamprimum nobis te fata reducent,
Carmina ſponte fluent innumeris iteranda ſonori
Tunc ego læta canam, et veteres meditabor amore
Interea ſilet omne nemus, mutæq; volucres,
Paſcua muta ſilent, tecum omnis rura voluptas
Deſeruit, paucæ lapidoſa in rupe capellæ,
Carice, ſpinoſoq; rubo paſcuntur, amati
Graminis immemores, puræq; in fontibus undæ.
Vt ſine ſole dies, lunæ ſine ſidere nox eſt,
Et ſine vere annus: ſic te Melibœe, tuoq;
Orba patrocinio ſqualet triſtiſsima tellus.
Tu ruris Melibœe decus, tu ſumma voluptas.

Sæpe huc, præteriens, celſa de puppe magiſter
Lumina conuertit, victuſq́; doloribus, inquit:
O fortunatos nimium quos cernimus hortos!
Dum cultor Melibœe fores, ô aurea prata,
Dilecti Melibœus erat dum paſtor ouilis,
Nunc ô nunc miſeros hortos, infauſtaq́; prata.
Dum paſtor Melibœus abeſt, cultorq́; fidelis.
Quam vereor rigido ne culta noualia roſtro
Porcus aret, vites ne lædat dente tenellas
Obſcœnus caper: extinguens monimenta laboris
O Melibœe tui. tu dum peregrina tueris,
Occurritq́; animo quam dulcia liqueris arua:
Dum tacitus tecum huc oculos & pectora vertens
Ingeminas, terra iſta meos mihi ſeruat amores,
Non infauſta olim, mea quando infantia cœlum
Vidit ibi, ſonuitq́; meis vagitibus aër:
Tunc, inquam, memor eſto tui pulcherrime Cleui,
Qui te plus oculis, aut ſi quid carius vſquam
Eſt oculis, amat, & veros ſpe nutrit amores.
Et magis vt fatear, de te, redituq́; tuorum
Anxius eſt: quam tu ipſe tuis ſemotus ab aruis,
Tanta tibi vis eſt mentis, conſtantia tanta,
Tanta animi virtus, nullo ſuperanda periclo.
Si tamen æthereis ſuperum regnator ab oris
Hæc terrena videt: cura ſi tangitur vlla
Paſtorum gregis innocui, ſi flectitur vllis

Obſeqnijs : Melibœe tuo te reddet ouili,
Paſtorumq́; omnes luctus in gaudia vertet.
His ille atq; alijs implebat mœſta querelis
Litora, nec finem lacrymis ſtatuebat amaris.
Haſq́; repercußis iterabat vallibus Echo,
Decliui donec proceßit veſper Olympo.

ECLOGA II.

IVLVS.

IAmq́; iterum medio Phœbus lucebat in axe,
Cum memor abſentis Melibœi orbatus Iulus
Inſtituit Cleui veteres iterare querelas:
Et mœſtus gelidi reſidens in vertice ſaxi,
Sic ait. hic locus eſt lacrymis & fletibus aptus,
Et nemo qui turbet adeſt: ſuſpiria cur non,
Cur non & plenos lacrymarum fundere riuos
Incipiam? Melibœus abeſt, pecorisq́; magiſtri
Eximij, quos omne nemus, quos tota requirunt
Paſcua, quos omnes plorant in ouilibus agni.
Quis ſine nec gratum eſt quidquam nec amabile Iulo?
Plura locuturum prænuncia fama, per auras
Lapſa, interpellat, quæ te Melibœe tuosq́;
Aduentare iterum & notis ſe ſiſtere ripis
Clamat ouans, primoq; illi vix credit Iulus,
Conuictus tamen, erectis ad ſidera palmis
Sic ait, exultans animis, qua voce, quibusq́;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Elogijs Melibœe tibi mea gaudia teſter?
O oculus, lumenq́; gregis: quo carmina tandem
Vos ſaluos reducesq́; canam? quo cordis amorem
Eloquio teſter? neq; enim ſua gaudia pectus
Iam capit, ad iuſtos deſunt mihi brachia plauſus.
Salue feſta dies: ſalue ô Melibœe, labantis
Subſidium columenq́; gregis. ſaluete reuerſi
Paſtorum proceres, & tu Melibœe reuerſe.
Salue iterum, noſtri ſpes optatiſſima ruris,
Qui tot læta ſimul cumulo mihi congeris uno,
Omnia præteritæ renouas qui gaudia vitæ.
Hinc aberas, aberat pariter blandiſſima Nais,
Naïadumq́; timor Satyri, Fauniq́; latebant.
Hic ades, hic adſunt tecum blandiſſima Nais,
Naïadumq́; timor Satyri, Fauniq́; triumphant.
Tu Melibœe tui cuſtos & rector ouilis;
Tu cum lentus abes, notos ubi deſeris agros,
Omnia nox aperit, mortiq́; ſimillimus agnos
Torpor habet, ſqualent pigro late omnia luctu.
Rurſus ades; redeunt tecum noua gaudia, tecum
Omnia læta vigent, & lumen amabile totos
Implet agros, recreans teneros in ouilibus agnos.
Iniuſſæ veniunt iam nota ad mulctra capellæ,
Flumina nota petunt armenta, & paſcua nota,
Iam philomela redit, blandæ rediere volucres,
Glande tument ſiluæ, dulces à vitibus vuæ

Dependent, puris manant è fontibus vndæ,
Paſcua læta virent, gelidas paſtoribus vmbras
Dat nemus, atq; hilares reſonant arua omnia pla
(ſ
Non aliter peregrè patrijs abiturus ab oris
Dilectus genitor, prolem paruoſq; nepotes
Sollicitus linquit, triſteſq; & multa timentes:
Donec confectis rebus, victoq; periclo
Ille idem patrias ſeſe exoptatus in ædes
Inferat, hic ſuaui ſaliunt præcordia motu,
Hic reſonant magno circum laquearia plauſu.
Tu pater hic Melibœe tuis, tu gaudia tanta
Aſpectu redituq; moues. pater inclyte ſalue,
Salue iterum, lætoq; tuos pater aſpice vultu.
Qua grates tibi voce canam rex optime cœli,
Paſcua læta iterum lætis Melibœus in agris
Quod colet, & mœſto plauſus renouabit ouili.
O lux exoptata diu, lux aurea ſalue,
Salue iterum, tu quod ſeptem compacta cicutis
Fiſtula dulce melos repetit, quod iubila tollo,
Pectore quod pulſis noua gaudia ſentio curis:
Munus id omne tuum, tu me reficiſq; foueſq;,
Tu facis vt ſaliant imis præcordia fibris.
Nunc aras lætis ab ouilibus imbuat agnus,
In reditus Melibœe tuos votiuus: ibidem
Thura crepent, placitura Deo, qui te mihi tandem
Te patriæ & toti reducem ſeruauit ouili.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hei mihi tam fauſtæ quiſnam præconia lucis
Vt par eſt, celebrare queat? quis dicere laudes,
Vt dignum, Melibœe tuas? ſplendeſcere cœlum
Clarius ipſe vides, motare cacumina quercus,
Lætari ſiluas, totosq́; armenta per agros.
Aſpicis exultare greges, accurrere lætos
Paſtores ouium, & ſaltu trepidare bubulcos,
Matronas, pueros, iuuenes, blandasq́; puellas,
Cunctaq́; te reducem vultu expectaſſe ſereno.
At tibi ſi ſocijsq́; tuis Melibœe darentur
Cœleſtes oculi, & tales qui pectoris acri
Senſa vident penetrantq́; acie; dij qualia vota,
Dij quales riſus tandem, quæ & quanta videres
Iubila, quos plauſus imis geſtire medullis!
Lingua deeſt animo, nec ſi mihi guttura centum
Sexcentæue manus, blandi aut vox Daphnidis eſſet,
Paſtorum celebrare ſatis tibi gaudia poſſem.
Quam me deſtituunt non apto tempore Muſæ
Sicelides! laudum forſan ſplendore tuarum
Attonitæ: deſiſto igitur, tu maxime paſtor,
Præſidiumq́; lupos contra vulpesq́; doloſas,
Viue diu Melibœe, tuo ſpes dulcis Iulo,
Nec ceſſet Lacheſis niueo tibi ſtamine longa
Ducere fila manu, Melibœi vt tempora nunquam
Triſtia funeſto conturbent licia rhombo.
Hac nuper voce exultans gaudebat Iulus,

Audiuit Moſa cantantem, Rhenusq́; tricornis,
Audijt & Varnus ſpumoſis cygnifer undis.
Omnia quæ pulſæ retulere ad ſidera valles,
Ruraq́; mirifico ſonuerunt undiq; plauſu.

In epiſtolam ſequentem, ad Lectorem candidum Epigramma auctoris.

HIc ego non vnam gentemue vrbemue, ſed omnes
Hoc ipſo, ſi ſint, nomine pungo reos.
Non alios igitur, ſed te quoq; crede notari,
Si labem hic videas conſcius ipſe tuam.
Quin illam emenda potius, defendere noli,
Sic finem attigerit Muſa iocoſa ſuum.

Epiſtola Satyrica contra Peſtem.

Ad D. Antonium Vuittershemium, I C. C L.

DVm lue peſtifera circumdamur undiq;, et om
Nunc etiam noſtras peſtis primordia tangunt
Vis ſcire ecquid agam? Antoni cariſsime Muſis,
Aſtreæ, Themidisq́; decus, Suadæq́; diſertæ:
Accipe, ni graue ſit: ſtudijs, velut hactenus, omni
Conatu incumbo, ſecurus cætera, quamuis
Paulo poſt ad me ventura pericla videnti

Neptunum procul è terra ſpectare furentem
Forte eſſet ſatius. Sed quem fugiamúe ſequarúe
Neſcio, tam latè circum hæc contagio ſerpit.
Præterea ægrotare foris cum coniuge, natis
Et teneris, patri quam ſit graue, triſte, dolendum.
Cuiuis credibile eſt. his caros adde libellos,
Quis ſine uitalem deſpero ducere uitam.
Æquo igitur promptoq́; animo cum coniuge fida,
Cumq́; libris, totaq́; domo, natisq́; manebo,
Chriſto uno fretus, cuſtos qui maximus olim
Vt potuit, ſic in medijs defendere flammis
Iam quoq; uult poteritq́; ſuos. Veruntamen idem
Torqueor interdum, nonnunquam rideo miros
Hoc ſub ſole homines, ſatis expurgare cicutæ
Quos nullæ poterunt. decimus uix labitur annus,
Cum ſæuam. immanem, & ſolo ſermone tremendam
Experti peſtem, heu aliquot millena per urbes
Amisêre hominum, tantum exſuperante ueneno.
Quin multos, qui nunc uiuunt, aggreſſa, fideli
Indignos medicorum opera indignosq́; salute,
Reſtitui peſtis paſſa eſt, ut poſtmodo noſſent
Cum ſibi, tum patriæ, carisq́; cauere propinquis.
Sed nihil effectum eſt, antiqua incuria, (dura
Molliter ut dicam) cunctos tenet. inde uenenum
Spernitur, & nihili eſt, patet atræ ianua peſti,
Quandocunq; uolet certam hic ſibi ponere ſedem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cur ita perſuaſum mihi ſit, niſi diſplicet, audi.
Optimus hic equidem eſt ipſisq; Aquilonibus aër
Peruius, & putridis non crebro obnoxius auſtris
Temperies cœli, ratione ſitusq; lociq;
Non culpandá foret, niſi ſtulti inſania vulgi
Ipſam ſe inficeret, cunctis rationibus aures
Turpiter occludens, atq; ingenioſa ſagaxq;
Perniciem in propriam, ſeruari velle negares.
Si libet aſpicito plateas, quam ſordibus illæ
Omnimodis ſint infectæ. iam putre cadauer
Anſeris, aut ſuis, aut felis, capræue canisue
Olfacies mane impranſus. mictum atq; cacatum
Ex olidis multos cernes erumpere cryptis,
Vna vbi cum porcis (quis non porceſcere dicat)
Sunt geniti, facti, educti, paſcuntur ibidem
Turpis haræ indigenæ à pueris ad ſera ſenectæ
Tempora, communi ſine ſenſu, & naribus orbi.
Quas cryptas ſi prætereat quis mane, cloacæ
Halitus vſq; adeo tæter ſentitur, vt ipſe
Miretur ſe non motu vel ſenſibus orbum
Concidere, accepta vt plaga procumbit humi bos.
Quod ſi olidis iterum obſcœni ſubiere cauernis,
Pondere depoſito; in vicis hinc inde trilibres
Aſpicies merdas, cognatis pabula porcis.
Hinc vetula effundens laſanum fumoſa loquaxq;
Prodit, & indigno refugit fœtore relicto.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Procede vlterius, iam te lutulenta premet ſus,
Iam vacca aut hircus. quin ipſis deniq; templis,
Inq́; ſepulchretis porcos errare videbis,
Et voripernarum tumulos atq; oßa (nefandum)
Impunè eruere, vt clades morteſq́; ſuilli
Sic vlciſcantur generis. quid docta lycæa
Iam tibi commemorem, quid caſtas Palladis arces?
Sub quibus impuros turpes iam paſcere ſcrofas
Non pudet, vſq; adeo porcis ſunt omnia plena,
Excipiaſq́; niſi bipedes, euicero, non tot
Eſſe homines hîc quot porci. numerare licebit,
(Quid rides?) me ſi dubites tibi dicere verum.
Crede mihi, inuenies, teq́; ipſo iudice, multos,
In quîs, nil hominis, præter vocemq́; oculoſq́;
Agnoſces, corpuſq́; illos ſine pectore dices.
Quin porcis mage degeneres quandoq; videbis
Non paucos. nam porcellos ſcrofa ipſa putatur
Quos peperit, ſic complecti, & conſtanter amare,
Vt flammas quoq; per medias, per tela, per enſes
Irritata ruat, ſi quis fortaße tenello
Vi noceat catulo. Verum hi, mirabile, porci,
Quos bipedes modo dicebam, ſine corde, voracem
Exoſi ſobolem ablegant, ô turpe relatu!
In loca peſtifera, vt citiùs lethale venenum
Imbibere, atq; mori poßint, patreſq́; leuare
Impenſis, quas turba fami indignata requirit.

Verum ſi natos iſta ratione liceret
Tollere; cur illos idem non reſte vel enſe,
(Tantundem eſt) tollis? minor eſt cruciatus in illo
Et mortis breuior via, quàm ſi peſte peribunt.
O infelices cerebri! quos ipſe Melampus
Cum tribus Anticyris nulla ſanauerit arte.
Verum de porcis hæc hactenus. altera labes
Hanc ſequitur, non diſsimilis par pæne priori:
Quod peſtis quoq; cum rabies mirè effera ſæuit,
Nilominus tamen in templis extraq́;, ſepulchra
Extinctis ſtatuunt, plenisq́; cadauera aceruis
Accumulant; templum eſt cunctis commune ſepulcrum
Atq; adeo qui non ſacram tumulatur ad aram,
Is cœlo excludi quoq; creditur. ergo ſepulcra
In templis effoſsa patent noctesq́; diesq́;:
Iuxta homines ſupraq́; ſedent, dum ſacra frequentant
Sæpe etiam, quos non aliquot videre per annos,
Correptos peſte inuiſunt, vltroq́; ſalutant.
Si velit ipſa Salus nequeat ſeruare ſaluti
Infenſos propriæ. verè ſic mortua viuam
Turba vorat: totis luctantur funera vicis:
Campanum ſonat æs ſemper, pluresq́; ſubinde
Allicit admonitu, pallentes morte futura,
Vt totam paulatim vrbem Libitina peragret.

Verum Buffalion, ſapientum octauus, & inter
Cæcos non luſco abſimilis, cum peſtis inaudit

Sic meminiſſe alios, irritamenta veneni
Vt tollenda putent, neglecta incendia vires
Sumere quod videant, non reſtinguenda labore
Quantumuis magno, ſcintillam extinguere primam
Cum minimus poſſit: cum, dico, talia inaudit
Octauus ſapiens, barba trepidante profatur:
Cur me peſtiferis properas arcere venenis?
Nil opus eſt. Deus ipſe ſuos cuſtodiet, etſi
Porcorum in ſtabulis degant, medijsúe cloacæ
Latrinis. quem mors atris circumuolat alis
Concedente Deo, nullum hunc apotheca, vel vllæ
Mundiciæ poterunt ſubducere: terminus illi
A fato fixus nulla euitabilis arte eſt.
Vſq; adeone mori miſerum? mors vltima meta
Imponit curis finem, finemq́; labori,
Quàm qui ſuſtinuit præſenti peſte peremptus,
Hunc neq; dira fames, nec Turcicus auferet enſis,
Non laterum dolor, aut tuſſis, non curua podagra.
Dij tibi dent libram ellebori. ſi forte recuſes;
Dent pro ſermone hoc tria tintinnabula caluo
Geſtamen capiti, cui tantum ſubſit acumen.
Nil opus eſt riſu, talem fert iure corollam,
Qui ſequitur nocitura, fugit, quæ profore cernit.
Attamen interea ſapientum octaue, roganti
Auſcultare mihi non ſit graue, paucula dicam.
Vult Deus & ſeruare poteſt, Deus ille Deorum

Omni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Omnipotens, qui cuncta videt, qui cuncta guberna
A medijs non dependens cauſisq́; ſecundis.
" Quis negat hoc? nemo. verum Deus optimus i
" Vult etiam vt quædam prudentia ſancta pericl
" Declinet, non vt medijs iuſtisq́; pijsq́;
(Namq; hi ſe indignos plane diuina ope reddunt
Neglectis, vel de celſæ te vertice turris
Deijcias, cum per ſcalas deſcendere poßis.
Non pedibus te vult fluuios tranſire lacusq́;,
Scapha tibi aut pontes cum ſint: non deniq; rupe
Aut foßam te vult præter non ire patentem,
Sed te præcipitare, licet vicinia clamet,
Hic foßa eſt ingens, hic rupes maxima, cœpto
Tramite deſiſte, & certum non quære periclum
Num, ſi aliquando tuum Vulcanus ſcandere tec
Incipiet, veterem flamma incendente culinam,
Dum ruere atq; omnes ignem reſtinguere cerne
Tu ſuperis fretus, ſocors ſegnisq́; ſedebis?
Aut etiam magno inſanus clamore vetabis,
Ne dextram admoueant operi, quando omnia poſ
Numina neglecto nobis præbere labore.
Pulchre equidem ſapies, lacrymoſo non ſine fine
Quid faciunt aliud? qui nullo muneris ipſos
Vrgente officio, nullo cogente, venenis
Mortiferis ſeſe obijciunt, cum viuere poßint.
Si tamen illa animoſa fides in pectore regnat
O

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

O ſapiens octaue tuo, ut vel ſponte perire
Sic libeat: licitum eſto tibi. non patria magnam
Iacturam faciet tali pereunte cuculo.
Inuitum ſeruare neſas: morere ergo libenter,
Dum ſolus pereas, nec totam audaculus vrbem
Exemplo inficias prauo dictisq; ſilendis.

Hæc tibi dictabam, merito celebrande patrone,
Cum nuper primæ lethalia ſemina peſtis
Hic ſeſe exſererent, paullatim & ſpargere virus
Latius inciperent. quod nunc tamen optimus ille
Æternusq; parens miro compreßit amore.
Aut potius, niſi nos vitam emendemus, in horas
Diſtulit haud multas. tu quæ tibi mitto benigno
Accipe & humano, velut accipis omnia, vultu.

EPISTOLA II.

BOTANOSCOPIVM.

Ad Io. Franciſcum Ripenſem V. C L.

Forte aberam, tua quando mihi dulcißima venit
Littera, quam, ſera quamuis cum nocte reuer-(ſus,
Perlegi tamen ad lychnum, lectamq; ſupino
Suppoſui capiti. primo cum lumine ſolis
Perlego nunc eadem, ſatiari neſcius illis,
Ad lecto tamen affixus. quæ cauſa requiris?
Sic iter heſternum me delaßauit anhelum.

Scire

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Scire cupis quale id fuerit? niſi ſit graue paulu
O Franciſce bonis longè cariſsime Muſis,
Accipe, qui Phœbi geminas intelligis artes,
Et medicus, vateſq; bonus, virq; optimus idem
Sic noſtrum Botanoſcopium, ſed non ſine riſu
Cognoſces, cauſamq; mei languoris habebis.
Mane erat, ad ripam multos concurrere vi
Aſpiceres; alius calamos libroſq; ferebat,
Nomina ut herbarum perſcriberet: ille ligonem
Quo foderet fibras plantarum: cautior alter,
Et ventri metuens, pernas cum corbe ferebat
Panibus impleto, ieiunis qui ſatis eſſent
Triginta agricolis. pueri mox deinde ſecuti,
Suſpenſam è vecti magna cum mole lagenam
Vi Cereris grauidam geſtant, fundoq; phaſeli
Omnia componunt. illos non quærere velle
Dixiſses, iurans, verùm perfundere plantas
Puluere ſiccatas nimio, nimioq; calore.
Ventum erat in lembum, qui nos in margine ripæ
Siſteret alterius (raras vbi creſcere plantas
Ad diuerticulum aiebant) anguſtior ille
Vix omnes cepit: ſed enim nihilominus unà
Cœptum iter ingredimur; nautæ ſua lintea pandunt
Dumq; ea, quo venti propellant fortius, vndis
Aſpergunt; nos continuo, velut imbre rigati
Progredimur madidi. mox denſam in fluminis v
uam

Et vada delati, dum non procedere lintrem
Aſpicimus; remis pariter contisq́; mouere
Nauiculam fruſtra aggredimur. tum fortior vnus
Nautarum in medias ſeſe cum veſtibus vndas
Proijcit, impellitq́; ratem, vt ſublimior iret,
Inſequiturq́; natans. dum ſic luctamur in vlua,
Præterijt diuerticulum, quo tendere nauis
Iuſſa erat, atq; alias errans defertur in oras.
Hic dubios nunc huc oculos, nunc dirigit illuc,
Ignarus dux ipſe viæ ripæq́; lociq́;.
Dum nil proficimus, fruſtraq́; hinc inde vagamur;
Egredimur tandem, quà ſe loca proxima pandunt.
Vix iter ingreßos, ob crebras eluuiones
Fluminis excipiunt lamæ putresq́; lacunæ:
Quas ocreis pars indutis, pars deniq; nudis
Traiecit pedibus. dorſo pendére videres
Hic vnum alterius, fœdas hunc térgere plantas,
Hunc ſtagnum monſtrare nouum, fœdamúe paludem.
Exhalant tetram pedibus vada mota Mephitim.
Caule ruber Tithymallus ibi tanacetaq́; creſcunt,
Herbaq́; Lyſimachi, breuioraq́; centaurea,
Febrifugas dixere alij. ſpectatur ibidem
Quam vulgo dicunt Kaly: non eryngion inde
Abfuit, hirſutusq́; tragus. procedere ſed iam
Non licet vlterius: maris ergo ad litora vecti,
Defeßi in tumulis bibulæ prandemus arenæ,

Iam

Iam pernæ magis intenti vaſtæq́; lagenæ
Quàm conchis, herbis, decumano aut deniq́; flu
Quem ſuperantem alios iſtic ſpectare licebat.
Hinc foret in media cum ſol calidiſsimus arce,
(Præcipit Hippocrates illud magnusq́; Galenus)
Continuamus iter ſaturi, ruptaq́; quiete
Ingredimur ſiluas à litore. prouenit illic
Rara chamæpeuce, nec non & Teutona myrtu
Craſsulaq́; umbella candente, vlmaria, erica,
Verbenæq́; adeo, & dictum ſilueſtre pyrethru
Hic ducis ignari compendia falſa ſecuti
Decipimur rurſum, & longis ambagibus vſi,
Aſsequimur ſiluæ fines, defeſsi & anheli,
Ardentesq́; ſiti: quantisq́; erroribus actum
Hoc ſit iter, laſsi & madidi ſudore dolemus.
Tum vero herbarum ſtudium languere videre
Quin cecidiſse adeo. pro ſicca cantharus herba
Pro flore optantur ſeroſi pocula lactis.
His poſtquam ſedata ſitis, iam colicus vnum
Exagitat dolor, atq́; alium ſtranguria vexat.
Per ſtipulas igitur prorepſimus, huc vbi ſiluæ
Villula vicina eſt; hic rurſus flumina Varni
Conſpicimus, nautasq́; procul non eſſe putamus:
Illi autem, dum nos ſiluas ſcrutamur & agros,
Neſcio quo curtum remis egere phaſelum.
Sic iterum eluſi, pedites compellimur ire

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quod reſtabat iter. nautis conuicia dicit
Quilibet, atq; illis viſis extrema minatur.
Interea per agros, glebas, ſtipulasq́; rigentes,
Per foßas, ſepta, & ſaltus procedimus ægri,
Ductoris miſeri compendia vana ſecuti.
Hoc iter ignaui toties diuiſimus vno
Affectu, quoties cauponæ oblata facultas.
Illa placet; non ſi pedibus calcaßet amomum,
Non ſi malobathrum, iam cuiquam inflectere ter-
Segne libet; menti tacitæ ſic cantharus hæret. (gum
Traiectum Varni tandem, cum ſudor ad imos
Manaret talos, ſub prima crepuſcula noctis
Attigimus, nautisq́; diu multumq́; moratis
Præmia pro plagis dedimus, pro verbere nummos:
Nam cerebroſorum dudum exſudauerat ira.
Mox quoq; ſub dio nocturnos ducere ſomnos
Pene neceße fuit, clauſis ad mœnia portis,
Quas ægrè tamen ingredimur, ſeptiq́; tenebris.
Hæc fuit infelix miſeræ fortuna diei,
Hoc fatum. non me ducibus, non deniq; nautis
Talibus à terra quisquam conuellere funem
Poſtmodo vel iubeat, vel naui includere tentet.
Hæc tibi dictabam, ſegnis laßusq́; labore,
Poſtera quando dies puro illuxißet eoo:
Quæ ſi parua putas; hoc te mihi credere, verum
Dicenti ſine fraude, volo; non hactenus vllam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Scribendi vel materiam, vel carminis artem,
Maiori mihi cum niſu & ſudore paratam.

LECTORI S.

DVas, quæ ſequuntur, epiſtolas longè m[...] his venuſtiores, hic tanquam Χύσεα Χα[...] κέοις addere volui: cum quod in Germa[...] primo à me editæ, & cum amicis commun[...] tæ eſſent: tum etiam quod earum exempla [...] diſtracta, ab alijs quoq; animaduerterem d[...] derari. Factum igitur hoc noſtrum boni co[...] le, & candidè interpretare. Vale.

Ad epiſcopum Atrebatenſem.

Nicolai Sicci Brixiani Epiſtola.

NE me forte putes vana ambitione furen-
tem
Deſipere, atque animum deliro voluier æſtu,
Immemorem ſortis priſcæ, veterumq; malorum:
Accipe, cur vanos odi, quos nunc gero, faſces,
Et quod conſcendi, te concedente, tribunal;
Audi quam dubium, atque anceps diſcrimen a[...]
gat me.
Hic mihi felices glebæ, & bona iugera campi
Euenere quidem: tamen hinc ſe ſpumeus amnis

Pr[...]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Præcipitans, mollem ripam vorat, & rapit unda,
Decidui & partem ſemper furatur agelli.
Parte alia torrens montano turbidus imbre,
Aggeribus ruptis campo decurrit aperto,
Victor agens ſecum ſata læta, hominumq; labores.
At dices, quid tu interea teris otia? quid ſtas?
Quid tu iura ſinis piger in defenſa rapi? nec
Anteuenis, firmasq; tuum, facto aggere magno,
Et terra, & ſaxis, & denſo ſtipite, campum?
Amnis vterque rapax aprico arcendus ab agro
eſt
Longa mole tibi, vi multa, atque obice multo.
At non quos dicam fortaße intelligis amnes;
Hinc numero fidens aufert mea iura ſenatus,
Et res confundit noſtras, tollitq;, rapitq;,
Et rebus ſeſe alienis ingerit audax;
Inde nihil princeps durus non arrogat armis;
Hi duo de ſumma imperij luctantur, agunt rem,
Ille potens dextra, comts hic ſermone diſertus;
Hic cauſa melior, arte at præſtantior ille.
Vt longurius in ſtabulo ſuſpenſus, equorum
Non facile euitat calces: vt ſæpe coorta
Seditione graui in populo, iuſtißimus vnus
Qui paci medium ſe offert, perit; hic ego ſic ſum
Spectator pugnæ, expectans quod me iubeat ſors
Ferre iugum, cuius victoris iurgia ferre;

Interea torrens nunc hic nunc turbidus illic
Decerpit ripas paulatim gurgite edaci,
Et ſenſim pauper fines ita claudor in arctos,
Vt mihi ſint odio faſces, & inane tribunal,
Iuſtitiæq́; manu fruſtra qui ſtringitur enſis.
Et quamuis nihil hic iam ſim niſi fabula vulgi,
Multus verna mihi tamen eſt paſcendus, & i
Terue quaterue procax renouandus veſtibus an
Aulæis ornanda domus mea, cum riget annus
Cum calet, extremis quamuis quæſita Britan
Sordent, nam melius paries ornatur Hibera
Pelle, abeunte hieme: atq; æſtas cum feruet in
Temperat æſtiuos pellis vitulina calores,
Aut auro pulchrè, aut ferro ſignata calenti.
Cœnandum lautè eſt, ne ſi grauis aduenia
Inuiſum cupidi, & ſordentis nomen inurat.
Nam quamuis multus ſuperet patrimonia ſum
Inq́; dies creſcat, quod me grauat, æs alienum:
Attamen, (eſt vt opus, vtq́; eſt res credula)
Credor habere ingens argenti pondus, & auri,
Vnde nec hoſpitibus domus eſt claudenda ſuperb
Vndiq; quos fallax inuitat opinio, quæ me
Per bibulas populorum aures, per compita vbiq
Vt benè felicem mendaci prædicat ore.
Stragulaq́; exornant thalamos, pictiq́; tapetes,
Ne mea pauperies in lucem prodeat, & ne,

oſpitibus nos accuſet carioſa ſupellex.
Nec minor hinc inopem ſtabuli ſubit altera cura,
t fœno paſcantur equi, nec deſit auena;
t ſtrigle eniteant multa in præſepibus altis.
erius hæc miſerum pungunt diſpendia, quod non
oluuntur promiſsa mihi ſtipendia, quæ tu
unificus mihi larga dari, Cæſarq́; iubetis.
ndecimus menſis, ni fallor, labitur, ex quo
ermanæ pubi, quæ me comitatur, & anteit
mitis, nec dat quæſtor lictoribus aurum.
terea miſeris ne deſit lens, olus, aut ſal;
s præſto, moriens mihi quod pater ante reliquit,
uæſitum magna virtute, & paupere menſa.
Non tantum per plana citus volat atria turbo,
eſte puer quem multiplici, ſpirisq́; coërcens
numeris, magno ſublatum verbere iactat;
Quantum ego perpetuo curarum turbine verſor.
urarum quæ ſollicitant noctesq́; diesq́;,
t videant, de me quod contigit ante puſillo
orte homini, non eſt iucundior altera dictu
abula, nec breuior: da te mihi, ſi vacat, audi.
¶ Nanus erat binis quondam non longior vlnis,
xigua inſignis breuitate, atq; integer annis,
Quem propter facti nouitatem, artusq́; puſillos,
ptabant hilares cœnæ, & conuiuia læta,
une mulcere ſenes, pueri, innuptæq́; puellæ,

Et cupere, & læti circum amplexarier omnes;
» Felix, ni cuicunq; homini ſua diſpliceat ſors,
Hunc atrox propriæ breuitatis cura miſellum
Vrebat male, & occurſans miſeratio ſortis
Inuiſæ: pro qua ille Deum incuſare ſolebat,
Aßiduè obijciens tantilli corporis artus.
Audijt orantem diuum pater optimus, & rex,
Et quid, ait, nos obtundens prece ſollicita, viſ?
Procerus fieri, & longos aßurgere in artus.
An ſtatura placet, communi longior? an quæ
Finibus, eſt homines inter, mediocribus? inquit,
Opta animo quamuis ſpeciem, tibi namq; erit à me
Siue breui, ſeu tu mauis procedere longa.
Conſilij dubius, formaq́; incertus in omni
Hæret pumilio; at tandem: mihi forma Gigantis
Supra hominem cubitus extans, aut quatuor, aut
Longa placet; Deus eſto Gigas, ait, & prece ne
Poſthac ſollicita, atq; informi voce fatiges.
Nec mora, pingueſcunt membris creſcentibus artus
Corpus & in longum ſenſim producitur omne,
Vt ſole inclinante hominum fit longior umbra
Fitq́; eadem noctu deprenſo lumine maior:
Sic, quantum cupit, exultans extenditur ille,
Surgit in immenſum, toto iam longior eſt pes:
Hunc ſubito circumueniunt incommoda mille,
Inprimis quærenda illi domus amplior, & lar:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Eſuriens magnis paſcenda laboribus aluus:
Deciduusq; amplis arcendus veſtibus imber.
Ille vbi ſe obſeßum damnis videt vndiq; cœlum
Reſpiciens, inquit tua me indulgentia perdit
Iupiter, ipſa boni fallax me luſit imago,
Informem inuiſamq; mihi pater exue molem.
Tu Perenote mihi ille es, et pater optimus et rex,
Qui obſequio victus dulci quondam, et prece blanda
Feciſti è paruo me pumilione Gigantem,
Inſignem ventre, & damnoſum faucibus amplis
Seruorum, qui me, & patriam ligurire queant rem.
Hanc mihi tu ingluuiem famulorũ, et inutile pondus
Præcide, & tenues iterum me transfer in artus,
Per genium, fratresq; tuos, perq; oßa parentis
Sancta precor: vitæ tandem me redde priori.
Iſta tibi & muſto, & ſatur autumnalibus vuis,
Dictabam ruri, Venuſino carmine, dum tu,
In Gallos aditus numeroſo milite tentas.

Ad Chriſtophorum Madrucium.

Card: ac principem Tridentinum.

Rideor à doctis, quod ſcribens tam rude carmen,
Oſtendam id multis, nec me vllus iam pudor vrat,
Sed iugulem incautos male compto carmine amicos,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Qui temere occurſant mihi, cum vitiata papyr
Carnificem longo complectens ordine verſum,
Sub tunica latet, auditorem quæ male perdat.
" Decipimur ſtulti dulcedine carminis omnes,
" Cuilibet eſt ingens proprij vis inſita amoris,
" Quæ nos præſtigijs ludit fallacibus, & quæ
" Errores ſpecie virtitis veſtit, & ambit:
Id facimus vates, quod turpis beſtia quondam.
Iußerat edicto Deus accerſirier omne
Quadrupedum genus, & catulos geſtare ſub ulna
Millibus è multis regem facturus eum, qui
Dignior atq; alijs forma præſtantior eſſet:
Ceruus, equus, panthera, canis, leo, ſus, caper,
Producunt fœtus proprios, & laudibus ornant:
Vltima deformem coram Ioue ſimia natum
Hirſutum villo, turpi facie, & nate leni
Fert, & ait. ſolam pater ô iuſtißime noſtri
Accipe ſpem generis pulchrum ſine labe catellum,
Cui debes meritum tituli regalis honorem,
Inſigni villo, nitida facie, & nate pulcra.
Exoritur magnus turba ridente cachinnus,
Cum Deus ipſe à riſu ingenti vix cohibet ſe.
Quilibet inuitus naturæ ſic capitur vi,
Vt ſua cum doctis conferre poëmata libris
Audeat, immeritam & petulanter poſcere laurum:
Vos ubi deformes vitiato in corpore mendas

Cernitis

Cernitis, & turpes malefacti carminis artus,
Sic facite, vt vobis ſi forte eat obuius alter
Gibboſo tantum tergo, ſed cætera pulcher
Atq; alter breuis, oblongus capite, & pede claudus,
Vlceribuſq́; lacer, turpis, gibboſus vtrinq;,
Ingenti pietate illum excipietis, at iſtum
Diducto licet inuiti ridebitis ore.
Sic noſtro ſi ſit verſu tolerabilis error,
Parte aliqua pulchri; faciles miſereſcite vatis:
Sin fuerint diſtorta ſimul, & turpia membra,
Vt collo caput, vt cruri non conueniat pes;
Tollite cum plauſu patefacta fauce cachinnum,
Ridendi hanc veniam petimuſq́; damuſq́; libenter.
Nec quandoq; tamen pudeat legiſſe poëtam
Vix ſuperantem vrbis ſtrepitum, et popularia verba
Elumbem verſum claudentem, vt ego facio nunc,
Eſſe ſolet plerumq; ſub hoc ſermone pedeſtri
Neſcio quid pulchri per verba latentis, & artis.
Non ſemper qui grande ſonat fert præmia vates: "
Pinxerat ingenti cura magnoq́; labore
In tabula quondam Ganymedem pictor, & illum
Mygdonio Regi dono portarat habendum.
Forte illi hirſutum villoſo pectore Apelles
Squalentemq́; ſitu, & turgentem gutture pleno
Attulit aſpectu: primo Rex riſit, & inde
Nunc roſeum decus, & pueri florentis honorem:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nunc maciem, & turpes artus, robuſtaq́; mem-
Villoſi aſpiciens hominis, deformior, inquit,
Iſte tuus puerum Ganymedem vincit Apelle.
Sed nimis hæc longum prælusimus, ut citharœ-
Qui dum diſcordes ſumpta teſtudine neruos
Indocto fruſtra concordat pectine neruos
In cruce ſuſpenſas circum ſe detinet aures.
Iam poſitis redeo nugis ad ſeria, quæ me
Inſomnes cogunt longas producere noctes.
Namq; vrens poſtquam ſtimulus me impellit hono-
Linquere deriſum populo inſultante tribunal:
Verſo animo aſsidue, quæ me vrbs vicina, locusue
Excipiat reducem, poſitis inſignibus, & quo
Noſtra ſinu cedat ſenſim inclinata ſenectus.
Vt nauis vexata diu maleflantibus Euris
Cœça nocte furens, neſcit quo vis ferat, & ſors:
Sic ego, quem venti inuidiæ luctantis, & æſtus
Ambitionis agunt in præceps; indigus artis
A geminis trepidè portum Pollucibus opto.
Vos mihi, vos eſtis fulgentia ſidera. quæ me
Per ſcopulos oris rapidi, per lurida linguæ
Murmura, & infames dominante libidine ventos
In tutum vehitis portum virtutis amicæ,
Tuq́;, Atrebasq́; meus, noſtri duo lumina mundi.
Dicite vos animæ illuſtres, quæ certa carinæ
Sit ſtatio, quam iam rodit carioſa ſenectus.

Non vos Inſubres inter laudabitis, vt ſim,
Æmula ne occurrens grauium mihi turba virorum
Audeat, vt voti compos, illudere victo;
Neue ſeni vt fecere animalia bruta Leoni,
Certatim inſultet petulans, & praua iuuentus.
Vrbe minus Venetum ſuadebitis vt teneam me:
Ne niue candidior, pura pice nigrior Idæ
Sit Veneto mea ſancta fides ſuſpecta Leoni.
Ampla mihi nec ſunt Romana palatia cordi,
Nam niſi mitra biceps ibi cingat tempora, vel me
Purpurei inſanum paſcat ſpes magna galeri;
Quid facerem ſine ſeruitio, ſine honoribus, hoſpes
Paruo animo? neq; enim fas eſt obrepere tantum
Stultitiæ, vt poßim ſpe ſolum paſtus inani
Iſta diu verſare leui deliria mente.
Vnde mihi hæc tantum ſupereſt ſpes certa ſalutis,
Vt tandem excußoq; iugo, vincliſq; ſolutis,
Aut curru vehar, aut lumbos laßante caballo;
Pomifero donec Benaci in margine ſiſtar,
Conductaq; lacus nitidi lympham rate ſulcem,
Ad tua confugiens reduci pede limina, quæ me
Tranquilliq; ſtatus cupidum, placidæq; ſalutis
Excipiant, & amica meæ dent commoda vitæ.
Sed vereor, ne qui quatientem molliter vndam
Non tulit, hunc rapido deprehendat turbine vortex
Spumeus, infidi veſtræ maris ambitionis,

Qui

Qui magis horribili vento, & maioribus aſtris
Sæuiat, & miſerum dominante cupidinis aura
Per ſcopulos Regum, per magna palatia iactet.

CARMINVM NATHANIS CHYTRÆI, ET AMICORVM,

LIBER I.

Illuſtriſs. Gulielmo Duci Brunſuic. & Lunæburgen. Academiæ Roſtochienſis Rectori.

VT flamma celſo è vertice Veſuij
Noctu tenebras lumine diuidit,
Sarniq; valles, & Taburni,
Pauſilypi irradiatq; ſaltus:
Vt pullus acri mox pede Cyllaro
Æquandus, aruis, iam tener, auijs
Incedit erectus, micatq;
Auriculis, glomeratq; greſsus:
Virtutis almæ non aliter decus
Se promit vltrò, nubibus inſcium
Tegi malignis, & moleſtæ
Impatiens tacitæq; noctis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Sic Cyrus, atris quem pius Harpago
Affectus Orci faucibus eruit,
Ob mentis heroæ vigorem,
Rex legitur puerum coronæ.
Fallorne? an & nunc moribus aureis
Exculta iuſsit nobilis indoles
Te ſceptra præ cunctis tenere
Palladiæ, Gulielme, gentis?
Dextrè auſpicatum ſit precor hoc tibi,
Maioris & vim ſpondeat imperI,
Spopondit vt quandoq; Cyro
Imperium trepidantis orbis.

Parodia Horatiana in turpiſsimum Scholarum Italicarum morem explodendi publicæ doctrinæ profeſſores.

NAtis in vſus ingenij libris
Bacchari agreſte eſt. tollite barbarum
Morem: verecundasq; Muſas
Tam tetrico prohibete faſtu.
Voci docentis clamor & impetus
Immane quantum diſcrepat! impium.
Lenite clamorem ſodales,
Et pedibus remanete preſsis.
Vultis ſeueri me quoq; ſumere
Partes magiſtri? dicat Iberici

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cultor Lycæi, quid tot annos
Imbiberit ſtudio fideli.
Ceßat voluntas? non alia via
Quiſquam ſagacis laudibus ingeni
Profecit, ut præſtantiorum
E numero bonus emineret.
Doctrina creſcit, creſcit & inſita
Vis mentis, acri examine clarior.
Non erubeſcendus magiſtris
Hic labor, ingenuoq́; alumno
Virtutis. ergo quidquid habes, age
Depone tutis auribus. ah miſer
Quanta laboras in charibdi
Barbariæ ſtupidiq́; faſtus!
Cur non docenti te docilem libens
Submittis? aut cur te potius iuuat
Clamore bacchari pudendo?
Digne puer meliore mente.
Quis doctor, ecquæ te poterit Schola
Senem ſtuporis ſoluere vinculis?
Non inde Muſæ te beatæ
Ipſa vel expediet Minerua.

Parodia Catulliana in Bibertum.

Bibertus iſte qui fefellit hoſpites
Ait fuiße Baro nobilißimus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Neq; vllius vetuſtam & inclytam domum
Suæ parem fuiße, ſiue Suecia
Opus foret probante, ſeu Fionia.
Et hoc negat Codanicis in inſulis
Negare nobiles ſcabroſq́; ruſticos,
Gothumuè diuitem, intimamuè Lappiam,
Vel Holmiam trucemuè Balthicum ſinum.
At iſte, poſt Bibertus, antea fuit
Cocusùe fœdus, improbusùe cacula,
Manu rapaci & ore notus effero.
Probauit hoc tribunus ille militum.
Sed hæc fuiße & eſſe cognitißima
Negat Bibertus, alteraq́; origine,
Prioris immemorq́; & inſcius patris,
Superbit, hunc in vrbibus Sileſiæ,
Et inde tot per oppida & prouincias
Ait coli: crepatq́; tot palatia,
Tot arcibusq́; gloriatur inſolens,
Proteruus ore, flagrio, fugax pede.
Neq; illa iure vincla carceris refert
Sibi eſſe tacta, cum veniret ad mare,
Probrisq́; peßimis feriret optimos.
Sed hæc fuiße vana cognitum ſatis.
Recantat ipſe, ſeq́; deuouet tibi
Trifurce Caſpar, & trifurce Caſparis.

Laſaro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Laſaro Mullero.

IVnius cum te meus ille laudet,
Iunius præſtans Sophiæ ſacerdos,
Et decus Phœbi ſolidum, perennis
Gloria Muſis:
Quem virum lætor, patriæ ruentis
Cladibus preßum, ſupereſſe ſaluum,
Quem virum vere veneror coloq́;
Pectore fido.
Numne ego ſegnis taceam? tuasq́;
Bellicas laudes patiar latere?
Quas tibi Pallas generoſa iuſtis
Contulit armis.
Sunt mihi teſtes Bataui lubentes,
Militi quantum metuenda virtus
Sit tua atroci, quoties cruentum
Fuderis hoſtem.
Tu prior denſas aperis phalanges,
Te ducem pubes animoſa acuto
Inſequens ferro penetrat, fremensq́;
Obuia fundit.
Non ſemel victus proprio periclo
Hoſtis agnouit quid auita virtus
Teutonis poßit, duce te, quid acer
Militis ardor.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Eſt tibi mentis vigor, eſt ſagacis
Ingeni virtus, bene conſulendi
Eſt tibi duris dubijsq́; rebus
Prompta facultas.
Quid graues mores, niueumq́; pectus,
Dona quid linguæ memorem diſertæ?
O ſimul Muſis, & amice iuſto
Laſare Marti.
Ergo quo virtus tua te volentem
Incitat, fortis ſequere, & priores
Laudibus laudes cumula, triumphis
Adde triumphos.

Laurentio Kirchouio I. C.

IVris antiſtes vtriusq́;, & inter
Vindices legum celebres, celebris
Maxime vindex, modo dum ſororis
Funera luges,
Dic mihi, num ſit ſatius, vel abſq́;
Prole ſecuras agitare noctes,
Aut patrem multæ ſobolis quietem
Rumpere vitæ?
Eſt tibi mater, decus inter huius
Fœminas vrbis, numeroſa quondam
Cui fuit proles vtriusq́; ſexus
Corpore præſtans.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Illa florentes properans ad annos,
Et voluptati fuit & decori
Maximo matri viduæ, ſepulto
Gloria patri.
Namq; tu fraterq; tuus periti
Iuris & legum celebres vigetis,
Quorum inumbrarunt viridi ſub æuo
Tempora lauri.
Virgines primis iuuenum & virorum
Læta deſpondit, ſerie nepotum
Vnicè gaudens, auiæq; fœlix
Nomine mater.
Illa poſtremos etiam ſuorum
Læta natorum ingenio ſagaci
Deditos caſtæ Themidi & Mineruæ
Creſcere vidit.
Nunc ſed heu præter celebrem maritum
Proximo binos ſpacio bienni
Perdidit natos, ſimul & nepotes,
Ipſa ſuperſtes.
Filiæ quin iam placidæ, bonoq;
Conſuli iunctæ thalamo, pijsq;
Moribus caſtoq; animo venuſtæ,
Funera plangit.
Nonne iam matri melius fuiſſet,
Coniugi nuptam ſterili, quietam

Nunc ſenectutem procul expeditis
Ducere curis?
Quàm tot inſignes peperiße natos,
Flore quos vitæ in medio ſepulcris
Mandet, & multum lacrymans ſuperſtes
Ægra ſequatur?
Sed tuæ luctum minuat parenti,
Nunc adhuc natos ſimul & nepotes
Viua quod cernat, genio bonaq́;
Indole claros.
Inter hos primos tibi iure honores
Deferat, tu lux generis paterni,
Nobilem reddis patriam genusq́;
Clarior ipſe.
Ergo quot caræ fera mors ſorori
Fratribuſq; annos properans ademit;
Tot tibi apponat, faciatq́; clara
Prole beatum.
Inſtar ut ſolus reliquorum acerbos
Mitiges matri viduæ dolores,
Et genus longa ſerie nepotum
Ipſe propages.

Ioachimo von der Luhe Mareſcalco Megap. in poëmata ſacra Flaminij.

CVM paruus hic, ſed aureus,
Typis nouus elegantibus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Impreſſus, atq; appendice
Munitus haud ignobili,
Me ſic petente, in publicum
Libellus iret: ſtrenulæ
Paruæ loco illum mittere
Placuit potiſſimum tibi,
Quem talibus ſcirem libris
Capi unicè, ceu gemmulis
Et floſculis, qui ſtraminum
Lapidumq́; magnis præualent
Longeq́; præſtant molibus.
Boni proinde conſules,
Quæ grata mens, & inclytis
Vox ſacra Chriſti laudibus,
Suo patrono conſecrant.

In Theatrum orbis Abrahami Ortelij.

MÆonides clypeum magni deſcripſit Achill
Æneæ Maro: quos ſic matre vtriusq́; volent
Fecerat ignipotens, auri electriq́; metallo
Conſpicuos, fabriq́; Deûm, vatumq́; duorum
Arte ſacra celebres vel ſera ætate futuros.
At nunc ſi princeps vatum ſuperaret Homerus,
Si Maro: non clypeos iſtos deſcribere vellent,
Mulciberi Thetidis blando Venerisq́; rogatu
Extortos: verum coniunctis viribus unum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hoc agerent, diuina animum ſtimulante Minerua.
Ortelij hoc opus in toto quo pulcrius orbe
Nullum opus eſt, vt perpetuis celebrare camœnis
Certatim aggreßi eueherent ſuper æthera cœli,
Quod ſimul ingenij atq; artis maioris egeret.
Non etenim hic tantum laudati principis omne
Officium Æacides animo iraſcente videret:
Non tantum admirans famamq́; & fata nepotum
Hic Anchiſiades humero altè extolleret vno:
Sed totum quinis diuiſum partibus orbem,
Pictura inſigni illuſtrem, cui nulla theatra
Æquiparanda forent, vel leni attollere niſu
Poßet, Atlanteo merito afficiendus honore.

Pacificatoribus.

ET vos, eximij proceres, quo carmine demum
Quo vultu excipiam? ô patriæ bona ſidera gen-
Dudum nota mihi, dudum exoptata, perennem (tis,
Dum pacem expetimus Rhodijs ante omnia Muſis.
Quæ nobis auro quouis magis aurea, cœlo
Iam redit, & miſeris finem ſperare periclis
Imperat, auxilijs veſtris fidoq́; labore.
Pro tantis igitur meritis quæ munera, quæue
Præmia Roſtochium reddet? pax omnibus vna "
Theſauris potior; pax anteferenda triumphis "
Omnibus: hæc nobis veſtro quoq; munere tandem "
Cum redeat: nihil eſt operas æquare fideles

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quod queat, & dignas vobis perſoluere grates,
Multi multa licet ſtudioſo pectore tentent.
Donabunt alij pateras, & præmia quondam
Graiorum tripodes: ſigna hic aurata locabit:
Aut alij liquidis ornare coloribus ora
Tantorum heroum cupient; ego carmina pango:
Carmine lætitiam teſtor, quam publica poſcunt
Gaudia: perpetuas vobisq́; hoc nomine grates
Deberi, ex animo fateor, ſemperq́; fatebor:
Teſtis erit breuis, at præſtans bonitate libellus,
Multa monens, plenus Charitum, ſalſiq́; leporis
Quem capite illuſtres animæ, vultuq́; benigno
Perlegite, Aonidum celebres pacisq́; patroni.
Sic vobis placidam concedant numina vitam,
Sic patriæ vobis plauſus audire reuerſis,
Principis & patrij auguſtam contingere dextram
Detur, & incolumes offendere rurſus amicos,
Pacificiq́; una ſuperare Antenoris annos.

D. Chriſtophoro Philippo Zotto à Pernegk. V. nobiliſs.

QVod nunc vt ſolitus fui ſubinde
Ad te non venio Philippe Muſis
Dilecte, & Themidis decus perenne,
Quo nemo melior benigniorq́;,
Nemo affabilior ſuo clienti
Aut eſt, aut fuit, aut erit: profecto

Non me detinuit moleſtiarum,
Aut laboris onus laborioſi:
Sed nec Bibliotheca ſic ſtudentem,
Nec puerpera me moratur vxor,
Nuper quæ tenerum mihi Chytræum
Enixa, in viduo virum cubili
Secubare facit gelu rigentem.
Quin nec me retinet pecuniarum
Vel cuſtodia, vel metus latronum,
Contentus modico breuiq́; cenſu
Cum viuam Charitum ſatelles, atq;
Muſarum innocuo fauore diues:
Sed quod te nimium negocioſis
Moleſtisq́; ſimul vacare curis
Senſi: quodq́; adeo minus deceret
Clientem eximij patroni abuti
Fauore, & niuea benignitate.

Quod ſi te patitur vacare paulum,
Magnarum labor occupationum:
Si non Cæſareæ vices coronæ
Perturbant lepidos tuos lepores:
Quibus me caruiſſe tot diebus
Impensè doleo: iube vel vno
Me nutu, vt veniam ſtatim, vocari,
Tunc, alis earcam licet, libenter
Cunctis poſthabitis cito aduolabo.

In Plutum Ariſtophanis Prologus.

NON abſq; cauſa infamis hiſtrionica
Habita eſt, prioribuſq; ſpreta ſæculis:
Nec Imperator ille, patriæ pater,
Exegit è proſcenijs fruſtra ſuis,
Flagriſq; Mimos corrigendos cenſuit,
Quando & pudendis uterentur geſtibus,
Bonoſq; maledicendo læderent mali,
Quæſtumq; facerent artibus leuiſsimis,
Præterq; lucrum nihil amarent amplius:
Sed iſte quem videtis adoleſcentium
Non inquinatur moribus prauis chorus:
Nec ludionum more, ſtrepitu ſcenico
In hoc theatrum prodit, optimi viri.
Omnes honeſtis ſunt ſati parentibus,
Virtutis omnes ſunt amantes unicè;
Cum laude Græcis & dicati litteris,
Alijſq;, quas docetis, artibus bonis.
Suiq; nunc, ſpecimen profectus edere
Viris bonis, vobiſq; præceptoribus
Suis, moleſtum ni ſit, vltro cogitant.
Fauete vos eis, viri clariſsimi,
Clauſis labellis, auribus patentibus.
Vt cœcus iſte quid velit Plutus ſibi
Intelligatis & ſciatis rectius.

Heus

Heus tu, pedum ſublime qui geris, veni
Summamq́; totius recenſe fabulæ.
Vos optime valete, ut eſtis optimi.

P. MELISSI SCHEDII FRANCI P. L.

Melos parodicon
Ex Horat. ode XXV. lib. III.

AD NATHANEM CHYTRÆVM MENCINGIVM.

QVO *me turbo rapit, Noti*
Plenus? quæ maria aut quas ferar in plagas
Miles more nouo? quibus
Linguis fœdifragi Pſellidis ordiar
Indignum memorans ſcelus
Chartis inſerere & prototypo ducis?
Scribam enorme, nocens, adhuc
Ignotum orbe alio. proh, quotus è iugis
Extorris gemit Ecdicus
Rhenum proſpiciens, & nece perditam
Francen, ac malè Belgium
Vaſtatum Spaniis! quis niſi degener
Strages & viduas domos
Vlciſci neget? ô Varniadum potens,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Muſarumque valentium
Iucundas ſenibus reddere ferias;
Nil gratum, aut hilari modo,
Nil pacale canam. triſte piaculum eſt.
O Chytræe, ſequi tubam
Clangentem triplici funera claßico.

Ad Nathanem Chytræum, de inſignibus illius.

CYgnus & urna atijs ſint argumenta canendi;
Materies nobis digna triquetra roſa eſt.
Sed tua quei poterit cumulare roſeta Melißus?
Abſtulit huic omneis vna Roſina roſas;
Abſtulit & Veneri. ſibi vendicat illa, quot vſquam
Idalij flores vere tepente vigent.
Excole tu potius Chytræe roſaria parta:
Scilicet in media ſunt tua regna Rhodo.
Nec tuus è Varni bibit amne Cayſtrius ales.
Sed ſua Caſtalio proluit ora lacu.
Qui lacus ut ſtagnet, ſemperq́; roſeta rigentur:
Iugis inexhauſtas vrna refundit aquas.
O vrnam felicem! ô felicißimum olorem!
Sed mage felices, quas fouet vnda, roſas!

Paulus Meliſſus Francus, P.

Natha-

Nathani Chytræo Chriſtoph Videmannus, pöetices Profeſsor Viennæ.

Qualis, & unde tibi mittatur epiſtola, Nathan,
Et proprio, & fratris clarus honore rogas?
Vera quidem, nec culta ſatis, ſed amore referta,
Ad te Vuidmanni nuncia fida volat.
Hinc ubi Cæſaream, Mauortia mœnia, ſedem
Nauigeris ſpumans alluit Iſter aquis.
Vnde tuus nuper, ſuperata mole laborum,
Arctoæ rediit frater ad arua plagæ.
Huc Chytræe mihi tua dulcis littera venit,
Miſſa per inſuetæ millia multa viæ.
Quam ſimul ac viſo Chytræi nomine legi,
Lætus in hos ſolui protinus ora ſonos.
Mollia Pierios ſpirant hæc carmina fontes,
Qui dedit hæc Phœbo ſcripta fauente dedit.
Vt riguus quem nec ſalebræ nec ſaxa morantur
Leniter in pingui labitur amnis agro:
Sic tibi ſic faciles decurrunt ordine verſus,
Et purum docto carmen ab ore fluit.
Hoc tua demonſtrat numeris Elegia rotundis,
Quæ mecum fœdus ſancit amicitiæ.
Hoc, quæ luſtratas diuerſa per æquora terras
Hiſtoricè referunt ſcripta diſerta, probant.
Hoc, ſi fata volent, Faſti quandoq; probabunt,
Magnum atq; ingenij magna ſequentis opus.

Ergo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ergo vt dulce melos dum ſedula fingit Aedon
    Victa ſono volucrum cætera turba ſilet:
Sic ego dum tacite tua culta poëmata miror,
    Carminis incipio tædia ferre mei.
Agnoſcoq; libens quantum mihi deſit in illo,
    Quam mihi ſit ſtudij dura Minerua parens.
Adde quod & vario curarum exercitus æſtu
    His ſtudijs animus deditus eſſe nequit.
» Quæq; vel eximios angit res vnica vates,
»   Nulla datur Muſis gratia, rarus honor.
» Spretus erit, Phœbi ſolum qui caſtra ſequetur,
»   At prudens cenſum quærere, magnus erit.
Hinc aditum, ſacraſq; fores prædiuitis aulæ
    Pars hominum titulis ambitioſa petit.
Pars quæſtum turpi gaudet cumulare lucello,
    Et ſibi rem tacita fraude doloq; parat.
Rari nempe boni, quos poſteritatis amore
    Ponere Pieria tempus in arte iuuat.
Sed valeant ſtolidi ſtudia hæc contraria vulgi,
    Cuius in ignauis mentibus error ineſt.
Nos laudem ingenio petimus, famamq; perennem,
    Eſt quibus ad ſuperas ſcandere cura domos.
Sed quo me feruens animi rapit impetus? aut quò
    Littera propoſitum deuia carpit iter?
Tu mihi deſuetam reuocas in carmina Muſam,
    Theſpiadum ſacro Nathan amice choro.

Et tuus, æterno celebrandus nomine, frater
Excitat ingenij munera parua mei.
Cum tibi me tantis commendet laudibus ille,
A quo laudari gloria prima mihi eſt.
Ergo quid his reddam veſtris virtutibus æquum?
Præmia quæ tanto digna fauore feram?
Scilicet has ſemper gratus celebrabo per oras
Chytræos, animo nomina fixa meo.
Dumq́; calor membris ſupereſt, aut oßibus humor,
Hæc ſemper memori pectore facta colam.
Qui tibi germanus, ſancti mihi nomine patris
Carus, ceu pietas candida poſcit, erit.
Sic meruit, Chriſti cui res eſt publica curæ,
Durior & ſanctæ relligionis honos.
At tu, vel ſtudijs par, vel iuuenilibus annis,
Sis licet ingenio clarus & arte magis.
Si me ſinceros inter numerabis amicos,
Vt tua promißum littera grata dedit.
Experiere animum plenum candore, tibiq́;
Theſea iunges pectora noſtra fide.
Hæc ſatis: optatum ſinceri fœdus amoris
Perpetuo conſtans vt tueare, vale.

Chriſtophorus Videmannus
Nathani Chytræo. S.

SI facunde tibi Chytræe noſtras
Tandem Muſa dedit breues, rudesq́;

Scriptas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Scriptas pectore candido tabellas?
Si te fœderis haud piget recentis,
Quod nos fratre tuo ligante iunxit:
Reſpondere mihi quid ergo ceſſas?
Cur deſiderium meum moraris?
Dum me Poſſelius prior ſalutat,
Et tu reddere litteram recuſas?
Ecquid viuis adhuc, valeſq́; belle?
An te læſit hyems magis ſeuera,
Qua plauſtrum gelidus regit Bootes?
Nos hic tot niuibus geluq́; preſſi,
Nondum temperiem redire veris
Sentimus placidi, ſed horret omnis
Agrorum ſeries, latet ſepulta
Vitis pampinei ferax Lyæi,
Dum ſoles redeant ſereniores.
Muſis interea, boniſq́; amicis,
Et curas minuentibus libellis
Duri tædia temporis leuamus.
Hæc inter, tua ſcripta crebriora
Speramus cupidi, quibus viciſſim
Nos grata ſolitaq́; litterarum
Reſpondebimus allocutione,
Omnis nam mora triſtis eſt amico.
Sic dulcis valeas amice Nathan,
Et, ſi me reputas amore dignum,
Scribas ſæpe, ſilentiumq́; rumpas.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ad Nathanem Chytræum ex gymnaſio Pata-
uino Romam et Neapolim proficiſcentem, Ode.

NAthan meorum magna ſodalium
Pars, ô Dearum perpetuum decus,
Scaturigine quas perenni
Aon limpidus ornat.
Tantum videndæ te ſtudium trahit
Vrbis Quiritum, & Parthenopes ſacræ
Vt noſtro properes ab orbe,
Et caris ab amicis.
Splendore ceſsit Parthenope ſuo,
Mœretq́; Iberi preßa ducis iugo.
Et Romæ veteres ruinæ
Longo perditæ ab æuo.
Hic temperato ſuauiter aëre,
Gratisq́; mecum tute ſodalibus,
Et paruo fruere apparatu,
Docti voce Lycæi.
Vel ſi recuſes, differ, vt aureus
Phœbus calores temperet igneos.
Iucundißimus eſt amici,
Qui conceditur vſus.
Tecum Lepores, nudaq́; Gratia,
Et Clio ſacris iuncta ſororibus
Colles Euganeos, amore
Linquunt dulcis alumni.

Dulcesq́;

Dulceſq; riſus, & Venus, & Ioci
Quondam beatos deſtituunt lares.
Diſceſſu, chelys obticeſcit
Docti noſtra ſodalis.
Verum vt recedant omnia quæ mihi
Fortuna pridem mobilis inuidet:
Seu rerum facies ſerenæ
Seu triſtis comitetur.
Me nulla viuum comperiet dies
Nathanis aut nox non memorem mei.
Tam menti facies tuumq;
Noſtræ nomen inhæret.
Felice luſtres ſidere floridæ
Telluris vrbes, vaſtaq; Cæſarum
Priſcorum monumenta, crebris
Deformata ruinis.

Patauij An. MDLXVI
Cal. Auguſti. Petrus Ho-
gerbetius Medicus F.

Nathani Chytræo Præceptori ſuo
Theodorus Hœchelius Ham-
burgenſis. S. D.

ERgo peregrinas procul hinc accedere terras
Tam celeri ſtatuis docte Chytræe gradu!
Nec præclarorum te conſuetudo virorum,
Nec retinet cari fratris amata domus!

Quæ mala te nobis ſors inuidet? improba quænam
Cauſa iubet Roſeæ linquere tecta ſcholæ?
Tu mihi præceptor teneræ ſub flore iuuentæ,
Informas mentem Palladis arte rudem.
Et perſæpe piæ præcepta ſalubria vitæ
Præſcribens iſto tramite, dicis, eas.
Hæc fugienda tibi, ſunt hæc imitanda viciſſim,
Sic mores placidè, ſic animumq́; rege.
Cumq́; accliua licet, Parnaßi culmina montis
Delectent aliquo pectora noſtra modo:
Et cupiam primis ea conſcendiße ſub annis,
Siccaq́; Caſtalio labra rigare mero:
Tu iuga celſa tenens, per quæ compendia poßim,
Commonſtras, facilem continuare viam.
Quo properas? nondum te præceptore carere,
Auxilioq́; tuo, conſilioq́; queo.
Aurea nunc redeunt iucundi tempora veris,
Spirat & in cunctis mitior aura locis.
Iam Phœbum, Libyca verſis tellure quadrigis,
Ad noſtros propius tendere cernis agros.
Cernis item læto terram reuireſcere vultu,
Creſcere vernantes rurſus in orbe dies.
Occidit Orion pluuiali turgidus imbre,
Conceßere feris Pleïadesq́; Notis.
Nec melius toto tempus prolabitur anno,
Quo quis maiori diſcere fruge queat.

Quo ruis ergo? mane mecum cariſſime Nathan,
Et regito Muſas dexter vt ante meas.
Diceris in patriam veteres viſurus amicos,
Cognatosq́;, piam carpere velle viam.
Diceris atq; alios mox inde profectus ad agros,
In varijs vrbes velle videre locis.
Quæ tibi dura illud ſuaſit ſententia? quæue
Cauſa iubet patrias rurſus adire plagas?
Cum ſine multiplici nequeas diſcedere queſtu,
Deplorent abitum Pieridesq́; tuum.
Non ita diſceſſum potuit Phœnicis Achilles,
Euryali Niſus vel doluiſſe ſui:
Quam doleo triſti mihi quod tu ſorte negeris,
Et nequeas ſtudijs rector adeſſe meis.
Ah quoties carum mihi te reuocabo magiſtrum!
Triſtibus ah quoties te reuocabo ſonis!
Multa mihi reſtant varijs diſcenda libellis,
Vix ſine tam fido percipienda duce.
Neſcio qua potui fortunam offendere noxa,
In clades quod ſit tam ſtudioſa meas.
Sed quid prolixis doctas ſermonibus aures
Detineo luctum commemorando meum?
Non minus ire tamen longinquas pergis in oras,
Forſitan & fato cogeris ire tuo.
Fata trahunt homines, nec voto viuitur vno,
Cernimus his verſa currere multa vice.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Nec iuſto poßum tibi ſuccenſere dolore,
Cum ſit propoſiti cauſa probanda tui.
Ducimur arcano patriæ telluris amore,
Et facit hæc nunquam non meminiße ſui.
Tuq́; illam primo iuuenis cum liqueris æuo,
Viſaq́; non ea ſit per duo luſtra tibi:
Te mira illius reputo dulcedine tangi,
Vt ſolet inſignes quoſq́; mouere viros.
Sic Ithacus patrios cupiebat cernere fumos,
Cernere ſic Latios Naſo poëta lares.
Ergo quibus dictis aut quo tibi carmine grates,
Pro meritis dicam docte Chytræe tuis?
Si ter magna pio debetur gratia patri,
Quod fuerit vitæ proxima cauſa breuis:
Quanta tibi merito debetur, viuere qui me
Non tantum, bene ſed viuere poße, doces.
Illa dat externum bona defendentia corpus;
Tu mentis donas interioris opes.
Qua, ſolum à reliquis diſtamus in orbe creatis,
Tangimus atq́; ipſum nobilitate Deum.
Atq; vtinam ſolitis conſiſtere ſemper in oris
Et poßes monitis me docuiſſe tuis.
Quamuis nemo queat totius tempore vitæ,
Præmia doctori digna referre ſuo:
Attamen exprompta me non caruiſſe videres
Mente, nec ingratum pectus ineſſe mihi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Te magni facerem, colerem, reuerenter amarem,
Audiremq́; tuæ carmina culta lyræ.
Carmina Mantoæ quæ dixeris æmula Muſæ,
Æmula vel numeris blande Tibulle tuis.
Sed nunc præpropero, dolor ô, diſcedere curſu
Claraq́; Roſtochij linquere tecta paras.
Vade bonis auibus Chriſto duce & auſpice Chriſto
Et luſtres celeri culta Lycæa gradu.
Siue per irriguos, habitant quos Saxones agros,
Siue Brabantinos ingrediere lares.
Seu te lentus Arar, Rhodaniúe tumentior æſtus,
Seu pater è medijs Sequana ſpectet aquis.
Siue per excultos Rheni ſpaciabere campos,
Siue pede, audaci ſiue veheris equo,
Dij faueant dextri, venturaq́; damna cauentes,
Efficiant patrias viſere poſſe domos.
Non te dira trucis rapiant ſpelæa latronis,
Nec metuas rabidi ſæua pericla maris.
Non te peſtiferi lædant contagia morbi,
Tempeſtas cœptum nec remoretur iter.
Sed velut Iſacides, patrias cum tendit ad ædes,
Sidereo cinctus numine, tutus erat:
Sic quoq; tu cari repetas cum tecta parentis,
Angelico cinctus milite ſoſpes eas.
Soſpes eas, lætus quoq; ſæpius inter eundum
Corripias ſolitæ plectra ſonora lyræ.

Æte

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Æternoq́; canas ſacrum pæana parenti,
Et releues duræ tædia lenta viæ.
Fallor an agreſtes ſtupefactæ carmine mentes,
Excipient prompta te comiteſq́; domo.
Fallor an ex denſis ſilueſtria numina lucis,
Quocunq;, attonita mente ſequentur, eas.
Oblitæq́; feræ partas indagine prædas,
Depoſito tecum tecta furore petent.
Phœbe pater, diuum ſoli cui carmina curæ,
Hunc nobis ſanum, quæſo, tuere virum.
Quæſo tuere tuis, vegetas quibus omnia, flammis,
Et ne quid doleat, quæſo tuere virum.
Non acri corpus lædat leuis Æolus aura,
Nec noceat nimio feruidus igne Canis.
Nam, mihi crede, tuæ non vltima fama cohortis,
Crede mihi, Clarij eſt gloria magna chori.
Sed iam currus adeſt, roſeis quo vectus ab agris,
Incœptum properans continuabis iter.
Ergo vale, longumq́; vale dulciſsime Nathan,
Dilecti ſemper patris amande loco.
Ante vagus puro volitabit in aëre piſcis,
Atq; auis æquoreis picta natabit aquis:
Quam male grata tui ſubeant obliuia vultus,
Nominis aut poſsim nom memor eſſe tui.
Viue, valeq́; diu felici ſidere felix,
Hœchelijq́; aliqua parte memento tui.

Io. Bocerus Poëta Nathani Chytræo adhuc puero.

PErge puer tales crebro mihi mittere verſus,
Vatis & inſigni nomine clarus eris.
Sic olim patrius tranquillis Necer ab vndis,
Hic etiam dicet noſter alumnus erat.

Nicodemus Friſchlinus Nathani Chytræo S.

SAlue Pieriæ Nathan laus magna cohortis:
Qui celebras faſtis tempora noſtra tuis,
Miraris quid fortè ſibi mea litera poſcat,
Arbitror, ignota litera ſcripta manu.
Audi igitur: ſpes facta mihi te poſſe videre,
Et Poſthì vultu colloquioq; frui,
Hoc fretus, patrijs nuper digreßus ab oris,
Francfurtum petij Vueißiacamq; domum.
Sed quia fruſtratus coram veſtra ora tueri
Non queo: literulas has tibi mitto meas.
Virgilijq; nouam faciem & noua carmina mitto,
Carmina ſi dici crimina noſtra queunt.
Miſimus & Venetum Dauidi iam antea bellum.
Sed nil reſponſi reddidit ille mihi,
Tu mihi reſcribas an ſint mea grata Chytræis
Scripta, meumq; boni conſule quæſo librum,
Mendoſum vitio nunc impreßoris: at olim
Emendaturus, quando licebit, ero.

Viue

Viue valeq́; diu, Muſis & Apolline dextro,
Saluere & fratrem, quo decet ore, iube.

Iohannes Bocerus Nathani Chytræo, collegæ cariſsimo. S.

DVm canis abiectam diuinis verſibus artem,
Inuiſæq́; probas munera Grammaticæ;
Audijt hæc: Pindumq́; lubens Othrynq́; relinquens,
Hæſit in Heruleo diua benigna ſolo.
Hic licet & ventus, maris & grauis obſtrepat vnda,
Et placidæ diuæ tædia longa ferat:
Illa tamen meritæ lenita cupidine laudis,
Comprobat incœptum, talibus vſa, tuum.
Hoc tibi conſilium verus ſuggeßit Apollo,
Vnus & ex multis vtiliora ſapis.
Quid referam noſtin? mihi præmia pinguia deſunt,
Te faciam docto pectore Grammaticum.

Petrus Paganus N. Chytræo. S.

VT poſita quondam cithara Ießeius heros
Plorauit, cantus immemor atq; lyræ:
Sic reor affinem vates te flere peremptum,
Muſica nec triſti tangere plectra manu.
Vtq; Nathan pius erexit peccata fatentem
Dauidem ſummi voce propheta patris:
Sic Dauid fratri Chytræus ſæpe Nathani
Porrigit in luctu pharmaca ſacra graui.

Sic ego (ſed liceat magnis componere parua)
Solamen vati ferre Poëta paro.
At quæ ſuppeditent mœſtæ ſolatia Muſæ,
Cum, qui te torquet, me quoq; torpor agat?
Incomptos igitur, quos mittimus, accipe verſus,
Forte magis comptos lætior hora dabit.
Sæpe mihi iuuenes de te vir candide multa
Affirmare ſolent principe digna viro,
Nobile Roſtochium veſtro quos miſit ab axe,
Teſtes ingenij clare poëta tui:
Laudibus his igitur ſacro quaſi tacta furore
Ignotos audet Muſa ſubire lares,
Hoſpitium vulgare petens: tu ſuſcipe feſſam,
Proq́; mero liquidi porrige fontis aquas.
Donec læta magis poſt nubila luſtra reuertens
Rideat: interea vos tegat ala Dei.
Dauidem fratrem, quo vix conſtantior alter
Adſerit afflictas relligionis opes,
Simonem Paulum nulla quoq́; parte minorem,
Tres animas nunquam ſeparet alma Trias.

Iohanni Fredero magiſtro ludi Guſtrouienſis.

FRedere patris optimi fili optime,
Quonam niuoſæ te dies brumæ vocant?
Friguſq́; quo ſilex queat diſrumpier?
Lycæa noſtra num tibi ſic diſplicent?

Grataſq;

Grateq́; nobilis Roſæ fragrantia?
Magiſne Varno poſt amabis Neuelam?
Qui te vocat Scholæq; ſceptra dat ſuæ.
Non credo: ſi me pectoris candor tui,
Si me fides virtusq; & eruditio,
Natura ſi non fallit & modeſtia:
Qui non ſinunt feruntq;, noſtri ut immemor
Vel unicum Fredere tranſigas diem.
Sed & voluntas & ſcholæ te publica
Vox euocat, parere cui te conuenit.
Ergo ſecund o quò vocaris omine
Fredere perge, nec niues aut frigora,
Nec bruma curſum ſæua læſerit tuum.
Cadant ſed ex ſententia lætè omnia,
Quæcunq; cogitaueris & cœperis.

Conradus Albinus Nathani Chytræo.

CHytræe faſtis digne perennibus,
Chytræe Phœbi delicium patris,
Qui nomen ipſo melle Muſis
Dulcius Aonijs dicaſti.
Salue celebre Roſtochij decus,
Qui ſacra Muſis caſta paras tuis
Illic, ubi Mars glorioſa
Multa prius ſtatuit trophæa.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Illic inerti turpiter ocio
Nunquid miniſtrans deſidiæ vacas
Elanguidæ? & vitans labores
Egregios, male perdis æuum?
Non hoc Chytræi nobilis indoles,
Sagacis & laus ingenij vigens,
Virtusq́; nobis pollicetur,
Perpetuis celebranda faſtis.
Nouit Chytræi nomen Iberia,
Quin & Lemani & Tibridis accolæ
Faſtos legunt ſacros Chytræi,
Scriptaq́; continuanda poſcunt.
Chytræe multis viuere ſeculis
Et digne cœlos tangere lucidos,
Viue, vt tuam exornes decorē
Laudibus eximijs corollam.

Ad Nathanem Chytræum vt Faſtos condat.

Ioach. Meiſterus Gorlicenſis.

GRæcia non tantum Heroas quis fortia bello
Pectora, victores, quos fera pugna dedit:
Verum & Olympiacæ quondam certamine palmæ
Curſibus & cæſtu qui valuêre legit.
At non multa, rubens quos Chriſti ſanguine cœtus
Victores memorat, pagina vatis habet.

Qui Chriſtum faßi regem certamine pulchro,
Et vitam, & certæ membra dedere neci.
Illis ergo fluens non vno vulnere ſanguis,
Non vno ad ſuperos vate ferendus erat.
Fata vocant, auræq; Arctoa roſeta laceßunt,
Spirat ab Arctoo limite dulcis odor:
Sume Chytræe animos & inania nubila tranans,
Tolle ſolo vernis tempora nexa roſis.
Te manet immortale decus, tu carmine faſtos,
Tu ſacros Chriſto carmine fer cineres:
Tu cane natales Heroum, & tempora conde
Enſesq; & furcas, & fera bella cane.
Sanguine nam fuſo Ioue plantaria creſcunt:
Herbas affuſus ceu tener humor alit.
Sic vbi ſub finem rutilos conſidet in ignes,
Et cœli æthereum flamma cremabit opus:
Atq; excita imis ſanctûm altera corpora tumbis,
Ante pedes ſtabunt, lucida ab igne, Iouæ:
Tu roſca circum redimitus tempora luce,
Anteuolans, Iouæ ductor ad ora rues:
Ille coronatum lauro meliore poëtam,
Te volet in medijs ſacra præire choris.

Nicolaus Reuſnerus Nathani
Chytræo S.

MVlta gaudia cum ſalute multa
Muſarum Charitumq; dulci alumno

Chy-

Chytræo mea Muſa dic Nathani,
Poëtæ lepido, bono poëtæ:
Et de regibus huic meum libellum,
Magni ſceptra tulere quotquot orbis
Cari pignus amoris & fauoris
Dona. quid melius poteſt poëta
Per Muſam dare muſico poëtæ,
Suorum niſi carminum libellos,
Muſici ſtudij perenne donum?
Quid præclarius elegantiusue eſt?

Io. Caſelius Nathani Chytræo celebranti ſuum natalem.

Χαῖρέ μοι ὦ Ναθὰν, καὶ νῦν σὰ γενέθλια τίμα,
θύων ταῖς χάρισιν, καὶ σπένδων περιδέασι
ἑστιόων θ᾽ ἑτάρους οἵ τοι πολὺ φίλτατοί εἰσιν.
ἡμεῖς δ᾽ αὖ ἡμῶν τὰ γενέθλι᾽ ἑορτάζοντες,
μούσας τε χάριτας καὶ ἄλλους ἑστιόωμεν,
ἐν τοῖσιν δ᾽ ὦ μάντι φίλ᾽ ὅπως ἔχαρες εἶσι,
ἀλλὰ πολὺ πρῶτος, καὶ γάρ σοι πρῶτος ἐτύγμην.

Io. Secceruitius N. Chytræo.

PRomiſere alij, Faſtos tu ſcribis, & acri
Limatum cura iam tibi prodit opus.

Ergo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ergo tuis viues inſigni carmine faſtis,
Dum reduces faſtos orbita Solis aget.

Aliud eiuſdem.

Egregij vates alij cœpere, ſed vni
In lucem fœlix iam tibi prodit opus.
Quo decoras noſtros inſigni carmine Faſtos,
Condis & illuſtres clara per acta dies.
Ergo tibi, faſtos donec numerabit euntes,
Poſteritas grates candida ſemper aget.
Tu modo Caſtalio qua ſtat ſua palma labori,
Ad metam fauſto ſidere lætus adi.

Nathani Chytræo, Meliſſus.

Spinas & Roſulæ meæ roſetum,
Et quantum eſt epigrammatum meorum
Vocat Bucco poëticas columbas,
Et me ſcribere nil Chytræe dicit
Præter haſce volatiles columbas.
Vt non immerito! ſed haſce noſtras
Mallent eſſe alij ſuas columbas.
Quid venuſtius eſt amœniusúe
Pulchriusúe poëticis columbis?

P. Meliſſo Nathan Chytræus.

Si Meliſſe nequit tuas columbas
Ferre tam nitidas & elegantes
Quæ tot iam volitant per ora vatum;

Bucco-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Bucconem obſtreperos iube cuculos
Mirari, & fatuum cucullionem
Currucæ fieri, niſi eſſe malit
Curruca, ut fuit, atq; erit cuculus,
Indignus roſeis tuis columbis,
Quarum una omnibus eſt prior cuculli.

Nathani Chytræo. Ode.

AVro ſuperbus diues obambulet,
Cui dulce gemma fundere Creticum
Oſtroq; olorinaq; pluma
Sternere mos Parium cubile.
Te ſacra Nathan ingenij bona
Gazæ tumentem nil ope Perſicæ
Te Muſa Graijs & Latinis
Artibus exſatiat beatum.
Fruiq; docto callidus otio,
Iam nunc perenni carmine poſterum
Viuax in æuum, ſpem futuris
Das genio meliore Faſtis.
Hæc inter, auro difficilis comes
Quæ dente ſomnos vellicat inuido,
Non cura te mordens inanis
Vulnere debilitat pudendo.
Incerta nec te turbine ſors leui
Iactat pauentem ludibrium arduis

Ty

Prætriſte rebus, quo repulſi
Icarus & Phaëton ab alto.
Menti quietæ lucida frons ſuum
Æquat tenorem: ſtat modicæ domus
Sat munda Gerdrudi ſupellex:
Quæ Charitum tibi iuncta nexu,
Omni Sabæa meſſe ſuauior,
Et rore mellis dulcior Attici,
Te liberis, librisq; fœto
Aonio beat in Roſeto.
Hic & tenellæ prolis amabiles
Videre luſus tam placitum patri,
Quàm feſſus audit cum viator
Lenis aquæ, recubans, ſuſurros.
Hac macte gaza perge tuum decus
Fouere Nathan numine proſpero:
Sacrisq; ſat diues camœnis
Sperne Arabes, tumidosq; Perſas.

Ioannes Secceruitius
Anno 1577. die
28. Ianuarij
F. R.

FRI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

FRIDERICO II. DANIÆ, NORVEGIÆ, SCLAuorum Gothorumq́ꝫ Regi potentiſſ.

DAnorum commune decus Friderice, pen
Dum Varni exiguos maximus hoſpes ad
Inſolitúm philomela canit: roſa pandit honorem
Aureolum: in læto flumine cantat olor.
Quid nam igitur Muſæ? ſileantnè optata patr
Gaudia? dum ſoceri regia tecta petit.
Num taceant Sophiæ cinctam diademate frontem
Quæ veluti, Muſas, altera Pallas amat.
Sit procul à gratis incuria tanta deabus,
Officij reliquos quæ pia iura docent.
Lætitiæ cum cauſa igitur Rex tempore læto
Reginæ ſubeas rura paterna tuæ:
En etiam Muſæ noſtræ, tibi læta tuiſq́ꝫ,
(Læta decent ſiquidem tempora læta) canunt.
Quænam ea ſint quæris? ſunt lecta epigramma
Tincta iocis, lepidi tincta lepore ſalis. (mult
Quæ te, quæ proceres aulæ, poſt ſeria rerum,
Sed poſito poterunt exhilarare mero.
Pars horum noſtra, ex alijs pars ſumpta libellis,
Cur etenim iungam non meliora meis?
Vt mea quod nequeunt, aliorum carmina præſtent
Tangat & vt finem ſedula Muſa ſuum.

Si l

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Si locus exiguis inter tot ſumma camœnis,
Conſecrata tibi carmina pauca lege.
Hæc ſtudijs te patronum te pacis adorant,
Et celebrant Sophiæ mentem animumq́; tuæ.
Viue diu incolumis noſtro rex optime ſæclo,
Omnia ſint vitæ candida fila tuæ

Reg. M. T.

Obſeruantiß.

Nathan Chytræus.

ΑΝΘΟΛΟΓΙΑ SELECTORVM EX VARIIS POETIS EPIGRAMMATVM.

In Idoli cultorem G. Bucanani.

MAne, pater noſter, cum ſurda idola ſalutans,
Ingeminas, ſana mente videre loqui;
Saxeus illo ipſo magis es, me iudice, ſaxo:
Quippe patrem ſaxum qui fateare tuum.

In quendam Antiſtitem.

ESſe Lutheranum rumor te Poſthume clamat:
Sed tuus antiſtes te tamen eſſe negat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Tam ſcortaris, ait, quam ſi vel epiſcopus eſſes,
Et potas dubiam peruigil vſq; diem:
Nec memor es Chriſti, niſi quum iurare libebit,
Nec ſcis ſcripturæ vel bene Iota ſacræ.
Nempe per hæc ſueuit nunquam fallentia ſigna
Ille vigil ſanas noſcere paſtor oues.
Quiſquam igitur dubitat, rumornè an epiſcopus er
Tam bene commiſſam qui ſibi nouit ouem? (ro

Epit. Syluij.

SYluius hic ſitus eſt, gratis qui nil dedit vnqua
Mortuus, & gratis quod legis iſta, dolet.

Ad amicos.

NEmo meos cineres violis fragrantibus ornet,
Nudaue purpureas ſpargat in oſſa roſas.
Si quis amat, viuo largum ſe præſtet amico,
Officijs poterit dum locus eſſe pijs.
At vbi fatales Lacheſis mihi neuerit annos,
Noſtra vel incultis horreat vrna rubis.

Angeli Politiani, In Pamphilum.

MIttis vina mihi, mihi Pamphile vina ſuperfluunt
Vis mage quod placeat mittere? mitte ſitim.

In Nioben è Græco.

HOc eſt ſepulchrum intus cadauer non habens.
Hoc eſt cadauer & ſepulchrum non habens.
Sed eſt idem cadauer & ſepulchrum ſibi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

I. Iouiani Pontani de Galla ſterili.

GAlla fui, Gallo coniunx bene iuncta marito:
Verùm nec pullos, oua nec vlla dedi.

Actij Synceri de Aufidio.

DVm caput Aufidio tractat chirurgus, & ipſum
Altius exquirit, quo videat cerebrum:
Ingemit Aufidius, Quid me chirurge fatigas?
Quum ſubij rixam, non habui cerebrum.

Ioannis Secundi, in Charinum deformis vxoris maritum.

NVper Charine coniugem
Vidi tuam, tam candidam,
Tam lacteam, tam floridam,
Cultam, modeſtam, blandulam;
Vt ſi mihi tales bonus
Conceßerit tres Iupiter,
Diti daturus ſim duas,
Auferret vt ſuperſtitem.

De ſententia pronunciata à quodam Ruſtico. Henr. Steph.

NIdorem ad carnis, quæ torrebatur, edebat
Quidam (opſonandi copia nulla fuit)
Cuius erant carnes, hunc flagitat improbus æra:
Hic autem multo denegat improbius.
Ad pugnos res ducta foret: ſed tranſijt illac
Ruſticus: in media eſt arbiter is platea.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Reſpondet; ſi nil nidorem acceperit vltra,
Præter nummorum det nihil ille ſonum.

De duobus Fratribus decoctoribus.

POſtquam ſunt Aulo, ſunt omnia perdita Paulo
Quæ fuerant longo parta labore patri,
Vitæ ſubſidium ne deſit fortè futuræ,
Ille artem legum diſcit, at hic medicam.
Mox ad perdendi ſed vterq; reuertitur artem:
Ille etenim cauſas perdit, at hic animas.

De Morione quodam Epiſcopum riſui exponente.

MOrio quum domini petijſſet mane cubile,
(Morio qui domino præſule dignus erat)
Quattuor eſſe pedes, contrectans, ſentit: (habebat
Cum domini pedibus chara puella ſuos)
Clamat & attonitus, vicinia tota caueto:
Monſtrum ingens nox hæc non bene fauſta dedit.
Factus herus quadrupes. ſi non mihi creditis, oro
Vt faciat verbis ipſa lucerna fidem.
Qui de alijs domino riſum præbere ſolebat,
Nunc domino non eſt morio, ſed populi.

De quodam, qui ad patibulum ducebatur.

AD mortem trahitur dum quidam, dum ſupereſſet (ſo
Par ſpatium vitæ, par ſpatiumq; viæ,
Peſte

Peſte infeſtatur platea hæc, quantum audio, dixit.
Pertranſire illam non ego ſuſtineam.
Alea de dulci ſubeatur cur mihi vita?
Cur adeam tetræ certa pericla luis?
In cruce poſt vnam moriendum cui fuit horam,
Poſt paucos metuit peſte perire dies.

De Franciſcanis.

QVI Franciſcanos reſti ſe cingere iuſsit,
Illorum prauum nouerat ingenium.
Ante oculos reſtim voluit verſarier illis,
Subq; metu ſemper viuere carnificis.

De Phyllide, quæ quinto poſt nuptias menſe pepererat.

ANte legitimum ſtatumq; tempus
Quum puerpera facta Phyllis eſſet,
Infamauit eam per ora vulgi
Rumor continuo vagatus iſte:
Nuptias fuit ante nupta Phyllis.
Sed ridens mulier, caputq; motans,
Pauca hæc rettulit illa nuncianti:
Computat male vulgus imperitum,
Nuptiarum etenim mei mariti
Quinq; præteritos amice menſes
Quinque menſibus addito mearum:
Non partus decimi ſit iſte menſis?

In Paulum ſermone affectato vtentem.

HEſterna quum nos ad cœnam luce vocaſti,
Dicebas vmbris pluribus eſſe locum.
Sed nobis & eis pariter quas duximus vmbris,
Pro cœna cœnæ vix leuis vmbra fuit.

Dictum Mulieris immorigeræ.

DVm quædam cerebroſa diu reprehenditur uxor,
Nec ſatis officij dicitur eſſe memor:
Quid de me queritur coniux? quod uult, uolo, dixit:
Imperium is ſibi vult, id volo & ipſa mihi.

Ad quandam.

QVum nondum ſcirem quid amoris tela valerent,
Quum me, ceu torrens, abripiebat amor,
Dicebare mihi mea lux, mea vita, meum cor:
Auribus atq; dabam talia multa tuis. (mors
Nunc ſcio quid ſit amor: nunc crux mea diceris, &
Nam per quam morior, quæ mihi vita foret.

De quodam qui clyſterem ebibit.

CLyſterem ad quendam, cui nec de nomine clyſter
Notus adhuc fuerat, pharmacopola tulit.
Atq; parum prudens, clyſterem hunc ſumito, dixit.
Verum hac anne illac ſumeret, id tacuit.
Quumq; pedem vix dum mouiſſet limine, promptè
Æger clyſterem corripit, atq; bibit.
Nunc, Hippocraticis quos impalleſcere chartis,
Iuuit, quos chartis docte Galene tuis,

Soluant nodum iſtum: nũm qui ſic ſumptus ab illo
Clyſter, clyſteris nomine dignus erit.

In quendam.

EX animo ſemper loqueris quodcunq; loquaris,
Vlla tuis verbis ſi tribuenda fides.
O quo nil noſtro magis eſt mirabile ſeclo!
Ex animo loquitur, cui nil eſt animi.

Iani Duzæ in Sabellum potorem.

VNde ſuum quæris ducat cereuiſia nomen:
Quod viſat cerebrum crebra Sabelle tuum.

Mureti de Pompilij Naſo.

POmpilio eſt naſus cubitos tres longus, & vnum
Latus, & hunc murus cingit vtrinq; triplex.
Adſunt & turres Bacchus quas condidit ipſe,
Et minio tinctis vſq; rubere dedit.
Huic etiam naſo vis admiranda tributa eſt,
Nam calices ſiccos illius vmbra facit.
Imo etiam longè diſtans ſi ſenſerit vſquam,
Vt magnes ferrum ſic trahit iſte merum.
Nuper eram in menſa ſitiens potare paratus,
Pompilius clauſas aſtitit ante fores:
Mira canam, ſed vera: merum mihi forte paratum
Attraxit naſo protinus ille ſuo.

In naſum Pauli.

EXiguum ſi quis naſum vidiße laborat,
Paulum adeat, Paulo ſi modò naſus ineſt.

Non etenim eſt naſus, ſed pars centeſima naſi:
Et quo quis viſo dicere poßit, vbi eſt?
Talis ineſt naſus muſcis, ſed & his quoq; maior,
Et melius naſi nomine dignus ineſt.
Quam quæ per radios volitant corpuſcula ſolis,
Maiorem naſum vix, puto, Paulus habet.

Iohannis Secundi in Nanum.

AVſus formicæ Nanus conſcendere tergum,
Credebat domito ſeſe Elephante vehi.
At verò, vt curſu fertur nimis illa ſuperbo,
Infelix media præcipitatur humo:
Calcatusq; miſer, quid rides, inuide, caſum,
Dixit, communem cum Phaëtonte mihi?

In Gelliam.

MOechos dicere quos ſolemus, illos
Mauult Gellia filios vocare:
Nec id iudicio meo imperitè:
Nam ſi dicere filios ſuêrunt
Matres, quos aliquot tulêre menſes;
Quos decem minimum tulit per annos,
Quidni Gellia filios vocabit?

Thomæ Mori, in Aſtrologum currucam.

AStra tibi æthereo pandunt ſeſe omnia vati:
Omnibus & quæ ſint fata futura, monent.
Omnibus aſt vxor quòd ſe tua publicat, id te
Aſtra, licet videant omnia, nulla monent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Parcum morientem.

CHryſalus heu moritur diues, dolet, ingemit, vn-
Nemo magis triſti pectore fata tulit. (quam
Non quoniam ipſe perit, cui nil ſe vilius ipſo eſt;
Sed nummi pereunt quattuor in tumulum.

Ad malæ vxoris maritum.

VXor, amice, tibi eſt ſemper mala: quum malè tra-
Fit peior: ſed fit peßima, quando bene. (ctas,
Sed bona, ſi moriatur, erit: melior tamen, id ſi
Te faciat viuo: aſt optima ſi properè.

In Pictorem.

CVm cane ſic pictus lepus eſt, vt dicere nemo
Eſſet vterue canis, poßet, vterue lepus.
Pictor vbi hoc didicit, quod inerti defuit arti,
Suppleuit miro callidus ingenio.
Res vt aperta foret, longeq; faceßeret error,
Subſcripſit tantum eſt hic canis, iſte lepus.

Ad Quendam.

QVam tibi mens leuis eſt, tibi ſi pes tam leuis eſſet;
Pes neq; molliculum ſaltando rumperet ouum,
In medio & leporem poßes præuertere campo.

Baptiſtæ Amalthei in Prillam.

O ego, dum nitidos errat mea Prilla per hortos,
Quam vellem rutilæ flos nouus eſſe roſæ!
Qui ſeu virgineo decerptus molliter vngue,
Ornarem ambroſiæ florida ſerta comæ;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Siue ſinum, & roſeas perfunderem odore papillas,
Afferrem tacitas vndiq; blanditias.
Gnoſiaq́; ut quondam ſtellis illata corona eſt,
Et Beronicæi verticis exuuiæ;
Sic iam aliquis forſan, felici lumine cum me
Linqueret aridulis forma cadens folijs,
[illegible]uans cœlo fulgentem, aſtriſq́; micantem,
[illegible]iceret ipſa ſuam ſidera habere roſam.

Antonij Goueani de caſta Puella.

OScula cum vellet Furius libare puellæ,
Aduerſam Furij percutit illa genam.
Dixit &, i manui crepitantia baſia fige:
Namq; eadem penitus ſunt manus, osq́; caro.

Ad Zebedæum.

NEC voces hominum, nec te decreta ſenatus
Vt barbam ponas, ulla mouere queunt.
Nolo virum, barba quærit qui nobilis eſſe,
Hunc volo, qui barbam nobilitare poteſt.

Claudij Roſeletti de quodam auariſsimo.

SVB terra nuper qui fuluum condidit aurum
Quantum vix cepit diuitis arca Midæ:
Is ſemel, ah demens, voluit, ſuſpenſus ab alta
Fronde oleæ, propriæ conſcius eſſe necis.
Sed timet ut laqueum tenui mercarier ære,
Stramineo fecit fune ſibi laqueum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Eminus hunc meßor proſpectans, ante cucurrit,
Mox miſerum infauſto liberat à laqueo.
Neſcius ulli homini benefactum reddere, nedum huic
Qui dulcis vitæ libera cauſa fuit:
Mœſtè, ægreq; ferens, ad præſidis ora timenda
Meßorem ingratus mane venire iubet:
Cogat ut effractum funem perſoluere, nunquam
Verterit ingenium gratia lata malum.

Iacobi Rogerij de Medico & ægro.

VEnerat ad medicum mulier triſtißima, cuius
Torquebat miſerum febris acerba virum.
Ille per vrinam morbi cauſamq; modumq;
Edoctus, ſcriptum tradidit antidotum.
Factuus hoc potet coniux primo, inquit Eoo,
Sentiet optatam, crede, ſalutis opem.
Læta domum properat, nec pharmaca ſumit, at ægro
Ex vino oblata eſt charta voranda viro.
Iuſſa facit fidente animo, nunc febre fugata,
Viuit, & eſt medico gloria rara ſuo.

De vini potore egregio.

CVr tibi, Bacche pater, non fertur Gallus ad aras
Si caper eſt ſacris victima grata tuis?
Par vtriusq; nefas, nec par iniuria: namq;
Hic eſt pernicies vitis, & ille meri.

Flaminij ad puellam, de niue.

ME niue candenti petijt modo Iulia, rebar
Igne carere niuem, nix tamen ignis erat.
Quid niue frigdius? noſtrum tamen vrere pectus
Nix potuit, manibus Iulia miſſa tuis,
Quis locus inſidijs dabitur mihi tutus amoris,
Frigore concreta ſi latet ignis aqua?
Iulia ſola potes noſtras extinguere flammas,
Non niue, non glacie: ſed potes igne pari.

De Medicis Eur. Cordus.

Tres medicus facies habet: vnam, quando rogatur,
Angelicam: mox eſt, cum iuuat, ipſe Deus.
Poſt, vbi curato poſcit ſua præmia morbo,
Horridus apparet terribiliſq; Sathan.

Antonij Minarij ad malum pöetam.

QVod fronte obducta, pulloq; incedat amictu
Mæuius, & crebros excutiat gemitus,
Mon charam vxorem, fratres, aut dulcia natos
Pignora, nec matrem, nec gemit ille patrem.
Librorum exſequijs interſuit ipſe ſuorum;
Hinc illæ lacrymæ Mæuio, & hinc gemitus.

Io. Aurati ad Sideridem.

O Lentum mihi tormentum ferrata Sideri,
O animæ triſtis carnificina meæ?
Te quidem amo, ſed ſic vt amat bos laſſus aratrum,
Excutere è collo quod nequit ille ſuo.

Quod

Quod ſi vis in amore meo eſt, ſi cogor amare:
Non odi, quod amo; ſed nec amo, quod amo.

Incerti.

DVM cadit è medio nix albentiſsima cœlo,
Ante ædes dominæ peruagor ipſe meæ.
Ecce manu niuea niueos in me iacit orbes:
Forſan vt ardorem pelleret illa meum.
Tunc ego; non ſatis eſt noſtras extinguere flammas
Quidquid ab arctoo decidit axe niuis.

Ioannis Taygeti in malum Medicum.

QVod gemit atq; tuus crebro conclamat aſellus;
Huic medice inſanis ictibus ora notas.
Deſine nil meritum diro punire flagello,
Ille etenim cauſas vnde queratur habet.
Indignatur herum vilem portare miſellus,
Hinc gemit, hoc vno calcitrat impatiens.
Scilicet æſtiuo nuper ſub ſole pedeſter
Findebas tardo rura aliena boue.
Nunc incedis eques, ciuili veſte ſuperbus,
Ornat & articulos lucida gemma tuos.
Quis te artes docuit medicas, cœliq; meatus,
Sideraq; & rerum noſcere principia?
Ergo ſeu rudat, feriat ſeu calcibus auras,
Ipſum crede aſinum dicere, porto aſinum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

In Scurram pauperem.

SCurra vbi iam fures tota ſibi nocte videret,
Scrutantes magna ſedulitate domum.
Riſit, & ô media quod vos hic nocte videtis,
Miror, ait: media hic nil ego cerno die.

Antonij Goueani de Monacho.

DEprenſum nemore in medio iuſſere latrones
De Chriſti Monachum relligione loqui.
Qui dicto citius (neq; enim fas dicere contra)
Paret, & hoc fatus dicitur eſſe modo:
Acta manus iuuenum terræ pelagiq; periclis
Hæc hæc, quam ſequeris, ducit ad aſtra via.
Namq; vagabatur terraq; mariq;, nec vno
Narratur Chriſtus conſenuiſſe loco.
Tu quoq; nunc illuc, nunc hunc abſq; ordine curris,
Horaq; non vno te videt vna loco.
Non putrem curuo terram vertebat aratro,
Nec ſolitus terræ credere ſemen erat:
Viuebat tamen, & vitæ nil defuit vnquam:
Hac quoq; vos eſtis commoditate pares.
Quid plura? alta fuit tandem ad ſubſellia tractus,
Damnatusq;: eadem vos quoq; fata manent.
Ille cruci affixus vitam cum ſanguine fudit,
Non eritis, credo, vos meliore loco.
Vmbrarum ille domos, cœcæq; cubilia noctis
Viſit, & eſt vobis iſta terenda via.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ille tamen ſubitò cœleſtia regna reuiſit:
Non dabitur vobis inde referre gradum.

Euricij Cordi, ad Lucium.

AVdio te, Luci, pulchram duxiße puellam,
Quæ ſit quo coniunx veſpere facta parens.
O ſuper Idalias fœcunde marite columbas,
Quam tibi fauſta Venus, quam bona Iuno fauet!
Si quo cœpta modo ſunt hæc connubia, pergent,
Natorum poſces cras tibi iura trium.
Ante duos vinces Ægypti pignora menſes,
Quiq́; nurus gignant deficient Danai.

In profeſſorem artis memorandi.

QVam bene promißam memorandi noueris artem,
Egregium ſpecimen conſtat vbiq́; tuum:
Quod potes illius reminiſci ætatis & anni,
Quo tua adhuc mater nullius vxor erat.

In titulum cuiuſdam libri.

PAule tuum inſcribis nugarum nomine librum:
In toto libro eſt nil melius titulo.

Petri Angelij Bargei, in Lauram Puellam.

QValia ab arboribus pendent ſua mala nouellis,
Non matura quidem, ſed nec acerba tamen.
Qualia vernanti fundunt ſe margine ab omni
Fraga, & purpureo grata colore rubent.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Pectore ſe tales fundunt tibi Laura papillæ,
Tales & malæ, talia labra rubent.
O, felicem igitur, vernanti ex arbore quiſquis
Talia mala manu, talia fraga leget!

Sabini de Aſtrologo & aratore.

DIxerat aſtrologus cœlum ſine nube futurum
Principe ſiluarum luſtra petente ſuo:
Dixerat è contra ruiturum nubibus imbrem
Vertere conſuetus bobus arator humum.
Vix ingreßus erat princeps nemus ilice denſum
Cum ſubito pluuiæ præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem princeps, ipſumq́; doceri
Aſtra, ſed aſtrologum ſumere raſtra, iubet.

De Tollione furante horologium.

QVod mouet æquales ſpacijs diſtantibus horas
Liliger auratum Gallus habebat opus:
Hoc vbi, militiam functaq́; bella ſecutus
Tollio, Normannus ſurripuiſſet eques,
Inq́; ſinu furtim per regia limina ferret,
Edidit horarum machina mota ſonum.
Indicio tali fur proditur: omnia fiunt
Crimina iudicio ſic manifeſta Dei.

Pictoris Iocus.

PIgnora coniugij deformia pictor habebat:
Vxor in hunc talem protulit ipſa iocum.
Cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Cum tua præſtantes manus exprimat æmula formas,
Cur ſecus ac pingis, corpora fingis? ait.
Nocte refert, ſoleo tenebroſa fingere; pingo
Clara nitet Phœbo cum radiante dies.

De Sacerdote furem conſolante.

QVidam ſacrificus furem comitatus euntem
Huc, vbi dat ſontes carnificina neci,
Ne ſis mœſtus, ait: ſummi conuiua tonantis
Iam cum cœlitibus (ſi modo credis) eris.
Ille gemens, ſi vera mihi ſolatia præbes,
Hoſpes apud ſuperos ſis meus oro, refert.
Sacrificus contra: mihi non conuiuia fas eſt
Ducere: ieiunans hac edo luce nihil.

Dictum ἀπροσδόκητον.

EBrius occluſas pulſabat Vandalus ædes,
In quibus Illyrici ſanguinis hoſpes erat:
Impatiensq; moræ cum nigra bile tumeret
Hoſpite confeſtim non reſerante domum:
Ecce quid Illyricum, clamabat, & inter aſellum,
Quo pecus eſt nullum turpius, eſſe rear?
Ille refert contra: dubius quid talia quæris?
Anne vides, quod ſint inter vtrumq; fores?

De Bibliotheca Monachorum.

HAud ſecus ac duro fugitiuos carcere ſeruat
Veſtra cathenatos bibliotheca libros.

Quid mirum? ſi nulla viget doctrina, colendi
Doctrinæ autores hic vbi vincla gerunt.

Ad Eliſam.

QVid trahis et laceras conuulſos vngue capillos
Dum gemis interitum matris Eliſa tuæ,
Parce comis ô parce tuis: quid deſipis? an te
Caluitio luctum poſſe leuare putas?

P. Lotichij ad Ioannem Altum.

SÆpe meæ nomen ſimul inter vina puellæ
More iubes priſci temporis, Alte, bibam.
Tu Violantillam potas, mihi Claudia ſeptem
Dat cyathos, & iam frigida fugit hyems.
Quid faciam ſicci cum terga Leonis adibit
Phœbus, & ingratus faucibus æſtus erit?
Ergo meæ propter nomen breue cogar amicæ
Ferre ſitim? tanti nulla puella mihi eſt.
Non tamen hanc dominam mutabo, ſitimq́; leuabo
Quid facies igitur, quæris? amabo duas,

In Carpaurium.

Quòd macer, exſuccus, ſiccus Carpaurius, et quòd
Pallidus, hoc faciunt vxor, & inuidia.
Exſugunt quicquid macilento in corpore ſucci eſt,
Hæc corpus terit, aſt corpus, & illa animum.
Vna parte premit coniux, premit altera eundem
Liuor edax, iam non quærite cur macer eſt.

Hylas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hylax.

ANtiquis tantum raſos incumbere fratres
Patribus exclamans ingeminabat Hylax:
Laudabat patres, patres, pater ipſe, vocabat
Dulce decus myſtis confugiumq́; ſuis.
Pauci abiere dies, & Hylax ſua furta ſecutus
Deprenſus mœchæ mœchus in æde fuit.
Coniugis alterius gremio dum infuſus anhelat,
Et procul abſentem credit abeſſe virum.
Qui ſubito irrumpens thalamos, et dæmona, cancros
Gangrænasq́; ſonans perbreue turbat opus.
I nunc & patribus vos tantum incumbere iacta,
I nunc & ſolos euehe laude patres.
Matribus & nuptis cum vos incumbere multo
Sæpius exemplo teſtificere tuo.

Io. Antonij Vulpij Nouocomenſis.

Ad Hieronymum Dandinum Epiſcopum Forocornelienſem.

SATYRA PRIMA.

QVod te interpellem nugis, dum publica tractas
Munera, & ingenti rerum molimine anhelas:
Des veniam, vel te culpes Dandine neceſſe eſt;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Qui mihi dum comis nimium, nimiumq́; benignus
Das faciles aditus; epulisq́; & diuite menſa
Excipis, hos à me maleſanos elicis auſus.
Contra alij quidam, bifida qui tempora mitra
Cingunt, congreſſus fugiunt, turbamq́; precantem
Colloquijs arcent, centeno poſte, miniſtris
Et totidem oppoſitis; quod ſi (cum maxima rerum
Poſtulat hoc moles) precibus vel munere nonam
Irrumpas; decimæ truderis limine portæ.
Tu facile ingenium natura, mitius arte
Efficis, hinc caſu aduerſo triſtaris amici,
Non ſecus atq; tuo, curis & frangeris ijſdem.
Hoc tibi me cogit cauſas exponere, quare
Sortiti dominum clarum natalibus, annis,
Fortunis, animo illuſtrem, virtutis amicum,
Poſt ſextum menſem Roma diſcedimus, hoc tu
Forte malum ducis; nos contra; ſi vacat, audi.
Me pater haud vilis ſuſceptum coniuge honeſtæ
Primum natorum ſex, vix fantem, ac pede firmo
Tentantem greſſus, ſemotam ablegat in oram,
Scilicet vt poſſem poſt prima elementa, latinum
Et Graium pelagus, tuta ſulcare carina.
Euentus poterat voto arridere, quod eſſem
Ingenio haud ſtupido prorſus; cum quattuor annos
Atq; decem nato, rapuit Libitina parentem.
Inde domum rediens ceſſo, luſtrumq́; ſupinè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Traduco; poſt me patruus patria expulit, atq;
Ticinum miſit, tabuliſq; incumbere bis ſex
Iuſsit, ſcita decem queis ſunt inſcripta virorum.
Hic ego ſub claris hauſi documenta magiſtris
Militiæ, impleuiq; nouem ſtipendia, poſt quæ
Emeritus mittor donatus cum rude lauro.
Poſt hæc in patria turba comitante clientum
Dum cauſas agito, & defendo; iura popello
Tetrica reſponſo; non parua pecunia, verum
(Quod maius duco) mihi gratia quæritur ingens,
Hinc legor & populi, ſanctiq; ex mente ſenatus
Qui luſtrum condam, qui ſcribam ciuica iura,
Iudicio & præſim; poſt noſtra miſsus ab vrbe
Legatus, faciles laſsaui Cæſaris aures.
Quid quæris, proprias tumido dum proijcis ore
Laudes? hac poteram fortuna viuere lætus:
Ni mihi, ceu ſtipulis ignes, iniecta fuiſſet
Ambitio, nobis dum proponuntur honores,
Atq; aurum: dum tu occurris, pariterq; Maphæus,
Atq; alij proceres, qui orbis tractatis habenas
Ob merita. expendo curas, tantoſq; labores,
Inſomnes quæ vos cogunt traducere noctes;
Captus opum tanto ſplendore, & lumine, claras
Ceu Satyrus quondam flammas exurere ſenſi.
Si mihi non ſtabat Parijs ſuffulta columnis
Regia; nec ſenſus fallentia marmora: ſaltem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Culta domus fuerat: tenuis, ſed munda ſupellex:
Qua exciperem inſignes homines, ex claße ſecunda,
Communis queis noſtra fuit ſemper domus, & res:
Et cenſus paruus certè, at ſine crimine partus.
Ire ſalutatum nos atria nulla potentum
Cogebant; multa cum limina noſtra ſalute
Feruerent. fuit & comitum lætißima turba,
Quos nobis mores, ſtudium, & par iunxerat ætas.
His ego gaudebam. Domini cum nomine Romam
Aduocor; haud credo; ſed te vult: me vocat ille?
Sic eſt; at ludis, quid enim ſtupidi atq; puſilli
Me ingenij cupiat tantus Rex? Eſt ita. me inquam?
Tertia deinde venit; nuto: ſed epiſtola quarta
Expugnat, (quis enim multis magniſq; repugnet
Promißis?) mitto quæ ſors ſperare iuberet.
Ex illo, & patria & comites ſordeſcere nobis
Cœpere, & faſtu ſenſim turgeſcere pulmo.
Hinc tumidis ducens ingentes follibus auras,
Omnia magna ſono, Reges, Diademata, Mitras:
Ante oculos ſtat Roma mihi, noctesq; dieſq;,
Hæret Roma oculis, in ſomnis cernimus arcem.
Roſtra, theatra, forum, Saturni templa, ſuburram.
Flentibus hinc ſocijs tandem diſcedimus, armos
Argento grauida nobis laßante crumena:
Omnia, dum propero, retinent me: in limine primum
Offendo, valuis laceranda, & veſtis adhæret:

Claudicat acer equus ſoleis offenſus: ab alta
Ilice parra canit: læua occurrit lupus: anguis
Rumpit iter: pluuiæ, altisq; erumpentia ripis
Flumina nos tardant: properauimus attamen, & dijs
Iratis, magnæ perueni ad mœnia Romæ.
Hic dominus, quod erat curarum pondere magno
Oppreßus, ſero me admittit ad oſcula dextræ:
Excipit & blandis verbis, & fronte ſerena.
Quæ nutantem animum firmarent: inde ſuorum
Sribimur in numero. ſed bina cubicula primum
Conducenda mihi; ſtabulum poſt; deinde culina:
Quæ quater vndenas cogunt nos pendere drachmas
In menſe. At dominus promiſit, ferre neceße eſt
Condus ait, multo quod regia plena cliente eſt:
Si diſpenſator iubet, hoſpitijúe magiſter,
Chironomo, ſcurræ, productori, aut citharœdo
Aßurgam. quid enim? pereat ne ſportula, quippe
Tres nobis numerant nummos mercede diurna,
Cum pueris & equo: hinc quærenda caro, hinc olus,
Hinc oleũ, ſcombri, pernæ, vilesq; phaſeli. (hinc ſal.
Odit enim lepores, turdos, conchilia, mullos,
Menſa mihi & pueris communis. ſportula quamuis
Sit tenuis, quæ vix oleum præbere lucernæ
Sufficiat; nobis nunquam datur integra, auaro
A quæſtore aliquid ſemper deraditur, vltra
In primo quod nulla mihi ſit reddita menſe.

Præpoſitus ſtabulo domini, negat ordea, fœnum,
Et ſtramen. negat ille mihi? negat improbus: ardet
Intus bile iecur: deſcendo ad iurgia: tandem
Poſt quartum menſem vilem metitur auenam,
Et putrem culmum, pudeat quem ſternere, & illam
Quæ in vacuas paleas & purgamenta recedat
Si cribro excutias. non aßignatur equilis
Aut locus, aut ſtatio. poſt tres cellarius horas
Dimittit puerum tandem, redit ille lagena
Dimidia, verum ſic dilûta, vt mihi Tibris
Fluctuet in ſtomacho, dum credo hauſiße Falernum.
Hic ego tot peream dominis? tot peßima liber
Facta feram? ſemper me impunè à poſte repellet
Ianitor implumis, roſea facie, cute leui,
Cirrataq́; coma? ſi non diſtringimus enſes
Fulmineos, liceat genuinum frangere, more
Lucili, generet rabies ne preſſa venenum.
Mitto quanta tuli, patiarq́; incommoda ; mane
Summo, proſilio ſtratis, & currimus vſq;
In Vaticanum, pluuijs ſeu ſolibus æther
Sæuiat: hic ſtantes aliquot conſumimus horas,
Vt dominum videam, quem claudunt oſtia centum,
Atq; aditus centum. populis vt præbeat aures
Egreditur tandem, quem nos veneramur, aperto
Et capite, & genibus flexis. dum quiſq; videndum
Proponit ſeſe, impellor, turbæq; procella

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Iactor: poſtremus tum ne ſim, viribus, auſu,
Et cubito rumpenda via eſt. ſi forte vehatur
Aut mulo, aut rheda, raptim ſequor, ilia equorum
Tundens, poſt redeo perfuſus pallia cœno.
Poſtea, cum dominus diſcumbit, ſtans ego contra
Illi me oppono, vt ſi tollat lumina menſa,
Me videat. luſtroq́; oculis ſi fortè beatum
Me obtutu faciat: ſi me ſeruire parato
Vtatur: ſi ſponte aliquid mandet, iubeatúe.
Sed fruſtra ante oculos verſamur, namq; ſecundus
Tertius, & quartus menſis mihi labitur, atq;
Poſt quintum, ſextus, cum nec mandata, nec vllum
Accipio à domino verbum; comis tamen ille,
Omnibus arridere, ioco perſtringere, & vltro
Compellare: tamen ſolus dimittor, vt ille
Quem vel relligio, aut peſtis congreßibus arcet.
Hinc nos ſollicitant curæ, indignatio flammas
Excitat, & rabies nigrum vomit ore venenum.
Ergo ego qui vt ſcribam, aut reſponſem ciuica iura
Euocor, hic tantum ſpectator Laocoonti
Seruio marmareo? præceptis Pithagoræis
Vincior? Harpocratis factus ſum ad templa ſacer-
Debebas illum tu compellare; ego ne illi (dos?
Quem tantæ exagitant curæ, quem tanta fatigat
Congeries rerum, me auſim præbere moleſtum?
Exciuit; veni. ſto coram. me videt ille

Luce vel inuitus; tu Sauli, tuq́; Maphæe
Tuq́; Ioui, profertis me: reſpondet at ille
Comiter, eſt cordi, memini, cum tempus erit, tunc
Accerſam; at ceſſo: tentem Dandine quid ultra?
Quid faciam? patere; hic nobis plus deperit uno
Menſe animi cultus, quam quod profecimus anno:
Euolat è loculis æs: curis vrimur: ultra
Quod mihi relligio eſt, domini conſumere fruges
Segniter, & lecto, atq́; epulis traducere luces.
Ruſticus Aufidius, conducti cultor agelli,
Aßuetos curuo glebas verſare tridente,
Et ſegetes ſarrire, boues & iungere; multo
Cum frangi interdum ſentiret membra labore;
O fortunatum (dicebat) cui datur vrbem
Incolere, & duri vitare incommoda ruris.
Sors fauit, vocat hũc quidã heros magnus in vrbem.
Accurrit turgens, ſpe atq; ambitione laborans,
Delicijs capitur: thermas, & compita luſtrat,
Atq; forum; ſed dum dominus nihil imperat illi;
Oſcitat, & vacuus ceßat, luditq́;, canitq́;,
Multa dies tamen & supereſt, nunc ocia damnans
Vrbis conqueritur tardos procedere ſoles:
Hinc ſeſe incuſans quod vitam ferre priorem
Neſcißet: dominum conuenit, me mihi dicens
Me mihi redde precor, vita ne fungar inerti:
Et menti & neruis obducunt otia callum.

No

Ne ſi forte tibi me inuiſum fecerit ætas,
Atq; tuis domibus migrandum ſit mihi; ſerò
Præterijſſe dies doleam, quod ruſtica nobis
Ars pereat, nequeamq́; aſſueſcere membra labori.
Sic mihi, ne ingenium, aſſiduo quod vomere foſſum
Vix ferat ingenuas fruges: ſi ceſſet opella;
Ad triſtes redeat ſtipulas; ſecedere præſtat.
  Num dominum culpas? me accuſo, quod nimis au-
Huic tanto ſeruire viro me poſſe putaui. (dax
Fortunamq́; meam damno, quæ neſciat uti
Re oblata. Dominum culpem? quis mitior illo?
Munificusúe magis? cum fulgeat omnibus æquè
Sol, ſi dureſcit cœnum, ſi cæra liqueſcit,
Hæc potius ſolis radios accuſet; an ipſam
Naturam, quæ non valeat dureſcere? comis
Omnib9 eſt dominus, negat hoc quis? ſed mihi (noſtrũ
Peccatum fateor) nimis eſt durus, grauis, aſper.
  Has Dandine putas cauſas, quod linquimus vrbis
Mœnia, & armato ſtimulamus calce caballum?
Falleris (vt mittam quod cura domeſtica dudum
Me vocat, vt niſi creſcat, ſaltem ne pereat res)
Vrget me maior ratio, nam cura ſalutis
Et vitæ, nobis præponitur ambitioni,
Atq; opibus: licet illa alijs ſit vilior alga;
Eſt mihi cara, ideo lethi eripienda periclis,
Siue cibi vitio, ſeu cœli, ſiue Falerni

Eueniat; ſeu fortè animis illuſtribus aër
Hic ſolitus; nutrire negat viles, & vti nos
Degeneres: ego ſemper torqueor, atq; laboro
Et ſtomacho & capite, hoc ſemper vertigine circum
Voluitur. aſt illud heſternæ pondere cœnæ
Aßiduo turget; iam ſeptima præterit hora
Cum marceßit adhuc. ſaltamus, currimus, at nil
Proficimus. ſi ſit cœnandum; fercula ſordent
Languenti ſtomacho: haud obſonia lauta palato
Reſpondent: digito in guttur, ceu pharmaca, cœnam
Farcio, viuendum quoniam eſt, & pondere pondus
Trudimus; hinc macies artus, hinc occupat ora
Pallor: tabeſcunt ſenſus, croceæq; pupillæ
Caligant, crudosq́; cibos tußi excreo anhela.
Sic ego qui vaccas auias, proauos elephantes
Poſſem concoquere: offa nunc, medio & grauor ouo.
» Contempti augentur morbi, præſensq́; minantur
» Exitium; ſi nos paulum præcidere cauſas
» Differimus lenti, quas non lenire valerent
Pharmaca, vel ſucci, medicinæ üc author Apollo:
Viuere commoditas magna eſt, ſummũq; bonum; ergo
Sedandæ ingentes curæ, quibus enecor, ipſi
Quod ſim deſpectus domino, fugienda Quirini
Infamis regio, & cœlum graue: noſtra petenda
Eſt patria: hæc quod nos dederit vitalibus auris,
Aut alet, aut ſaltem producet funera; Roma

Diſce-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Diſcedo, quod vita mihi, quod cura ſalutis
Haud ſpernenda fuit; cauſam hanc adducimus unam:
Quam ſi forte probas tu Saulius, atq́; Maphæus,
Quos veneror noſtri tanquam tria lumina ſecli,
Curarim nunquam quid latret cætera turba.

Ad Alexandrum Farneſium.

SATYRA SECVNDA.

ALTer Farneſi nobis iam labitur annus,
Ex quo cauſatus capitis ſtomachiq́; laborem
Diſceßi Roma, te permittente benigne.
Et quamuis valeam bene nũc, (dijs gratia habenda
Vt proficiſcenti iußiſti, & pollicitus ſum, ſeſt)
Ad te non redeo tamen. at male iußa, fidemq́;,
Fallens? conſtituo, et prope certum eſt nolle reuerti.
Ne tibi me purgem, fateor peccare, queas vt
Me iure erronem deſertoremq́; vocare:
Sumere ſi cupias pœnas, diciq́; ſeuerus.
Vt libet, haud iniuſta feram. quod ſi eſſe benignus
Comis, & humanus mauis, (ceu te Itala tellus
Iampridem iactat) parces, errata remittens.
Prætereaq́; mihi debere fateberis. hoc cur?
Parcere nam magna eſt virtus: hanc aßequitur quis
Virtutem, ſi non ſit qui peccauerit? ergo
Officium cogit tibi me debere; ſed vnde
Digreßus fueram, illuc nunc redeo; redeam cur

Ro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Romam? percunctor te hoc ipſe, tui ne, mei ne
Cauſa, me eſſe velis Romæ, & ratione probes qu
Scire velim. at ſi vis, quia ſic libet; ulterius nil
Perquiram, ſed mox properans per tela, per ignes
Mutatos flagro ſtimulabo, & calce caballos.
Quod ſi deſit equus, poßum pedes ire, Padumq;
Iratum, & cani ſuperare iuga Apennini.
Poſſum ego vitales (tibi dum tamen obſequar) aur
Fundere, & exiguæ uſuram contemnere lucis.
Seruitio at credis ſi me haud fortaßis ineptum
Eſſe tuo; doleo quod decipiare: tamen ne
Imprudens fallâre, tibi exponam omnia, ſic ut
Inſtitor, emptorem qui non poſtponit amicum
Lucro, venalis narrat vitia omnia mercis.
Primum, proueniat quod noſtro à corpore, nullum
Seruitium expectare potes: quoniam male Reg
Aßueſcit ſeruire rudis morum, artubus ægris,
Atq; incompoſitis: niſi me obiectare periclis
Expediat, ſerues ut te, & monſtro obijcere offam.
Nec fidibus, nec voce ſcio: nulla ars mihi menſa
Vel thalami, uel qua valeam extorquere cachinnos.
Regia ſi noſtra poſſet ſplendeſcere forma,
Alliciens oculos hominum, velut ænea ſigna,
Aut pictæ tabulæ, aut vecti ex oriente tapetes,
Gauderem; at neq; ſum (quod noſti) hunc aptus ad v
Corpore ſum longo, exiliq; inclinat in armũ (ſum:

Ceruix

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ceruix, quæ capitis ſuccumbit pondere: pallet
Os: macies rictum producit: cærula nictant
Lumina: nec barba decorantur tempora: tantum
Prominet à mento ſpirillum, hirtumq́;, piloq́;
Subruffo, cui (ſi vulgo aßentis) male credas.
Defluit ex humeris ſemper toga: calceus autem
Sordidus. At commißa teges ſecreta, fidemq́;
Seruabis: verum hoc etiam vt ſit: quæ tamen iſta
Eſt virtus? melius præſtant hoc marmora, mutæ
Et ſtatuæ; hoc ſolo laudabor? ſi valeo quid,
Ingenio id valeo, quod nec frangat labor, vt ſi
Me dictare velis, vel ſcribere ciuica iura,
Vel reſpondere, & (ſua ſit cum inſania cuiq;)
Nos etiam interdum inſanimus carmine: ſed quod
Non valet & non vult parere precantis amici
Verbis: non iußis Regum, pretioúe potentum.
Sed tibi quid notum nitor me oſtendere? noſti,
Vidiſti. ſed me quoniam haud audire loquentem
Contigit, hoc fateor, me nec mediocriter aptum
Seruitio eſſe tuo; ergo hoc vile & inutile mitte
Mancipium; niſi te delectent Cercopitheci,
Aut nani informes, monſtrorumq́; id genus omne.
Poſtquam ſeruitium auerſare; acquirere liber
Famam & diuitias poteras; ego quærere famam?
Quo medio, ingenio ne? an ſic me lumine captum
Ducis, vt ingenijs quibus omnis Roma referta eſt

Me

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ne conſerre velim? plaudebam olim mihi, Roma
Nondum perſpecta: nec mox concurrere doctis
Romæ auſus, ſenſi tùm primum quàm nihil eſſem.
    Viderat è celſa mus quondam rupe iuuencos
Certare inter ſe, longè in conualle reducta;
Quare auidus pugnæ ſe æqualem dum putat illis
Deceptus viſu, decurrens credere campo
Audet ſe: propius ſed maxima corpora cernens,
Et molem ingentem; nil ſi ſe conferat illis
Eſſe ratus, referens ſe retro, aut hi tumuere,
Ni viſu fallor; vel nos decreuimus, inquit.
    Nunc ad diuitas redeo, licet exiguæ ſint
Nobis fortunæ; vrit opum me nulla cupido,
Vel deſiderium; rides; & imagine vulpis
Quæ iurat gallo non veſci eluſa rubenti,
Me ludis; fateor, ſi me faceres locupletem,
(Quod potes, & velles, hoc ſi tamen exigere à te
Auſim, non quod ſim meritus, ſed quod tua gaudet
Munificam cum ſe natura oſtendere poßit)
Si non lætarer, non ferrem fortè grauatè:
Sed quæ ad diuitias ducit via? diſpeream ſi
Hoc noui. ſtudium & labor. vt ſim vtriq; paratus
Venaliſq; ſimul; quis nos conducet, in vrbe
Ignotus cum ſim? Romæ ſine tempore notum
Eſſe putas? quid ais, ſed quanto tempore? menſe?
Aut anno? properas, addatur & vnus, & alter.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Hoc nihil eſt; nihil hoc? totam ergo perdere oportet
Ætatem, & curis angi nocteſq́; dieſq́;
Vt ditere ſenex? vt multo ſplendeat auro
Funus? ſarcophago & felix tumuleris eburno? (nis,
Nil moror hæc: quoniam interea mihi res perit om-
Annus abit: fœnus ſoluendum eſt: vrget agellus,
Ac domus: à nobis prece compilatus amicus
Inſtat: verſuram facio: tandem ære alieno
Preßus, deficio. Romæ hoc cognouimus ipſi
Experti. quid opes iactas; ſummum eſſe bonum quid
Cenſes? virtutem. quid deinde malum? vitium; ergo
Nec mala paupertas, nec opum bona copia; cum non
Hanc vitium aut illas virtutem dicere poßis;
Efficient omni quin viuas tempore felix.

Eſt aliquid coccum induere, & laquearibus au-
Vti, quis negat hoc? magno procedere cœtu (reis
Stipatum: ſit apud regem cui gratia prima:
Quænam? cum libitum ſit ſemper in aure ſuſurret:
Sit conuiua frequens: & quodlibet impetret: eſt hæc
Maxima res, ſi non lateat ſub melle venenum.

Sed mihi dic, noſtinè vt Gratia pingitur? Ingens
Eſt rota, cardinibus volucri axe innixa, rotatu
Quã rapido ſemper verſant hinc caſus, et hinc ſors:
Stat ſuper hanc vno tantum pede Gratia, librans
Nutantem greßum, & iam prenſat nubila, cœlumq́;
Attingit digito: huic ante Aßentatio prona

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Arridet, ſtupet, & ſolum præſentia laudat.
Ponè ſtatim ſubeunt Odium, Indignatio, & ardens
Inuidia, & quam mille doli fraudesq; ſequuntur:
Omnes hæ laqueis, tormentis, ignibus, vncis
Incautam obſeruant, tergum teſtudine pulſant,
Perfodiuntq; latus longè fallente ſagitta:
Quæ titubans vno vix ſtat pede, ferre tot ictus
Inſidiasq; nequit; quin det proſtrata ruinam.
Commoda ſi pendas, & cuncta incommoda, quæ ſert
Gratia, (dum trutinæ ſunt æquo pondere lances)
Ad terram hanc videas, aſt illam ad ſidera ferri.
Hæc mala qui videat, cupiatq; hac peſte beatus
Eſſe, refer medico quod demens mente laboret.
Vt verum fatear, tecum dum contigit eſſe
Romæ per multos menſes, cum gratia apud te
Nulla foret nobis, cum nec ſermone beares;
Me quidam ridere videns, & ludere, curis,
Quod ſis deſpectus Domino, non vreris? inquit.
Quid narras? immo illi plus debere fatemur,
Quod ſinit hac peſte & curis nos eſſe ſolutos.
Accipe diuitiæ, & quanti ſit gratia apud me.
Quid? quod nil diſtant fortuna ductus ab ima,
Et rex: ipſe tibi poßum concurrere, claro
Et Ghyſio, etſi vos vocet omnis Roma beatos
Fortunis, animis, & forma corporis. hoc cur?
Mille licet capiant vix veſtras horrea meßes,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Quas nos ſeruamus cumeris : num propterea plus
Quam nos cœnatis? num vinum dulcius auro
Aut gemma bibitur, quam vitro? num altius ac nos
Stertitis, Attalica in thalamis quod ſtragula fulgent?
An latus clauus diſtinctus murice & auro,
Quam toga, ſcit melius frigus propellere, et imbres?
Tercentum vobis ſerui famulantur ; at vnus
Noſtra puer iußa obſeruat, ſoluſq; miniſtrat
Pro multis, ſternit lectos, menſamq́; propinat,
Eſt mediaſtinus, ſtructorq́;, & deniq; cunctis
Officijs valet. ingens vos comitatur euntes
Cœtus: me tres, aut ad ſummum quinq; clientes,
Noſtra quibus pretio vox eſt conducta, ſequuntur.
Deniq; vt abſoluam vno verbo, æqualia cuncta
Sunt, nec Rex diſtat cenſo capite. eſt tibi tantum
Quantũ opꝰ eſt, et quod naturæ alimenta miniſtret,
Id cape, ab exiguo aut magno, nil diſtat, aceruo.
Quid? quod fortunæ ſua ſunt incommoda cuiq;, "
Maioreſq́; agitant maiora pericula : ſicut "
Non vrget lepores, ſed apros, vrſoſq́; moloſſus.
Vruntur reges curis maioribus : altè
Inſidet ambitio : cupiunt ſæuire, quibus cum
Sunt inimicitiæ : horrent, ſi forte inſonuit quid,
Ne cadat à ſeta gladius qui pendet equina.
Quid memorem cædes? aconita? & cætera, toto
Quæ quamuis numerem aßiduè, haud tamen aſſequar
anno.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Horret noſtra etiam fortuna pericula, ſed quæ
Sunt citra vitæ diſcrimen; deniq; certum,
» Quod laudes & quod damnes fortuna habet omnis.
Sum pauper, me multa premunt incommoda, tu iſta
Cernis; ego video tibi quæ vrat mantica tergum.
  Inſtratus ſonipes auro, cui terga premebat
Ære micans eques, vt fama eſt, ridebat aſellum
Quem paſtu exiguo macrum, nimioq; gementem
Pondere, verberibus, ſtimulisq; vrgebat agaſo.
Tu potes aiebat, tot verbera, onusq;, famemq;
Ferre? tibi lippus, qui aliena incommoda cernis
Tam bene? nil prorſus vrgent reſpondit aſellus,
Ilia perfodiunt ſtimuli: vrunt ora lupati:
Truderis in contos, enſesq;: eques vlcerat armos
Hoc nihil eſt? ære an diſtat ligniſue graueris?
Tu mala noſtra arridens tantum cernis; ego ſic
Et tua: fortunæ quoniam eſt ſua ſarcina cuiq;
Hac ratione tibi æquales nos dicimus eſſe
» Farneſi, quod opes, quod gratia multa venena
» Celant, non ſecus ac hamum tegit eſca doloſum.
  Hæc eſt noſtrarum nugarum clauſula, Romam
Me non venturum, quoniam tibi inutilis eſſem,
Et mihi damnoſus. quod ſi iubeas, quia ſic vis,
Tunc præceps veniam; non ſponte quidem, at quia
  honeſtum eſt
Noſtra tuo obſequio poſtponere commoda ſemper.

FINIS.

Abrahar
uerpier
Academi
21. 23.
Actius S
182. 18
Adolphu
Adolphu
us
Adrian
Adrian
Adrian
Adriati
Adulas
Aemili
Aeneas
Albertu
Dux
Albis
Alexan
Aldem
Alcuin
Alfred
Alpes

INDEX.

A.

Abrahamus Ortelius Antuerpienſis. pag. 330.
Academia Roſtochienſis. 21. 23. 36. 52. 84. 243.
Actius Sincerus Sannaza- 182. 183.
Adolphus dux Holſat: 31.
Adolphus comes Naßouius 90.
Adrianus Iunius 125. 164.
Adrianus Turneb9 72. 168.
Adriani moles 185.
Adriaticum mare 175.
Adulas mons 186.
Aemilius Probus 83.
Aeneas Siluius 179.
Albertus, Io. Alberti F. Dux Megap. 39.
Albis 93. 160.
Alexander Magnus 123.
Aldemburgici comites 163
Alcuinus 170.
Alfredus Rex Angliæ 172.
Alpes 274. 187. 188.
Aldus Manutius 175.
Albertus Cnopperus 220.
Albertus Dux Megap. 275
Albertus primus Dux Boruſsiæ 275.
Amaſis 163.
Amſterodamum 164.
Amphitheatrum 177. 180.
Ambianum 166.
Ambroſij tumulus 186.
Anna Sophia Alberti Ducis Boruſsiæ filia. Io. Alberti Megap. coniunx 22.
Andreas Duditius 87. 850.
Anna Benedicta à Menzingen 136. 146.
Antuerpia 165.
Antenoris tumulus 176.
Ande patria Virgilij 177.
Andreas Vueſlingus 309.
Antoninus equeſtris 179.
Anxur 185.
Andreas Fabricius 196. 233.
Ancona 186.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Andreas Mylius 94. 192. 219.
Anton. Vuittershemi9 316.
Apenninus mons 178.
Aponus ſons 177.
Appia via 185.
Argentina 52. 187.
Ariminum 186.
Arnoldus Vuitſeldius 84.
Arnus fl. 178.
Arnoldus Burenius 289.
Arteſia 166.
Atrebates 94.
Atheſis 94. 177. 175.
Auentinus collis 180.
Auernus 184.
Auguſta 173.
Auguſtus Elector Saxoniæ 194.
Aulerici 168.
Auſonij ſtatua 181.

B.

Baiæ 182. 184.
Balthicum mare 159.
Baptiſta Egnatius 175.
Baptiſta Mantuanus 178.
Barnimus dux Pomer: 76.
Baſilea 187.
Bartolomæus Clingius 127. 132. 203. 222. 245. 310.
Bauaria 174.
Belgium 94.
Bellouaci 166. 172.
Benacus lacus 177.
Bernardinus mons 186.
Blauus fl. 172.
Blondi tumulus 180.
Boëmia 77. 94.
Bolonia 172.
Bononia 178.
Brabantia 165.
Brema 162.
Brennus 113.
Bretta 97.
Britannia 168. 170.
Broccus mons 93.
Bructeri 91.
Bruxella 166.
Bucephalus in Clypeo Ducum Megap. 113.
Bugſlauus dux Pomeraniæ 156. 157.

Bu-

Budæi tumulus 168.

C.

Caecubus mons 185.
Caieta 182.
Caletum 172.
Campania 182.
Capitolium 179.
Carolus Dux Megap. 32.
Carolus Danceus Regis Galliæ in Dania legatus 45. 46. 49. 153.
Carolus V. Imp. 91, 166.
Carolus Magnus 95. 171.
Carolus Burgundus 97.
Carolus Sigonius 178.
Caſpar Paſelicus 210. 225.
Catharina Dammia Danielis Rantzouij ſponſa 70.
Catulli patria 177.
Cheruſci 94.
Chriſtianus Cuſſouius 74. 76.
Chriſtianus, Frid. II. Daniæ regis filius 128.
Chriſtianus III. Rex Daniæ 12. 17. 67. 211.
Chriſtophorus dux Megap. 30. 32. 207. 274.
Chriſtoph. Palatinus 129.
Chriſtophorus Oermannus 297.
Chriſtoph. Fichardus 229.
Cimbrica Cherſoneſus 67. 93.
Clitumnus 186.
Comitia Auguſtana 174.
Cœlius Collis 180.
Contarenus 175.
Coſmus Medices 178.
Conſtantini arcus triumphalis 180.
Cornelius Grapheus 296.
Cuma 182. 184.

D.

Daci 94.
Dalmaticum marmor 176
Dauentria 164.
Dania 10.
Daniel Rantzouius 66. 71. 305.

Dauernum 172.
Decij I. C. tumulus 179.
Didericus Veronenſis 177.
Didericus Blomius 213
Diocletiani thermæ 180.
Donnerus 91.
Dorothea regina Daniæ, Frid. II. mater. 12. 17.
Doroth: Frid. I. regis Daniæ Filia, coniux Chriſtoph. ducis Megap. 30. 274.
Duretus 168.

E.

Echo 138.
Eliſabetha Frid. I. Filia, Chriſtiani III. Regis Daniæ ſoror, coniux Vdalrici Ducis Megap. reginæ mater. 13. 22. 373.
Eliſabetha regina Angliæ 171.
Eliſabetha Vrſula Luneburgica, Otthonis Schoumburgij vidua 277.
Eraſmus Alberus 302.
Eraſmus Roterodamus 165.
Eridanus fl. 178.
Erneſtus Archidux Auſtriæ 91.
Erneſtus Ludouicus Dux Pomeraniæ 157.

F.

Fabianus Faliſcius 96.
Fæſulæ 178.
Faliſcus mons 179.
Feltria 175.
Ferraria 178.
Ferdinandus Imp. 91.
Fernelius 166.
Flaminia via 186.
Flehingenſis familia nobilis 97.
Florentia 178.
Francia 168.
Franconia 95.
Franciſc. Dux Saxon. 22.
FRiderici II. Daniæ regis nuptiæ p. 8. In Megap. aduen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

aduentus 16. 112. Natalis. 17. 32. Nomen. 111. 118. 129. 211. 344.
Frid. I. Rex Daniæ 31.
Fridericus Imp. 98.
Frid. Elector Palatin. 96.
Fridericus Zornius 289.
Friſia 93.
Fundi 184.

G.

Galateus Caſæ 155.
Gaurus mons 184.
Georg. dux Megap. 274.
Georgius Fabricius 82. 125. 187. 193. 196. 202. 233. 277. 300.
Georgius Smiterloui⁹ conſul Sundenſis. 197.
Gerardus Paulus 302.
Germania 94. 133.
Geſnerus 187.
Golerorum familia nobilis 97.
Græcorum templum Venetijs 176.

H.

Haſnia urbs Daniæ primaria 11.
Haſnienſis Academia 17.
Hamburga 161.
Harlemum 164.
Hecla mons 31.
Heidelberga 173.
Henricus Dux Megap. 275.
Henricus Baro Staremberg⁹us 41. 89.
Henricus Belouius Mareſchalcus regius 150.
Henricus Rantſouius 71.
Hermolaus Barbarus 175.
Hetruria 178.
Hieronymus Cardanus 178
Hieronyma Columnia 122.

I.

Iacobus Monauius 88. 241.
Iacobus Bordingus 205.
Ianiculum 181.
Iccius portus 172.
Inarime 182.
Ioach. Camerarius 83. 95. 194.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Ioachimus von der Lühe 330.
Ioachimus Baſseuitius 243.
Io. Alb. Dux Megap. 18. 22. 32. 34. 93. 131. 159. 205. 274. 275.
Io. dux Holſatiæ ſenior 31.
Io. Caſimir. Palatinus 96.
Ioan. Fridericus Dux Pomeraniæ 157.
Io Cyriacus Baro Polhæmius 50. 84. 152. 209.
Io. Comes Naſsouius 90.
Ioannes Crato conſiliarius & Archiatrus Cæſareus 124.
Ioannes Philippus à Menzingen 135.
Ioannes Caſelius 95. 133. 178. 226. 260.
Ioannes Huſanus 24. 94. 123. 153. 191.
Ioan. Borcholtus 24. 225. 294.
Ioannes Iacobus Ocrmannus 197.
Ioan. Bocerus 192.
Ioan. Flaminius 306. 105. 166.
Ioan. Poſthius 133. 188.
Ioannes Schogardius 140.
Ioannes Kampſerbegus 299.
Ioannis de Sacrobuſco tumulus 168.
Ioannes Franciſcus 319.
Ioannes Pontanus 182.
eius ſacellum 183.
Ioan. Oporinus 186.
Ioannes Schoſserus 204. 253.
Ioan. Fichardus 279.
Iulius Cæſar Scaliger 130.
Iupiter Feretrius 180.
Iura mons 187.
Iuſtina Rudelia 66. 282.

L.

Laeſtrigones 184.
Lambinus 74. 168. 172.
Lambrus fl. 186.
Larius lacus 186.

Lau-

Laurentius Pancalus 145.
Laurentij Vallæ tumulus 180.
Lauretum 186.
Lazarus Suendius 93.
Lilius Gyraldus 178.
Linternum 184.
Lyris fl. 184.
Longolius 177.
Londinum 170. 171.
Louanium 165.
Lotharingia 172.
Lubeca 149. 160.
Ludouicus comes Naßouius 90.
Luganus lacus 186.
Luneburga 153. 160.
Lutherus 67. 92. 96.
Lutetia 167. 172.

M.

Magnus dux Megap. 275.
S. Martinus epiſcopus 166.
Mansfeldiæ comites 93.
Mantua 177.
Martius campus 181.
Mæcenatis horti 180.
Maturinus Corderius 156.
Matrona fl. 172.
Maximilianus II. Imp. 41. 45. 77. 121. 174.
Mauricius Dux Saxoniæ 194.
Maria Pomeranica Otthonis comitis Schoumburgij coniux 277.
Melanthon 67. 83. 92. 96. 97. 173. 194. 196.
Megapolis 93. 112.
Melibocus mons 94.
Menapij 94. 164.
Melchior Faliſcius 95.
Mechlinia 165.
Melda 172.
Metis 173.
Medoacus fl. 176.
Mediolanum 186.
Meſauci 186.
Miſnia 93.
Mincius fl. 177.
Miſenus 182. 184.
Minturnæ 184.

Monicæ

Monicæ matris Auguſtini tumulus 182
Moraui 93.
Morini 94. 127.
Moſella 94.
Monacum 174.
Murmelius 164.
Muſurus 175.
Muranum 176.
Muretus 185.
Mutina 186.

N.

Namurci 94.
Nancæa Lotharingiæ 97.
Naugerius 175.
Nemetes 93.
Neruij 166.
Neronis domus 180.
Neapolis 182.
Nicolaus Ciſnerus 59. 65. 98. 173.
Nicer 94. 173.
Nicodemi tumulus 178
Nicolaus Caaſa regni Daniæ Cancellarius 210
Nicolaus Cuſanus 222.
Paulus Manutius 185.
Noruegia 31.
Normania 168.
Nouocomum 186.

O.

Oceanus 162.
Odylia von Roſſaw 57. 296.
Oenus fl. 174.
Oenopontum 174.
Ottho Henricus Elector Palatinus 96.
Ottho Prænius 240.
Ottho comes Schoumburgius 277.
Ottho von der Lühe 284.
Ouidij domus 180.
Oxonia 17

P.

Paulus Melißus 78. 14
Patauinus hortus 113. 177.
Padus fl. 178. 186.
Patauium 176.
Paulus I. C. 177.
Paulus Iouius 178. 186.
Palatinus collis 180.
Pauſilypus 182.

Parla-

Parlamenta Galliæ 168.
Parma 186.
Petrus à Menzingen 54. 135. 295.
Petrus Ramus 74. 168.
Petrus Victorius 114. 178.
Petrus Angelius 130. 179.
Petrus Lotichius 130.
Petrus Ronſardus 130. 168
Pet: Lombardi tumul⁹ 168
Petrus Bembus 175. 177.
Petrus Moſellanus 222.
Perona 166.
Philip. Dux Pomeran. 75.
Phil. Cominei tumul. 168.
Philippus à Gemmingen.
Picardia 166.
Piſa 179.
Piſaurum 186.
Pleumoſij 94.
Placentia 186.
Plinij interitus 182.
Pliniorum ſtatuæ 186.
Propertij domus 180.
Prochyta 182.
Puteoli 184.
Pyrenæus mons 175.

Q.

Quintilius Varus 114.
Quirinalis collis 181.

R.

Rantſouiorum familia nobiliſſima 72.
Reginaldi Poli tumul. 172.
Rhenus 164. 165. 187.
Rodolphus Imp. 91.
Rodolphus Agricola 164.
Robertellus 177. 206.
Roma 179. 181.
Rothomagum 168.
Roterodamum 165.
Roſtochium 19. Ducum Megap. in vrbem ingreſſus 22. Curia Roſtochij 23. Turris collapſa 215.
Rubico fl. 186.

S.

Sala fl. 93.
Salinæ Luneburgenſes 161.
Samarobrina 166.
Sanctodionyſium 167.
Salluſtij domus 181.
Sadoleti tumulus 185.

Scal-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Scipionis ſepulchrum 184
Sequana fl. 167.
Sena 179.
Sebethus fl. 183.
Senogallia 186.
Sicambri 94. 164.
Sibyllæ antrum 168.
Sophia Regina Daniæ 8. 16. 112. 344.
Sorbona 168.
Spira 173.
Spoletum 186.
Statius Poëta 183.
Sturmius 187. 195. 214.

T.

Tameſis fl. 170. 171.
Taruiſium 175.
Tarpeia rupes 180.
Tarracina 185.
Thomas Morus 170.
Thomæ Linacri tumu. 170
Thomas Cantuarienſis 172
Thomas Rhediger 214.
Theobald: Grummerꝰ 217.
Thule 31.
Tibris 179.
Ticinus fl. 186.
Tigurum 187.
Tiraquellus 121.
Titus Liuius 177.
Titi Veſpaſiani arcus triumphalis 180.
Tobias Hubnerus 210.
Trauus fl. 160.
Treuir 94.
Triboci 91.
Tridentum 175.
Traiani forum 181.
Turingia 77.
Tubinga 175.
Typhoëus 182.
Tyrolenſis comitatus 174.

V.

Valentinꝰ Haſlochiꝰ 189.
Valerius Poëta 177.
Varnus 19. 32. 208.
Vangiones 93. 96.
Vaticani montes 181.
Vaticana bibliotheca 181.
Vbij 94.
Vdalricus Dux Megap. regis ſocer 9. 10. In Daniam nauigans 16. In vrbem Roſto-

Roſtochium ingreßus 18. 129. 20. 22. 26. 34. 70.
In horto Patauino inſpector herbarum 113. 114. 19.
Venetiarum contemplator 176. 273.
Vdalricus, Frid. II. Daniæ regis filius 129.
Veſalius 166.
Vertodunum 172.
Venetiæ 175.
Verona 177.
Veſuuius mons 182
Verbanus lacus 186.
Viſurgis 93. 162.
Viadrus 93.
Virgilius 152. 177.
Vicentia 177.
Viterbium 179.
Virgilij tumulus 183.
Virichius à Gemmingen.
Vltraiectum 164.
Vlma 173.
Vogeſus mons 94.
Vuilhelmus Dux Brunſui & Lunæburgenſis 327.
Vuilhelmus Naßouius 92.
Vueſtphalia 94.
Vuilhelmus Petrus à Menzingen 1:7.
Vulturnus fl. 184.

Errata ſic corrige.

P. 13. b. v. 7. lege, Eſt hominum. P. 37. b. v. 12. verius. P. 39. v. 12. occluſo. P. 76. b. verſu vltine, p. 90. b. v. 9. hoc. p. 114. ſine. p. 134. v. 10. qui. p. 143. v. 19. lucente ſereno. p. 151. v. 4. Delitium. p. 154. v. 20. ſolus. p. 162. v. 13. nos. p. 184. b. v. 22. Gauri. p. 189. v. 12. peragenda. p. 196. v. 17. cautes. p. 208. v. vltimo. Totus. p. 216. v. penult. Gratia. p. 368. v. 20. vna. p. 299. b. v. 8. Ad ſtygios ibit turba cruenta lacus. p. 32[illegible]. b. v. 7. Virtutis. Cætera candidus lector, etiam nobis tacentibus, facilè emendauerit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

FINIS
NON PVGNA CO-
RONAT.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

21

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]

2158.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2158 8° [53,-38]